Lineæ
DOCTRINÆ
MORALIS
DE
NATURA
MORALIUM
VARIISQVE EORUM CASIBUS
Ductæ
â
JOH. CHRISTOPH. BECMANO
D. & HISTOR. PROF. ORD.

Cum Gratia & Privilegio SEREN. ELECT. BRANDENB.
Francofurti ad Oderam excudi curavit
RUPERTUS Völcker / Bibliop. Berolin.
Literis CHRISTOPH. ZEITLERI
AN. MDCLXXIX.



PER-ILLUSTRIBUS AC GENEROSISSIMIS
DOMINIS,

DN. FRANCISCO L. Baroni
De SCHONAICH,

HEREDITARIO in Amptitz/Beuthen/Carolath/Stargard/ Dobern &c. &c.

DN. HENRICO ALEXANDRO
Libero Baroni de BIBRAN,

HEREDITARIO in Modla/Nipern/Guckerwitz/Siltzendorff/Javernick/Barschau/Borschitz/ &c. &c.

DN. JOHANNI GEORGIO
Libero Baroni de SCHONAICH,

MAJORATUS BETHANIENSIS & CAROLATENSIS SUCCESSORI,
HEREDITARIO in Amptitz/Milckow/Möllendorff/Schlaupitz/&c. &c.

DN. FRANCISCO LEOPOLDO,
DN. ADAMO FRIDERICO,
DN. JOHANNI GOTTLOB,
DN. CAROLO ALBERTO,

LIBERIS BARONIBUS
De SCHONAICH,

HEREDITARIIS in Beuthen/Carolath/Amptitz/Milckow/Möllendorff/Schlaupitz/&c. &c.

DOMINIS SUIS BENIGNISSIMIS.

PERILLUSTRES DOMINI BARONES,

Dignisſimam functionum humanarum paginis hiſce aggresſus ſum, eam nempe, quæ intima noſtra attingit: Non vitæ commoda aut aliqvid extra Hominē, ſed id ipſum, quo Homo probet ſe esſe Hominem; Imo quo idem probet ſe malle Hominem, quam nihil esſe; Homo namq; niſi Humana, h. Naturæ Rationali congrua faciat, non homo eſt, aut certe esſe non meretur: Et niſi Bona agat, ne esſe qvidem poteſt, extra Deum enim tunc agit, ſine qua omnis Creatura nihil, vel etiam deterior nihilo eſt, id enim præſtat esſe, quam Peccatorem esſe & extra gratiam Dei æternùm cruciari.

Juvat utiq; ſplendentem Cœlorum exercitum, Terræ Theſauros ac totam Naturæ gratiam ſpectare & de Dominio in ipſam triumphare: Juvat admirandam Corporis noſtri ſtructuram callere, quidque toti expediat ac ſingulis ejus partibus ſcire: Proportionem rerum callere, & nequid alter altero mi-

nus accipiat avertere, næ dignum frugi Cive Officium est. Et ne plura adducam, qvid majus fere, quam in Supremi Numinis contemplationem ejusq; mysteria ferri? At singula horum aliave, qua dici aut cogitari possunt, fructus sunt Nobilioris Matris, quæ cuncta in natura sua cognoscere & secundũ eam vivere nos jubet: Doctrinam Moralem intelligo, sine qua scientia omnis nulla est, & per qvam Homo solus id est, qvod est; Docet enim Hominem secundum naturam rerum agere, secundum quam si non agit, sine Recta Ratione, adeoq; nihil homine dignum agit. *Si omnia Mysteria omnemve cognitionem haberem, & Charitate carerem, nihil qvicqvam ero*, inqvit Divus Apostolus, & cognitionem, nisi rebus secundum naturam suam utamur, nullam æstimat. *Si insumam alendis egenis omnia, quæ mihi suppetunt, & si tradam corpus meum, ut comburar, Charitatem vero non habeam, hoc nihil mihi prodest*, inqvit idem, indicaturus ne actus nostros quidem attentione dignos esse, si sincera ac per se ornata simplicitate secundum naturam rerum careant. Est illa, cujus

dura-

duratio Æternitati coæva eſt, nam Sanctitatē ſuam Deus ab æterno intuitus fuit; Quæque deſituris Scientiis aliis æternùm duratura eſt; *Charitas enim nunquam excidet, ſed Prophetiæ evaneſcent, & Linguæ ceſſabunt & cognitio deſinet.*

Itaq; non autumo mihi opus fore ratiocinibus reddendis, cur publice tractandā ſuſceperim: Si enim ſciri eam omnium intereſt, Mecura ipſius nemini vitio verti poteſt: Si Medicinam promiſcue facere communi propenſioni in rem humanam tranſcribimus, qvidni hujus potius curam communem eſſe ſinamus, quæ ingratos, avaros, vino deditos, ambitioſos tam propitia aſpicit, quā ægros ſuos Medicina: Quæ laxatis compedibus rem humanam aqvam trahere aſpicit & occurrit, aliam excludit undam, aliam egerit, manifeſta foramina præcludit, latentibus & ex occulto ſentinam ducentibus labore continuo reſiſtit: Breviter curat, ut homo idem perſtet, ac ne ruat intereatve cavet.

At ILLUSTRITUDINI VESTRÆ cur operam hanc delegaverim, dicendum omnino erit.

 Virtu-

Virtutis namq; cum Illustribus Familiis Vestris tam felix hactenus connubium fuit, ut Virtutem oporteat ante sui naturam exuere, quam à Vobis abscedere, Vitia honesta reddi, quam à Vobis recipi. Idem meritorum in rem humanam tam fertile fuit, ut nullum tempus futurum sit, quod eorum dememinisse valeat. Quis enim avitam SCHÖNAICHIORUM Pietatem; Quis SCHÖNAICHIORUM & BIBRANIORUM in Patriam & Augustissimum Patriæ Principem fidem ignorat? Vos ergo seligerem potius Patronos labori in Virtutis cultura versanti, qui in exemplum perfectissimum Virtutum statis, qui quod genere Vestro summe dignum est unice volvitis? Accedit utrorumq; maxima erga me meosq; Gratia, cujus recentem fructum in svavi convictu & commilitio sensi, quo Tu HENRICE ALEXANDER, BARO BIBRANI, & Tu JOHANNES GEORGI, BARO SCHÖNAICHI, inter Labores Academicos Vestros me biennio & amplius dignati fuistis. Macti este Virtute Vestra, Domini Benignissimi, & qui Portum Studiorum jam cominus videtis

tis

tis, pedes in Patriæ incrementum litoribus efferte feliciter. Macti este & Vos Virtutibus, FRANCISCE LEOPOLDE, ADAME FRIDERICE, JOHANNES GOTLOBI, CAROLE ALBERTE, Barones SCHÖNAICHII, teneri Virtutum Avitarum Surculi, & in spem surgentis Seculi feliciter adolescite. Tibi vero inprimis advolvor, PerIllustris Domine, FRANCISCE, Baro SCHÖNAICHI, Tu Gloria es Silesiæ ac Lusatæ Nobilitatis, Columen Annosæ SCHÖNAICHIORUM Virtutis; Annosam enim non abs re Virtutem in Te voco, qvi superstitem Terris servas, quæ cum Beatissimis Fratribus Tuis ad Cœlum evolatura videbatur. Tu servas eam, & in Illustribus Nepotibus ad Æternitatem firmas. Macte, PerIllustris Baro, isthoc robore & in Patriæ decus ac perennem Illustris Familiæ Salutem diutissime supera. Sine me, Domine Benignissime, sinite universi ita Votis Vos proseqvi, cui extra Vocem & Vota observantiam testandi materies non est, sinite in humillimum cultus Vestri Testimonium extare tenuem hanc Operam, quæ unice per vos vivere gestit, qvæ ex Virtute Vestra prægnantiori luce resplendebit. Ita Deus Vos longissime sospitet

Benignissimi DOMINI.

ILLUSTRITUDINUM VESTRARUM

Observantissimus Cultor

J. C. BECMANUS, D.

EXsaturata odiis Bellona claudere portas
Dicitur Armorum, Paxque fovere lares.
Extemplò *Mores* formas, *Beemane colende*,
Qvi simul Ingenio Judicioque clues.
Mores, Heroum divino pectore dignos,
Summates pulcrâ qveis Ratione juvas.
Vah! qvantos *crescens Ætas* cumulabit honores,
Cui *Juveni* summum tradit Apollo decus!
Testatum hoc faciunt Orbi *Tua Scribta polita*,
Quæ niveis pennis *Te* super Astra vehunt.
Festinas urgeto *manus*, nec *Munera* nobis
Celato, qva sub pectore plura latent.
Neu Cænêi aut Udæi *Te* spicula tardent,
Qvorum fama prius tollitur atq; caro.

Excellentissimo Domino Auctori, Eruditissimum & absolutissimum Moralium *Opus edenti paucis hisce gratulabundus adsurgebat*

JOH. CHRISTOPHORUS NEANDER.

CAP. I.

CAP. I.

PRÆCOGNITA MORALIA.

I. De Nomine Doctrinæ Moralis.
II. Ejusdem Definitio & Differentia à Politica, Oeconomica & Jurisprudentia.
III. Eam versari circa Rectam Rationem: Universam Doctrinam Casuum Conscientiæ ad eandem pertinere; Nec minus necessaria & demonstrabilia hic tractari, quam in Disciplinis Speculativis.
IV. Subjectum Moralium esse Naturam Intellectualem; Cur ab Aulis ea crebrius exulent? Cur mali non possint dici Moralia vere scire?
V. Finis Moralium: Cur Scriptura Sacra Theoreticis se minus impendat, quam Practicis. Cur Theologiæ Theoreticæ & Polemicæ studium minoris habendum, quam studium Theologiæ Practicæ? Desideratum Professionis Pietatis.
VI. Scripta Moralia: Qvid de Moralistis & Casuistis Catholicis sentiendum? Qvo sensu Professio Morum adhuc inter desiderata sit.
VII. Dignitas Doctrinæ Moralis: Eandem non differre à Theologia Practica.

I.

DOCTRINÆ MORALIS nomine generaliter comprehendimus universam recte vivendi cognitionem, seu per qvam homo, quà homo est, perficitur. Nomen hoc selegimus ad imitationem plerorumq; Doctorum Christianorum, qvibus solenne est, *Doctrinæ Moralis, Moralium, Moralistarum* Terminis in hisce talibus uti. *Ethica* nomen non dissimile est; Sed vulgò invaluit Ethicam tantum dici Doctrinam Moralem ex veterum Ethnicorum Philosophia desumptam, unde Terminus proposito nostro adæquatus

tus esse visus non fuit. *Philosophiæ Moralis* nomen eodem modo se habet: Johannes Casus libros suos *Sphæram Moralem* vocat, sed limites vulgaris Ethicæ haut egreditur.

II.

Doctrina Moralis est *Prudentia vivendi secundum Rectam Rationem; Prudentia*, h. habitus bene agendi: *Secundum rectam rationem*, ut suum cuiq; tribuat, nec quenquam lædat: In discrimen à *Politica, Oeconomica & Jurisprudentia civili*. Politica enim quicquid agit, id ex ratiociniis necessitatum & commodorum vitæ humanæ determinat; Oeconomica ex commodis vitæ privatæ; Jurisprudentia ex LL. Civilibus. Ac licet singulæ earum Rectam Rationem itidem requirant, non tamen tractant eam, sed præsupponunt, æque ac à Societate privata vel publica præsupponitur Natura humana: Quæ si nulla esset, nec Societas Politica, nec Oeconomica ulla extare posset. Breviter, Doctrina Moralis cum hominem secundum Rectam Rationem simpliciter instituat, Politica eundem docet vivere socialiter, Oeconomica commode, Jurisprudentia secundum voluntatem Legislatoris: Et disciplinæ hæ à se invicem differunt I. Objectis, de qvibus hactenus diximus. II. Subjectis, quæ sunt in Moralibus Homo quâ homo, in Politicis Homo qvidem, sed tantum quatenus ad vitam socialem informandus est, in Oeconomicis idem Homo, quatenus privatorum commodorum satagit, & in Jure Civili iterum Homo, quatenus superioris voluntatem ex LL. excipit. Hincq; III. demonstrandi genere, quod in Moralibus ex Recta Ratione, in Politicis ex vita Sociali, in Oeconomicis ex commodis privatis, in Jure ex Autoritate Legislatoris petitur. Ac licet viri eruditi aliqui subordinationem istarum Disciplinarum sibi inde persvaserint, & Ethicam suam pro parte Universali, cæteras pro partibus specialibus ejusdem Disciplinæ habuerint, quod viderent Rectam Rationem à nullâ abesse posse, non tamen subordinatio hic magis metuenda est, quam in Philosophia Theoretica est inter Metaphysicam & Physicam: Qvarum illa, licet Ens generaliter, Physica autem itidem Ens specialiter, & quatenus materiæ alligatum seu corpus est, tractet, non tamen ideo Metaphysica evadit pars Generalis, Physica pars Specialis unius disciplinæ; Differunt enim demonstrandi principiis; Et Metaphysica in natura Entis, quâ tale est, & abstractum à materia Demonstrationes suas finit, Physica autem non ex natura Entis, sed Ente præsuppo-

ſuppoſito ex natura corporis Demonſtrationes ſuas eruit, eaq; quicquid habet, circumſcribit. Alibi Ethicam vocavimus Prudentiam honeſte vivendi; Et certè talis eſt, ſi limites, quos vulgo ei ponunt, ſpectemus, ut iſta tantum tractet Moralia, quæ naturæ lumine citra Scripturam nobis nota ſunt. At Moralium latior campus eſt, nec ſola Honeſtas iis comprehenditur, nam Pietas etiam huc pertinet, quam ſpeciem Honeſtatis, ſi conſvetum vocis ſenſum ſpectes, vix dixeris; Neq; alterius vitæ ſtatus infirmum Honeſtatis terminum facile tolerabit. Generaliori ergo Rectæ Rationis termino in Doctrina Morali opus eſt, qua non tantum inter homines, ſed etiam adverſus Deum & in altera vita utamur, eâdem tunc non exuendi, ſed longe eminentiori ejus gradu inſtituendi.

III.

Objectum conſtituendum eſt *Recta Ratio*, exercenda in omnibus perſonis, rebus & actionibus noſtris, earundemq; circumſtantiis. Rationes ſunt. 1. Quia in Rectam Rationem omne quicquid in Moralibus eſt, reſolvitur: Qvod fieri non poſſet, niſi adæquatum Moralium Objectum eſſet. 2. De Recta Ratione in ſe conſiderata in nulla diſciplina agitur, in Moralibus verò ſpecialia ad ea pertinentia tractantur. Ergo generaliter eam ibidem tractari oportebit. Hincq; ſequitur (1.) Univerſam Caſuum Conſcientiæ doctrinam ad Doctrinam Moralem referendam eſſe; Sunt enim ſpecialisſima Rectæ Rationis exercitia, quibus ſi careret, parte aliqva ſui Doctrina Moralis mutilata eſſet, (2.) Falſum esſe, Moralia verſari circa mera contingentia, cum 1. Demonſtrationes ex Recta Ratione æque fiant ac ex aliis rebus, qvas Speculativas vocant, nec major hic in ſpecialibus varietas ſit, quam rerum naturalium eſt in ſingulis corporibus: Nec 2. in poteſtate noſtra eſt, ſpeciales actus noſtros virtuoſos vel vitioſos efficere; Sed tales neceſſario ſunt, qualis eſt Rectæ Rationis cum illis connexio, quam ſi rite præſtemus, virtuoſi ſunt, nec ulla poteſtate noſtra vitioſi esſe qveunt. Peperit certe hæc opinio de contingentia Moralium perverſas iſtas ſententias circa res honeſte gerendas, ut ſæpe extent, qui à ſola opinione actus Morales ſuſpendant, ob cauſam nullam aliam, quàm qvia Moralia Contingentia eſſe, hoc eſt, non neceſſaria, quæque nullam cum rerum natura connexionem habent, eoq; poteſtati noſtræ ſubjiciantur, opinantur.

IV.

Subjectum est *Natura Intellectualis*, h. e. Rectæ Rationis capax: Nec in solum hominem, sed in naturas sublimiores, Spiritus nempe ipsumque Deum Moralia cadunt, sed modo longe eminentiori, quemq; attingendo non sumus. Unde in iis acquiescendum nobis est, quæ ad hominem pertinent, altius enim Intellèctus noster non assurgit: Ipsorumque Spirituum naturam ideo non perfecte, sed conceptu materiali tantum nobis sistimus, quod ultra id, quod corporeum est, intellectus noster utpote corpori alligatus, elevari nequeat: Ac proinde satis est hic demonstrari, Naturæ Spirituali ac Doctrinæ Moralium universali nostra non adversari. Quomodo Juvenes sint idonei Auditores Moralium, dictum ad similem quæst. in *Meditat. Polit. Dissertat. I.* Cur ab Aulis sæpe exulent, ratio est, quia qui in Aulis degunt, externis à teneris assvefiunt, eoque internas differentias post habent: Unde fit, ut dum hasce non penetrant, omnia ex externis metiantur in i sq; acquiescant. Mali non possunt dici Moralia verè scire, etiamsi argutè de iis disserant; In peccato enim semper Cœcitas est. *Tantum scu, quantum operaru*, ferunt S. Francisci frequens verbum fuisse.

V.

Finis est elevare Intellectum ad summam perfectionem, cujus capax est Recta Ratio enim. qvia recta est, perfecta est, & rectitudine, quia non datur rectius, non potest recta esse, quin summa sit: Summam ergo etiam hominis perfectionem quærit. Confirm. I. quia Recta Ratio intima penetralia hominis perficit, eumq; naturis sublimioribus assimilat, ad quæ, quo propius homo accedit, eò sublimius elevatur: Sublimior gradus autem esse nequit, quam ille est, qui in homine summus est. II. Doctrina Moralis Rectam Rationem docet exeri in omnibus personarum, rerum & actionum nostrarum circumstantiis; In his omnibus autem si homo rectæ Rationi se conformem præstat, ad summum gradum perfectionis suæ pervenit. Inst. *Non posse obtineri hunc finem.* Resp: Fore tamen Statum, in quo eo potituri sumus: In hac vita satis esse, si eò contendamus, vel certe nihil admittamus, quo infra Rationem dejiciamur. Indeq; sequitur summa Moralium Præstantia: Perficiunt enim interiora hominis, quod nulli alii Scientiæ licet: Cui indicio est, qvod hæc si absint, desinamus esse homines; Rationalem enim esse & conformiter

ter cum Natura Rationali non agere, contradictionem implicat. Secus se habet cum Disciplinis Theoreticis, qvæ si intellectum perficere videantur, ad interiora hominis tamen non necessario pertinere, evidenti Argumento est, qvod sine iis æque esse ac agere possumus, nec desinamus esse homines, etiamsi eorum cognitione destituamur. Et Scriptura Theoreticis recensendis minus operam dedit, quod in solis Moralibus humano ingenio tantum operæ ponendum sit, ut si iis rite uti velit, cætera omnia facile relinqvenda sint, nec uspiam in Sacris Theoreticorum ignari reprehendi leguntur; Stulti autem detestationi sunt, h. e., qvi Naturam Rationalem exuunt & Moralia ignorant. Et ipsam Theologiam Theoreticam ac Polemicam cordatiores Christiani ideo minoris faciunt, quia nihil sollicitudinis vitiis extirpandis & virtutibus inserendis relinquit, quod non est Sacra scire: Quemadmodum ille melius quid sit pingere novit, qvi imperite de Pictura disputans perite pingit, quam qui doctissime eâ de re dissertans indoctissimas Lineas ducit. *Lud.* Viv. in Satell. n. 209. *Vide mi Angele, qva nos insania teneat; Amare Deum, dum sumus in hac vita, plus possumus, qvam vel eloqvi, vel cognoscere. Amando minus laboramus, nobis magis proficimus, illi magis obseqvimur. Et tamen malumus quærendo per cognitionem nunqvam invenire, quod quærimus, quàm amando possidere, quod sine amore frustra etiam inveniremus.* Picus Mirandul. Epist. ad Angel. Der Thurn zu Babel ist eine gewaltige Præfiguration ins Neue Testament / und bedeutet den Geistlichen Stand. Denn wie jene einen so hohen Thurn bauen wolten der in den Himmel reichen solte: Also will ein jeder Geistloser mit seinen Büchern jetzo einen Thurn in Himmel bauen / darauff man hinein steigen soll. Wie aber jenes aus eigener Klugheit vorgenommen / also auch dieses: Und wie dort der Bauleute Sprache verwirret ward / also hat GOtt jetzó der Geistlichen Bauleute Sprache verwirret / daß keiner den andern verstehet / daher ist man zerstreuet in so viele Secten / wie dort in viele Sprachen und Zungen. Wie aber dort die närrische Leute abstehen musten von dem fürwitzigem und unnöthigem Gebäude / also werden auch die geistlichen Bauleute von ihrem Gebäude / von Büchern und vielen Disputationibus abstehen müssen / und einen andern Weg suchen / wollen Sie sich nicht selber neben ihren Zuhörern umb die Seeligkeit bringen. Derowegen ist hohe Zeit / daß wir den lebendi-

gen Glauben/ Fidem operosam, und das Edle Leben Christi in so vieler Leute Hertzen einzupflantzen anfahen / nachdem so viel Bücher und Buchstaben mit Dinten auff Papier geschrieben seyn: Das wäre Apostolisch und nicht Symbolisch/ *Joh. Arnd. in præfat Theolog. German.* Atque idem finis fuit, quo Illustris Fundator Gymnasii Bethaniensis in Silesia, Consilium Professionis Pietatis instituendæ antehac cepit: So viel den Professorem Pietatis belanget / ist meine Meinung nicht/ daß derselbige diejenige vier Stunden/welche Er zu seinen publicis lectionibus die Woche über haben und verrichten soll/ der studierenden Jugend ex Sacris Bibliis was interpretiren oder die Capita Doctrinæ Christianæ nach dem gemeinen modo, wie sonsten in Schulen üblich und bräuchlich / proponiren oder dergleichen was commentiren solle; Sondern es soll derselbe einig und allein der studierenden Jugend Unterricht und Anleitung geben/ wie Sie in ihrem Christenthumb sich verhalten/ ein recht Gottseliges heiliges Leben führen/ und die gantze Theologiam und alles was im Alten und Neuen Testament zum Christenthumb gehörig/ ad realem praxin und würckliche Ubungen in omni vitæ genere bringen möge/ wie denn zu solchem Ende gerichtet seyn die Meditationes und Soliloquia Augustini, Bernhardi, Sermones Tauleri, Meditationes Gerhardi, pleriq; libri Theologici Casmanni, und sonderlich des Thomæ de Kempis Büchlein de Imitatione Christi, item de casibus Conscientiæ Perkinsi &c. Doch soll dem Professori pietatis hiedurch nicht benommen seyn / aus dem Alten und Neuen Testament ein Buch oder ein Caput, oder auch ein gewisses Dictum nach Gelegenheit der Zeit und Zuhörer zu nehmen / und seine Praxin darinne zu fundiren / jedoch ohne einige Disputation und weitläufftige Commentation. Denn wann die junge Studiosi Theologiæ bald anfangs nur auff hohe Fragen / tieffe Reden / scharffe Disputationes und anderes subtiles Gezänck verleitet/ darinnen unterwiesen und darauff angehalten und nicht zugleich mit und zwart zuforderst ad pietatem angeführet/und angezeiget wird / wie dieses vor jenem nothwendiger und nützlicher/so hänget Ihnen dasselbe aus eingebildeter Geschicklig keit und hohem Verstande nachmahls lange an/ werden unruhige und zanckfüchtige Leute/die folgends übel oder langsamb zu einem demüthigen niedrigen Geist / und Gott-

Gottseeligen eingezogenen stillen Leben und Wandel zu bringen seyn. Welches/ was es der Evangelischen Kirchen bißhero vor Schaden und Nachtheil gebracht / auch wie hochschädlich solches derselben sey/ giebet die tägliche Erfahrung zur gnüge zuerkennen. Darumb so ordne und will ich/ daß diese Profession für allen andern in acht genommen und darzu ein recht und Gottseeliger / frommer / eingezogener / stiller und nicht zänckischer Mann genommen und bestellet/ solche Profession auch für und für in esse erhalten werden solle.

VI.

Acquirendis Moralibus inprimis S.Scriptura opus est; Tradit enim perfectissimam recte vivendi rationem, eoq; illud qvod Rectæ Rationi maxime congruum est. Antecedens jam alibi demonstratum. Vid. *Grot. de Ver. Rel. Christ. c. XX. th. 11. & seqq.* Extra Scripturam Moralium communis defectus est, quod rationibus & demonstrationibus adhuc careat, unde illa de suspensis ab opinione nostra Moralibus perversa sententia, de qua §. III. jam tum actum. Videturque Moralium ratio hac in re plane dispar esse à Naturalium scientia, quam Physicam dicunt; Ea hactenus merito sorduit, quamdiu rationalis fuit, h. e. in universalibus & rationibus reddendis occupata, cum singularia defuerint, quibus ista niterentur; Econtrario in Moralibus singularia se mediocriter hactenus habuere. At quia rationibus carere visa sunt, quibus necessitas factorum istorum demonstraretur, non minus neglecta fuerunt. In his igitur adhuc laborandum restat Libris Moralibus, ut rationes exemplis applicent, easq; eadem necessitate, qua aliæ disciplinæ instructæ sunt, cohærere demonstrent, Confer. *Polit. Parall. Dissert. I. §. I.* Speciales nævos librorum Ethicorum itidem exhibuimus *Polit. Parall. Dissert. I. §. XI.* atq; alia præsenti volumine nonnullibi forsan exhibebuntur. De Moralistis & Casuistis Catholicis singulariter monemus, eos caute legendos esse; Quantumcunq; enim Conscientiæ prætendant, non aliter tamen Moralia sua determinant, quam Ratio Status Catholici patitur. Vid. imprimis quæ de Irregularitate, de Operibus meriti & peccati, de Peccatis Mortalibus & venialibus, de Votis castitatis & Religionis tractant, qvæ omnia ex principiis domesticis, non ex dictamine conscientiæ eruunt Hincq; porro sequitur, eosdem superfluis laborare ad religionem eorum quidem facientibus, sed non ad forum Conscientiæ, quod ex interiori natura rei dijudicat, non vi legis inter-

interveniéntis. Et licet magna pars eorum obligationem gignat, non aliam tamen gignit, quam quæ à Legibus Civilibus nasci solet: Quæ itidem obligant in Conscientia, non tamen quia Conscientia naturam rei assequitur, sed ideo tantum, quia Conscientia Legi impositæ non reluctandum esse agnoscit: Unde nec adeo Forum Conscientiæ, quam determinationes Juris Canonici explicare & approbare videntur. Accedit omnes Moralistarum hypotheses in primum istud principium resolvi posse: A sede Romana rem ita determinatam esse, quod iterum obligationem Conscientiæ ad Leges Humanus qvidem infert, sed nihil ad intimam naturã rerum facit, nec ulla in intellectu nostro stringens ratio est, qua Principio huic adhærendum esse nos obligatos profiteamur. E Protestantibus, qui de Casibus Conscientiæ egerunt magno numero non extant; Et quicquid bonæ frugis è libris eorum universo huic proposito inservire possit, id potissimum inter Scriptores Consiliorum, Consistorialium & Epistolas celebriorum Doctorum quærendum erit. Hujus generis sunt Consilia Melanchtonis, Bidenbachii &c. Et ex Epistolis, Epistolæ Lutheri, Melanchthonis, Bezæ, Calvini, quæ pleræq; non nisi casus & magnam partem practicos determinant. De insigni libro *Praxis Pietatis* nomine notô singulare judicium est *Johannis d' Espagne*, sed frigidiusculum. Desideratum *Vechneri* Professoris Theologiæ in Gymnasio Bethaniensi de Professione Pietatis instituenda, jam commatibus aliqvot exhibuimus *Polit. Pauli, Dissert.* X §. *VIII.* quod huc transferendum. Suntq; verba ante laudata ipsius Illustr. Fundatoris hanc in rem repetenda. Ac simili prorsusqve singulari consilio idem Professionem Morum ab Ethica vulgari & Politica distinctam in Gymnasio suo constitui voluit, consilio certe incomparabili, quodq; & hac in parte geminum in omnibus Academiis non tulit, sed dignissimo, quod Academici & Academiarum Fundatores sibi adhuc proponant: Den Professorem Morum anlangende/welche Profession ich für hoch und im menschlichen Leben sehr nöthig und nützlich erachte/da ist meine Meinung nicht/ daß derselbe die Jugend und Knaben/ wie sie sich in einem und dem andern bey Tische/ im Hause gegen den Præceptoribus und sonsten allenthalben in ihrer Jugend zuverhalten haben [denn solches haben Sie in ihrer Jugend von ihren Eltern und ersten Præceptoribus zuerlernen/sind auch hiervon unterschiedliche Handbüchlein verhanden] sondern meine Meinung ist/ daß Er diejenige/ so ihre Studia mehren-
theils

theils absolviret / und vorhabens seind in einen gewissen Stand zu treten / und entweder selbst zu regiren / zu dienen / oder sich bedienen zu lassen / informiren / unterweisen und lehren solle / wie sie sich in Reden und Gebärden tàm publicè quàm privatim in omnibus actionibus & in quovis vitæ genere gegen jedermänniglichen / so wol denen so Standes und Ehren halben ihnen gleich / auch unter Ihnen seyn / verhalten solle / rc. Dann die Erfahrung bezeuget / daß den Gelährten unter den Evangelischen / so niedriges Standes seynd / sonderlich den Theologis, Pastoribus und Philosophis in ihrem Auffnehmen / Fortkommen und nützlichen anlegen ihrer Studien offtmals nichts mehr verhinderlich ist / denn daß sie in moribus so gar nicht unterrichtet / und sich gar nicht gegen den Oberen und in das gemeine weltliche Wesen und Zustand zu schicken und zu richten wissen / gereichet auch der Evangelischen Kirchen nicht zu weniger Verachtung.

VII.

Dignitas Doctrinæ Moralis nostræ jam ante exhibita, breviterq; de ea repetimus, eam in tribus hisce consistere, quæ cum nulla disciplina humaniori, vel facultate etiam extra Theologiam communia habet 1. qvod universam Naturam rationalem eoq; naturas homine sublimiores, Angelos ipsumque Deum, modo tamen eminentissimo respiciat. 2. Quod per hanc solam homo id sit, quod est; Sola enim docet vitam rationalem. 3. Qvod sola Intellectum satiet, cum cæteræ disciplinæ intellectum perficiant qvidem, sed non satient. Ratio exqvirenda ex præced. Thes. V. Finis ejus enim est elevare Intellectum ad summam Perfectionem, cujus capax est. Discrimen à Theologia Morali nullum agnoscimus; Si enim sine Theologia sit, incompleta est, nec intellectum satiat: Si quid doceat, qvod in Theologia non sit, falsum est: Et rursus quicquid Moralium citra Theologiam & Verbum Dei revelatum novimus id omne Theologia itidem exhibet. Superflua ergo erit talis Doctrina Moralis: Accedit principiorum utrinq; conformitas, rem ideo nimirum agendam esse, quia cum recta Ratione congruit, quæ ipsius S Scripturæ continua est demonstratio. Objiciunt Principiorum diversitatem, Doctrinam Moralem demonstrationibus, Theologiam Autoritate niti. Resp. 1. Scripturam eoq; Theologiam itidem demonstrationibus uti, Autoritatem vero iisdem addere ad modum boni Legislatoris, qui non tantum utilitatem rerum faciendarum

Subditos docet, sed iisdem rationes necessitatis talia jubendi adjungit.
2 In altera vita diversitas ista principiorum expirabit, & tamen Moralia eodem in loco permanebunt, quod est quod Apostolus indicat: Fidem, Spem expiraturas, Charitatem vero perstituram. Eadem pluribus demonstrat consummatissimus Theologus Amesius in *Philosophematis & Med. Theol. Lib. II. c. 11. §. 15. & seqq.* ac ante eum *Petr. Ramus ap. Ames. c. l. §. XVIII.*

CAP. II.
DE
SENSIBUS.

I. Primum Principium in Moralibus: In Spiritibus Sensus ab Intellectu non differre.

II. Quid Imaginatio, Somnia, Cogitationes, Memoria, Experientia?

III. Causa Imaginationis: Cur cum progressu temporis extinguatur; Expl. dicti, Aus den Augen/Auß dem Sinn.

IV. Vires Imaginationis: Causa Doni strumas sanandi Regum Galliæ & Angliæ.

V. Quid de Imaginationibus Exaltatis Paracelsi sentiendum?

VI. An Conceptio fœtus animati per solam Imaginationem mulieris fieri possit?

VII. Illusio Imaginationis; Ejus effecta in operationibus Magicis. An Imaginatione depravata peccetur? An Medici Imaginatione laborantibus Medicina Imaginaria se recte accommodent.

VIII. Somniorum consideratio: Quædam eorum esse genus loquendi per Imagines.

IX. Onirocritices Examen.

X. Brutorum Somnia: Cur Deus Homines in Somniis alloqui amaverit? Expl. Dicti Joel. II. Juvenes vestri visiones videbunt & seniores Somnia.

XI. Discrimen Somniorum a Sensionibus.

XII. Cogitationes Regulares, Irregulares; Eorundem vanitas.

XIII. Quomodo pravis Cogitationibus abstinendum? Remedium adv. Cogitationes Blasphemas.

XIV. An & quomodo Cogitando peccetur? Cogitationes Speculativæ & Practicæ.

XV. An

XV. An Angeli Cogitationes nostras videant?
XVI. Memoriæ Consideratio: Cur apud Juvenes validior sit? Quid de Memoria Artificiali? Quid de Imaginibus Disciplinarum retinendarum causa inventis?
XVII. De memoria Intellectus: An Pii recordaturi sint Actuum Humanorum & Peccatorum in altera vita? An peccata Piorum æque ac Impiorum in Judicio extremo sint publicanda?
XIIX. Experientiæ Consideratio; cur Stultorum Magistra sit?
XIX. Oblivionis Consideratio. Præscriptio, Tempus Immemorabile.

I.

PRimum Principium, in quod omnia Conclusa Moralia resolvuntur est: *Rem congruere cum Recta Ratione.* Huic ergo inhærendum, eidemque distinctius evolvendo Naturæ Humanæ, ut pote Substantiæ Intellectualis penitiori consideratione opus erit, quantum & quousque se parem præbeat hinc expectatis Actionibus. Initium nobis *Sensus* erunt, hi enim in homine diminutæ participationes Intellectus sunt; *Sunt secundum naturalem originem quodammodo ab intellectu, sicut imperfectum à perfecto.* Thom. in Q. LXXVII. *Art.* 7. *Sunt vires cognoscitivæ quorundam specialium generum, sicut* Intellectus ipse universorum. Cajet. *in Im. Thom Q. CVII. Art. 1.* At proinde nec in sublimioribus Naturis ab Intellectu differunt; Hoc est, *prahabent eminentius, quicquid omnibus sensibus convenit. Cajet. ibid* Sic Angelorum videre est cognoscere, Audire rem cognoscendam vel cognitam apprehendere. &c. Vid. Dd. Scholasticos passim.

II.

Sensus fiunt per impressionem à Qualitate aut accidente aliquo externo in organum, ut oculum, Aurem &sim: Quam impressionem *Imaginem* vocamus, Scholastici speciem, unde sensus per species fieri scribunt, h. per imaginem corpori communicatam; Quorum accuratior consideratio Physicæ relinquenda, veluti & cætera, quæ ad Sensuum Externorum naturam pertinent. *Facultas retinendi hanc Imaginem est* Imaginatio; *Series Imaginationum sunt* Cogitationes: Somnia *sunt Imaginationes Dormientium*: *Facultas repetendi Imaginem est* Memoria; *Memoria* mul-

multarum rerum est Experientia: Quibus, utpote propositum nostrum propius attingentibus, hoc caput impendendum duximus.

III.

Causa Imaginationis in motu qværenda, qvi statim sedari non potest: Sicuti enim in motu rerum evenit, ut si motus sistatur, is non eo ipso momento, sed gradatim & cum progressu temporis extingvatur, veluti in mari videmus, cessante Vento fluctus non statim desinere, sed sensim imminui: Ita quoque contingit in motu partium internarum hominis, cum sentit, videt &c. Postquam enim objectum remotum est, vel oculus clausus, Imaginem tamen rei visæ retinemus, quanquam aliquanto obscuriorem & evanidam, cujus rei iterum causæ sunt. 1. Sensuum deficiens motus, qvi impressionem primam fecerat. 2. Objectorum aliorum interveniens prædominatio; succedentibus enim objectis aliis præteriti illius Imaginatio obscuratur & diluitur. Atque adeo cur interjecto longiori tempore à visione vel sensione alicujus rei, ejusdem sensu minus afficiamur, ratio est, quia ob debilitatem impressionis & intervenientia objecta alia Imaginatio dilutior redditur. Unde etiam lucem accipit notum apud Germanos dicterium: Aus den Augen/ aus dem Sinn. Præteriti Imaginatio n. ab intervenientibus novis objectis diluitur.

IV.

Vires Imaginationis consistere putamus in spirituum inclinatione ac mutatione. *Res natura compertissima est*, inquit Jacobus Rex Angliæ *viribus imaginationis spirituum unionem fulcientis, naturam non raro morbos delere. Hinc in odontalgia & doloribus Colicis Æsulapios qvotidie habemus novos, Callosos Agricolos, Anus deliras, simplices Ancillas. Hi sacrum sc. exhibent agris Antidotũ suumq; aut amicorũ periculis notum, admittit credulitas, sanat fiducia: Vides ut illis prosit* ignoratio veri. Misoc. p. 204. Sic à superiore excitati audaciores reddimur, & sola imperatoris vox maximis copiis animum addit; Imaginatio enim spiritus fiducia melioris naturæ attollit; Et in ipsis Brutis Canes longe confidentius obvia impetunt, si à Dominis excitentur, moti quippe itidem fiducia melioris naturæ: E contrario pudoris etiam & timoris contagiũ sentimus, ut uno fugiente, alii quoq; in fugam inclinent, Imaginatione spiritus occulte constringente. Plura exempla vid. apud *Verulam. Histor. Nat. Centur X.* Atque Donum *Strumas sanandi* apud Reges Angliæ & Galliæ usitatum jam alibi etiam huc retuli-

retulimus; Nam vulgus, dum recolit & veneratur tantam summorum Monarcharum facilitatem, qua vilissimis quoque sui copiam faciunt, facile Imaginationi aliquid dare potest, cienturque ad præsentiam Domini sui spiritus atque occulta veluti transmissione recreati movent tandem, trahunt & adversantia vincula perrumpunt: Quam rationem & circumstantiæ corroborant; Ideo nim. Aurum appendunt, ut Imaginatio instauretur ac renovetur; Et recidivam patiuntur ægri, si Aurum a Rege appensum amittatur, non aliam ob causam, quam quia spiritus incitamento suo carentes ac segniores redditi pristinæ naturæ contumaciæ de novo se subdunt; Nec omnes sanantur, quia languidior ipsorum Imaginatio impar est excitandis tot Spiritibus, qui mali gravitatem amovere possent. Vid. plur. *Not. Dign Illustr. Diss V. c. 11. §. IV. & seq.* Facitque porro pro jure horum actuum 1. Quod eadem hic ratio sit, quæ Medicorum, dum Imaginationi ægrotantium mediis extraordinariis consulunt. vel dum aliquis falsum alteri proponit, aut furtim aliquid eripit majoris boni procurandi causa, & cujus respectu ipse alter facile permisisset, rem talem sibi persvaderi aut eripi: De cujus legalitate vid. *Grot. J. B. L. III. c. 1. §. 14.* 2. Actus vitæ Socialis est, qvæ veluti nunquam ab omnibus incommodis libera est, ita id eligit, quod minora incommoda secum habet. Hi vero dum fiunt, innocui sunt, omissi contemptum Principum apud Subditos, tanquam inferiorum antecessoribus ipsorum, apud adversarios vero legalitatem eorum in dubium vocandi similiumve occasionem gignunt. Unde Angliæ Regina Elisabetha, licet moraretur aliquandiu sive de successu. sive de justitia rei dubitans, jactantibus tamen immoderatioribus Catholicis, Deum Reginæ abstulisse hoc donum, quod Religionem Romanam deseruisset, sibi consultura se accinxit ei, nec dispari ab antecessoribus suis successu. Alii eosdem miraculis accensent; Sed nullum tale exemplum Miraculi aut Doni Miraculorum certæ Nationi, Regno, loco, familiæ, ordini hominum & quidem Regum perpetua successione affixi in V. aut N. Testamento ostendi potest. Vid. *Voet. Vol. II. Diss. de Mirac. p. IV. §. 5* Add. *Orat de Don. Strumas san. cit. l. Not. Dign. Ill.* Petrus de Andlo rationem reddit, quia Reges plus participent de Divina Influentia, eoque singularem quandam virtutem in ægrotos habeant: Quæ refutari non meretur.

V.

Q. Quid de Imaginationibus Exaltatis Paracelsi & Gregalium sentiendum? *R. Verulamius Nov. Org. L. I Aphor. 87.* Tantū inter horū vani-

tates & veras artes interesse, quantum inter res gestas Julii Cæsaris aut Alexandri M. & res gestas Amadisii ex Gallia, aut Arthuri ex Britannia in Historicis Enarrationibus interfit. *Solam animi passionem fides naturalis mutat, sicut amor & cæteri affectus faciunt, exteriora vero nequaquam, nisi ad quæ operatio animæ per Corpus pertingit: Nugæ ergo sunt, nec unquam Imaginatione sua vel membrum curasse leguntur, vel si curare potuerunt, cum plerique Chymici fuerint, cur in Medicamentorum Chymicorum laboriosam præparationem tantum temporis impenderunt, vel hodienum impendunt?* Campanell. *de Rer. Nat. L. IV.* §. 4. Conf. Sennert. *de Consf. & Diss. Chymic. C. XIII.*

VI.

Q. *An Conceptio Fœtus animati per solam Imaginationem Mulieris fieri possit?* R. Affirmativæ rationes & Exempla allegat *Alph. Carranza de Part. Nat. & Legit. C. XX. Q. 70.* Pro eadem pronunciatum in Parliamento Gratianopolitano A. MDCXXXVII. Fœmina Nobili constanter asseverante, se sola Imaginatione, præsentis mariti *Hier. Augusti de Montleon*, qui quadriennio cum Cardinali Valetto in Alsatia absfuerat, ibidemque obierat, concepisse, ac filium enixam fuisse. Sed Sorbona sententiam hanc reformavit, causata eandem non tantum palliandis qvibusvis impuris amplexibus obtentui fore, sed in ignominiam Sanctissimæ Conceptionis Christi cessuram. Vid *Erasm. Francisci* Lust-Schaub. *p. 11. Sect. 6. p. 1213. & seq.* Quibus addimus, Naturam semper præsupponere materiam, in quam agat, quæ hic nulla est; Neque n. ullis Imaginationis viribus semen virile produci potest. Molas tamen, sed non vitales, ita conceptas, certe gestatas fuisse Medici agnoscunt: Imaginaria Venere talem informem concretionem relinquente, æque ac natura Autumnali tempore Tubera producit, Imaginarium Regnum Vegetabile ita meditans, quia satis virium ad herbas producendas non amplius habet. Vid. pluribus *Paul. Zachias Qq. Medico Legal. L. I. Q. IV. n. 27. et seqq.*

VII.

Illusio Imaginationis a sensu haut recte affecto nascitur, cujus innumera specimina passim prostant: Referendaque huc inprimis magna pars Operationum Magicarum, quæ si illusiones non semper sunt, pleræque tamen dubiũ relinqunt in tanta illusionum circa eas copia, utrum sensibus vere congruant, necne, cum indubia earum ratio ex sensu corporeo reddi nequeat;

nequeat; Veluti si reæ fateantur, se in Bructerum montem translatas fuisse, sufficiens translationis indicium id non est; Nulla enim sensualis facti certitudo inde nascitur, sed potest illusio Imaginationis esse. Vid. *Excell. Dn. Stryck. Proœm. de Jur. Sens. n. 52. & 62.* Eædem si damnum se vicinis dedisse asserant, itidem fidē non semper merentur, nisi sensus aliquid insolitum ac præternaturale doceant; Experientia n. toties comprobavit, Satanam mancipiis suis Phantasiam impresisse, ac si ipse Sagarum nomine patrasset, quæ alias naturaliter contigerant. *Id. ib n. 48.* Q. *An Imaginatione depravata peccetur?* R. Nisi consensus accedat Neg. In Imaginatione n. qua talis est, nullus assensus, neque munus ejus est, judicare rem hoc aut illo modo esse aut non esse, sed simpliciter intueri imagines. Vid. *Zacbias Qq. Medico Leg. L. II. Tit. 2. Diss. IV.* Q. *An Medici Imaginatione laborantibus Medicina Imaginaria se recte accommodent?* R. A. 1. Quia Actus innoxius est. 2. Majus Bonum procurant, ægroti n. ita liberantur carceribus obscuratæ Rationis. 3. Eodem modo laborantium gravidarum Imaginationi consulitur, nisi mulierem in evidens abortus periculum conjici velis. Qua de re vid. plura *infr. C. XIII. §. VII. & seqq.*

VIII.

Somnia *sunt Imaginationes Dormientium.* Procedunt ab agitatione partium Corporis sentientis, quæ dum motus earum non plane compositus est, organa excitant, faciuntque ut Imagines appareant tanquam vigilantibus: Quæ Imagines si rerum præteritarum sunt, æque ac Imaginationes cæteræ antea extiterunt vel integræ, vel per partes. Si Rerum futurarum, ab Anima quidem proficiscuntur, sed modo ferme incognito; Cuncta hujus generis Somnia enim divina dici haut facile possunt: Et interea dictu difficillimū, qui Anima nostra utpote rebus terrestribus immersa Imagines rerum futurarum & sæpe quidem mere contingentium prævidere & exhibere possit? Dixerisque proinde Somnia hujusmodi esse loquendi genus per Imagines, ad eum modum, quo Literatura Hieroglyphica apud veteres fuit, quæ per Imagines rebus similes earum naturam exprimebat, Præsagia vero retuleris ad reliquias perfectionis Animæ sibi relictæ, ut non tantum futura quædam hominem suam attinentia prævideat, sed etiam naturam rerum prævisarum exhibeat, instituta ipsorum cum aliis comparatione, eas vero quia corpori alligata est, clarius cum homine suo communicare nō possit; Vel certe ut Anima sibi relicta prudentibus conjecturis id prævideat,

sicque

sicque Homini suo communicet, quod alias, utpote in & cum Homine operans, nec prævidere nec communicare poterat. Ab Animæ natura vero alienam non esse sublimiorum ejusmodi aliquarum rerum prævisionem vel Adami exemplum in statu Innocentiæ docuit, quem absentia contingentia, quæ ad ipsum pertinebant scivisse argumento est, quod Evam, cum evigilaret, non tantum sibi junctam fore statim cerneret, sed etiam ex ossibus suis formatam sciret. Absentia Contingentia vero scire & futura præscire actus ejusdem facultatis sunt.

IX.

In hisce ex parte clarebit, quid de *Onirocritice* sentiendum sit? Cui ut distinctius respondeamus, monendum est de Somniis Naturalibus inprimis Quæstionem esse, eaque veluti distinctis generibus constant, ita distinctis quoque Responsis explicari opus habent. Nimirum aliqua Somniorũ Naturalium oriuntur ex diuturna cogitatione, vel ardenti erga rem aliquam affectu, unde Somnia de eadem tanqvam reliqviæ motuum â vigilantibus agitatorum se habent, de qvibus supra: Iisque addimus verba *Gregorii Nysseni Tract. de Opif. hom c. 31.* Somnia ex diurna cogitatione esse quasi in fidibus cessantis impulsus extremas quasdam motiones, quæ ex impulsu resultent, eoque cessante adhuc aliquandiu perdurent. Horum igitur nulla ratio haberi poterit ex causa eadem. Alterum genus Somniorum est, quod ex temperamento & humore prædominante nascitur: Veluti biliosi somniant cædes verbera & ignes; Phlegmatici aqvas, voragines & à rebus noxiis tardam fugam; Sangvinei Musicam, Convivia, prata; Melancholici Mortem, sepulchra, spectra; Horum itaque etiam minor ratio haberi poterit, nisi quod certa præsagia sint affectuum, subinde etiam sanitatis & morborum imminentium, indicant enim talem humorem mixturamve in corpore dominari. Huc referenda & Somnia post sumptum cibum obvenientia: Quæ ideo tanquam non significantia rejiciunt Onirocritici, iisdemque somnia matutina præferunt, qvia spiritus mane liberiores, noctu vero vaporibus ex cibis intermixti sunt, ut vulgo loqvuntur, s. potius ob pressuram succedentium ex cibo novorum spirituum coarctantur. Extra hos casus, siquid Somniorum sit, cujus claris Imaginibus res subsecutæ responderint vel respondeant, id vel ex priori Thesi desiderio Animæ homini suo futura ipsum attinentia communicandi, vel nequid durius videamur sentire, prudentibus conjecturis sibi relictæ animæ attribuendum

ducimus

ducimus, ad eum modum, quo Savanorolam aliosque nostrorum temporum eruditos Vates judicasse legimus. De Somniis divinis dubium non est, divinationem ex iis esse licitam, sed ei tantum qvi eorum significationem à Deo vel Angelo accepit. Vid. exempla Josephi & Danielis: De Somniis superstitiosis & diabolicis non opus est ut verba fiant, trahendumque eo 18 v 10. Tutissimum tamen toto hoc negotio interpretandi ...ere: Veluti enim in genere difficilium ac dubiarum rerum propositiones in vita humana vitamus, qvia connexio earum ab Intellectu humano pervestigari vix potest; Ita hic quoque quia dubia Imaginum istarum connexio cum actionibus nostris plerumque manet, satius est judicio abstinere, quam intempestiva curiositate offendere. Insigne illusionis ex Somnio exemplum in Nerone eluxit apud *Tacit. init. 16. Ann.* cui Cesellius Bassus nocturnæ qvietis imagine ad spem haut dubiam retracta tantopere imposuit, ut divitiarum Somnio Bassi promissarum expectatio inter causas paupertatis publicæ numeraretur. *Tacitus ib.*

X.

Brutorum Somnia non magna dilucidatione egent, cum non sint nisi reliquiæ Imaginationum diurnarum. *Cur Deus Homines in Somniis alloqui amaverit*, itidem ex prioribus pendet, quia Anima tunc liberior est, eoque aptior, quæ res sublimes capiat, seu ex Aristotelis ratione *Tr. de Divinat. ex Somn. capienda c. 2.* Quia Anima interdiu subtiliorum motuum ac Sensionũ minus capax est. Rursus cur Senes in specie Somniis, at Juvenes visionibus dignatus sit, *ut Joel. II.* Juvenes vestri visiones videbunt, & *Senes vestri somniabunt somnia*, Ratio eadem est, qvia visiones magis in sensualibus, Somnia talia vero in Intellectualibus versantur; At hisce Senes, Sensibus vero ac Phantasia Juvenes prævalent. Q. *An Somniando peccetur?* Resp. Neg: Est enim actus Imaginationis, qvam in potestate nostra non habemus; Sed si accedat complacentia vigilantis circa rem illicitam in Somnio visam Peccatum nascitur, ob consensum subsecutum. Conf. supr. §. VII.

XI.

Discrimen Somniorum à Sensionibus dictu difficile est, inprimis dum clariora sæpe sunt imaginationibus vigilantium. *Hobbesius* tale discrimen reddit. *Hominem qvoties consideret, se in Somniis nec sæpe, nec constanter easdem res, loca, personas & actiones sibi imaginari, qvas*

vigilans conceperit, nec tam longam seriem cogitationum cohærentium sibi somnianti occurrere, qvam alius, & vigilantem Somniorum suorum absurditatem videre, qvam Somnians Cogitationum suarum vigilantis non videat, satis persuasum habere posse, vigilantem se scire qvod non somniet, qvanqvam somnians sibi videatur vigilare. Qvod clarius ac brevius ita dici posse opinamur: Somniantem in ipsis Somniis suis carere actionum connexione, ac proinde non vigilare; In vigilantibus enim semper aliqva connexio est, atq; adeo ratio ab officio suo in Somniante abstitit, æqve ac alibi etiam, dum absistit, hominem ex statu ordinario suo exturbat. Sic insania qvi laborant, actionum connexione etiam vigilantes carent, ratione officium suum non faciente. de qvo *seq. cap.* Sicq; ratio etiam in somniante officio suo non fungitur, non tamen per privationem aliqvam, qvod Insaniæ est, sed suspensionem exercitii, impedita qvippe à qviescentibus Sensibus: Tunc verò inter Somnia & vigiliam distingvere difficillimum esse iterum cum *Hobbesio* agnoscimus, qvando casu aliqvo fit, ut minimè advertamus nos dormivisse, qui illis contingere solet, qvi in profundis cogitationibus circa res vel expediendas vel expeditas versantur: Unde & phantasmata insolita & miranda, quæ tunc ipsis obveniunt, æqve facile imagines Somniantium, sed qvi ignorent se dormire ac veras apparitiones interpretaberis. Sic scelerum Rei, dum in carceribus hærent, spectris se agitari credunt, dum animo in scelus suum defixo extra se rapiuntur, & ignari se dormire, imagines somniant qvas revera se vidisse postea opinantur: Similiter Brutus legitur nocte diem, qva pugnatum est contra Augustum antegressa, phantasma horribile vidisse, quod tanqvam vera visio ab Historicis narratur, sed ab eo, qvi consideraverit singulas hujus rei circumstantias, non visionem, sed breve Somnium habuisse, facile judicabit. Sedenti enim in tentorio & ob horrorem temerarii facti sui tristi & cogitabundo, nec bene sopito, sed dormitanti tantum propter aërem non satis calidum somniare facillimum erat de eâ re, qva maximè terrebatur, & propter eundem terrorem paulatim rursus evigilare, & simul existimare spectrum istud qvod appparuerat, paulatim evanescere; Et qvia dormiisse se nesciebat, nesciebat etiam fuisse Somnium, aut aliud qvicqvam præter rem vere visam. Hactenus *Hobbesius Leviath. c. 2.*

XII. *Series*

XII.

Series Imaginationum sunt Cogitationes nostræ, h. *Successus Imaginationis unius ad aliam.* Suntq; *Regulares*, qvarum justa series & cum desiderato fine connexio est. *Irregulares*, qvæ justa connexione carent: Hæ evidentius qvidem in homine inconstante & sui parum compote, item in iis qui in solitudine sunt, apparent; At communi vitio primi lapsus nostri nos omnes habent: Qvod unusqvisq; facile deprehender, si per dies aliquot cogitationes suas bona fide consignaverit; Non posset non enim pudenda Impietas vel stultissima vanitas earum repræsentari. Evidenti sane indicio nimis depravati per lapsum Intellectus nostri, qvi inter mille functiones nostras vix unam, quæ frugi sit, exercet.

XIII.

Tanto difficilioris vero & consilii & laboris est, *qvomodo pravis Cogitationibus abstinendum sit*, dicere. Respondent, id fore, 1. Si occasionibus earum non indulgeamus: Cogitationum mola assidue volvitur, & qui illi non tradit solida Tritici grana frangenda, paleas molit, & sic nihil præter pulverem, ventum & ipsissimas inanitates reddit. *Besold. Axiom. P. I. c. II. Ax. XCIIX.* In seriis ergo si versemur, vanitati cogitandæ locus non erit: Ideo porro (2.) jubent nos assvefieri, ut hujusmodi res tantum cogitemus, quarum, si quis nos subito interroget, confestim rationem reddere possimus. *Subinde hoc Teipsum interroga: Qvam ad rem nunc utor animo meo? Atq; examina teipsum: Ea pars quam Principem vocant, qvomodo nunc habet? Cujus animo praditus sum? Num pueri, num adolescentis, num mulierculæ, num Tyranni, num Jumenti, num feræ? Besold. c. l. Ax. XCIX.* Wir vergleichen unsers Gemüths Empfindligkeit einem Spiegel / welcher / so Er recht helle / klar / schlecht / eben und gut ist / so nimmt er recht und warhafftig aller Dinge gantze Bildnüsse in sich / und stellet sie einem jeden zubesichtigen gantz reine unter die Augen. Aber so er angestrichen / besudelt / voll Kieß grießlicht / oder sonst unreine und tunckel ist / so erscheinen darinnen aller Dinge gestalten schlim / falsch und anders / als sie in der Warheit sind. Eben das ists / das der HErr Christus bezeuget Matth. 22. Dein Auge ist deines Leibes Licht rc. So viel ist daran gelegen / daß man ein klares Auge habe. *Autor* des Gedanckenhüters *p. 2.* (3) Con-

tra *tentationem Cogitationum Blasphemarum* in specie convenientissimum Remedium suppeditant. *illas contemnere*, nec surgentes formidare, sed aspernari, ne Timor illis addat vires reddatq; fortiores. *Besold. c. l. Ax. LVII.* Querenti *Cogitationes non esse in potestate nostra*, respondet idem: In potestate nondum perfectorum haut existere originem ac principium suarum cogitationum; At Deum invocantibus ipsum in vera fide id facile largiri. Huc pertinent dicta S. Scripturæ. *Prov. V. v. 1. Fili mi, attende ad sapientiam meam, ut custodias cogitationes.* Num. XV. v 19. *Recordentur omnium Mandatorum Domini, nec seqvantur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes.* Add. *Jerem. IV. v. 14. Jes. I. v. 16, Prov. III. v. 6. &c.*

XIV.

An & qvomodo cogitando peccatur, distinctione inter *Cogitationes Speculativas & Practicas* explicuimus *Polit. Parall. Diss. XV. §. IV. Speculativa* sunt, cum per seipsas & nudæ manent, sine appetitu, consilio aut electione, qvæ eam antecedat, aut seqvatur. *Practica* contra delectationem & deliberationem habent annexam. Illas innoxias diximus, nec pro Peccatis habendas, qvia Cogitatio talis prævenit Voluntatem, ante voluntatem vero non est Peccatum; Practicas vero pro Peccatis habendas. Conf. *Comit. Resp. Moral. Lib IV. Qv. XLVI. num. IV.* Quæ Cogitationes, quo in foro & quousq; puniendæ sint dictum *ibidem.* Vid. pluribus *Excell. Dn. Stryk. Tr. de Jur. Sens. Diss. X. c. VI.*

XV.


Q. An Angeli Cogitationes nostras videant? Resp. Aff. Sed per indicia, h. impressiones factas in corpore ab affectione Animæ, eæque licet nos lateant aliqvando propter maximam inclinationem Animæ ad corpus; Non latent tamen Intellectum Angelicum propter sui abstractioni à corpore & naturæ subtilitatem. *Antonin. Summ. p. 2. qv. XXVI. ibr. III.* Si objiciatur, pari ratione ab iis posse cognosci actus nostros in[illegible] omnes. Respondet Indicia illa non esse tantæ simplicitatis, qvan[illegible] sit ipsa voluntas, cujus sunt indicia, & ideo Cognitionem Angelicam se ad indicia extendere, ad ipsas vero Cogitationes tanqvam longe Simpliciore neutiqvam, cum eas cognoscere solius Simplicissimi Dei sit. Summa Responsi est: Cogitationes animæ mere internas ab Angelis cognosci non posse, quia actus interni sunt, qui soli Deo sunt pervii:

Et

Et causa alias nulla esset, cur non Angeli etiam suas invicem Cogitationes cognoscerent, qvod omniscios, h. non Angelos faceret, sed eosdem Deo æquipararet: At Cogitationes in actus externos quomodocunque erumpentes, h. qualicunq; indicio in corpore aut constitutione humana se prodentes, licet sensibus nostris obviæ non sint, eoque à nobis cognosci non possint, iis innotescere posse, quia sublimiori ac subtiliori judicio in indicia talia penetrant, quæ nos ob crassiorem apprehensionem nostram penetrando non sumus. Vid. quæ in Politicis in simili casu de Pœnis Cogitationum in actus externos erumpentium traduntur ap. *Grot. J.B. & P. Lib. II. c. XIIX.*

XVI.

Memoria est *Facultas repetendi Imaginem.* Apud Juvenes validior est; Imaginum repetitio enim nullo impedimento sistitur vel obruitur. Ideo & crescente Judicio minuitur; Vires nostras enim in comparationem specierum tunc impendimus, eoq; crebræ repetitionis haut satagimus: Et Memoria ac Judicium raro in excellenti gradu cohabitant; Intellectui enim difficile est pati novas species sibi quotidie exhiberi, & simul easdem cum aliis comparare: Quare & Memoriam Artificialem minoris faciendam opinamur, cujus licet stupenda exempla habeantur, ad Judicium tamen nihil contulisse leguntur, ac proinde Memoria talis usu caret. *Ingentem numerum Nominum aut Verborum semel recitatorum eodem ordine statim repetere, aut versus complures quovis tempore conficere, aut quicquid occurrit Satyrica aliqua similitudine perstringere, aut seria quæq; in jocum vertere &c. Hac certe omnia & his similia majoris facere non possumus, qvam Funambulorum & Mimorum agilitates & ludicra, quæ res ferme eadem sunt. Cum hæc corporis, illa animi viribus nitantur, & admirationis forsan aliquid habeant, sed dignitatis parum.* Verulam. de Augm. Scient. Libr. V. c. V. In eandem classem compingendæ Imagines facilitandæ Disciplinarum cognitioni adinventæ, quales pro addiscenda Historia Universali, singulorumq; Cæsarum, Logica, Institutionibus & ss. passim circumferuntur. Nam 1. Imagines ejusmodi non sunt congruæ, quia res non denotant, sed voces, quod negotiis seriis nihil prodest. 2. Imago vocis non datur nisi per alias voces, hic autem vocis imago per rem alia voce designatam



gnatam exprimitur, quæ duplo major molestia ac necessario desitura accedente judicio vel idem perditura est.

XVII.

De Memoria Intellectus, & in specie, *an Animæ in statu separato recordentur*? Resp: Aff. (1.) Quia Animæ ipsius naturæ id congruit, Angeli enim etiam, quia præteriti & futuri rationem includunt, recordantur. Memoria quippe est præteritorum, & Deus ipse recordari diceretur vere, nisi uno actu ab æterno omnia præsentia haberet, nihilominus tamen Scriptura huic quoque per similitudinem recordationem tribuit. (2.) Id ipsum confirmant exempla sacra: Sic leguntur in Apocal. animæ defunctorum poscere vindictam sangvinis, Helluo recordari amicorum & fratrum suorum. Et probabile est, animas damnatorum in inferno non ignoraturas cruciatuum suorum causas, Justitia *Dei enim* non plectit ignaros: Nec ignaræ beatæ animæ sunt, ob quod tanto fruantur gaudio, Servatoris nempe dono; Ideo misericordiam Dei cantabunt in æternum, misericordem vero non prædicamus, quem misertum non meminimus. Inst. *Animas deliquia vel gravissimas plagas ferentium sine sensu ac intellectu deprehendi.* Resp. Animam tunc esse in lucta, quem medium veluti reputamus inter statum unionis & statum separatum Animæ. Et Anima sui tunc studiosa aliis extra se intenta non est, dum veluti se ad modum abeuntium componit, non tamen dememinit antegressa, sed eorum memoriam tantum suspendit, ut inter homines etiam, qui uni rei intentissimi sunt, aliarum haut æque recordantur. *Inst.* II. *Animam non intelligere, nisi per materialia.* Resp. De initio concedi, de progressu negari, manet enim eadem anima, Sensum, Rationem, Intellectum dirigens, distinctis tantummodo conceptibus nostris in totidem facultates distributa. *Inst.* III. *Animas ita recordaturas peccatorum suorum, eoq; ad tristitiam compositum iri.* Resp. 1. Memoriam esse indifferentem ad lætitiam & tristitiam. 2. Animas simul recordaturas impetratæ misericordiæ. *Qv. An inutilium qvoq; recordentur, cum in statu perfectiori jam sint?* Resp. Non opus iis esse, non ignoraturas tamen, quantum ignoraverint vel erraverint. Vid. *Dissert. de Memoria Intellectus*, ab amico nostro *Godofred. Cremero* ante annos aliquot hic edita. *Q. An Deus in Judicio extremo Peccatorum Electorum recordaturus sit?* Resp. Neg. ex Jes. XLIII. v. 25.

Confirm.

Confirm. Quia qui credit in filium Dei, non judicatur. Johan. III. v. 18. Ac proinde nec Peccata ejus publicari vel eorum mentionem fieri opus est Sublato n. fine rei, qui hic est Judicium, etiam Actiones propter finem suscipiendæ tolluntur. Talis vero est publicatio Peccatorum, utpote quæ eo fine fit, ut secundum eam Judicium instituatur. E. *Inst.* I. *Deum omne opus in judicium adducturum sive bonum, sive malum. Eccles. XII. v. ult.* Resp. Non omnia promiscue, sed bona Electorum, mala vero Reproborum. Sicut enim Reproborum bona opera aliqvando præstita non publicabuntur aut in memoriam revocabuntur, quia in illis non perseverarunt, sic vice versa Electorum peccata, quia in illis non perseverarunt, sed acta pœnitentia veniam à Deo impetrarunt, in memoriam non revocabuntur. *Inst.* II. *De omni verbo ocioso rationem reddendam fore.* Resp. Sed Inprobis; Justis neutiquam, utpote à Lege accusante liberis. Plura Vid. ap. *Bebel.* singulari *Dissert. de Peccatis Electorum in Judicio Extremo non publicandis.*

XIIX.

Experientia *est multarum rerum Memoria.* Ea rerum Magistra dicitur, Scientiam enim gignit. *Stultorum Magistra* eadem perhibetur; Ingenia enim cauta efficit. cum e contrario qvi paucarum rerum habent Experientiam, Ingenio plerumque sint temerario: Nam animus humanus ratiocinando procedit à cognitis ad incognita, neque potest rerum conseqventias è longinqvo prospicere sine cognitione, qvæ est à sensibus, i e. sine multarum conseqventiarum experientia; Eoq; etiam fit ut Ingenia humana adversis eventibus corrigantur &c. Ingenium audax frequentibus infortuniis, ambitiosi crebris repulsis, protervi crebris inhibitionibus; Experientia n. defectus hosce emendat.

XIX.

Inter opposita memoriæ privativa est Oblivio, h. *dimissio rei cognitæ è Memoria.* Et Usus geminam introduxit *Naturalem & Voluntariam seu Conventionalem.* Hæc est, qua rerum, quas naturaliter non obliviscimur, non recordamur in vindictam & ultionem; Et Amnestiam in vita Sociali vocant, de qva videndi Tit. Polit. de Bello & Pace. In Doctrina Morali pars veniæ est, de qua infra. Naturalem non esse in potestate nostra communis conditio Sensuum evincit, quorum nullum in potestate nostra habemus, ac proinde nec opposita eorundem. Huc faciunt Ciceronis

Ciceronis verba *Lib. III. Tuscul. quæst. num. XXXV. Non est in potestate nostra, fodicantibus iis rebus, quas malas esse opinamur, dissimulatio vel oblivio: Lacerant, vexant, stimulos admovent, ignes adhibent, respirare non sinunt; Et tu oblivisci jubes, quod contra naturam est? Quod à natura datum est auxilium extorques, inveterati doloris est illa tarda quidem medicina, sed tamen magna, quam affert longinquitas & quies: Jubes me bona cogitare, oblivisci malorum. Diceres aliquid & magno quidem philosopho dignum si ea bona sentires esse, quæ essent homine dignissima.* Causæ Oblivionis hujus quærendæ in morbis, multitudine negotiorum, diuturnitate temporis &c. Vid *Dn. Stryk Diss. IX c. 1 de Jure Sensuum* An peccatum sit ex rerum oblitarum natura & necessitate manifestum est: Neq; ulla temporum diuturnitas, aut causa alia humana efficere potest, quo minus rerum factu necessariarum obliviscamur. Sic Cultus divini oblivisci fas non est, Creaturæ enim congruit, eoque factu necessarius est, qvantacunq; impedimenta temporis ac negotiorum invenerit. Debemus imagines hujusmodi rerum crebrius repetere: Non repetiisse argumento est, objectis talibus nos minus intentos fuisse, eoqve id non præstitisse, qvod Natura Rationali dignum erat. *An ignorantia ex Oblivione nata sit peccatum*, ex eodem responso decidi potest. Vid. plur. cap. seq. ad §. de Ignorantia. In Juris Gentium actibus & in specie possessionibus Tempus Immemoriale, tanqvam inter Memoriæ Opposita Negativa, locum habet, probaturqve res nunquam aliter se habuisse, si constet tempore memoriam excedente ipsam eodem modo semper factam esse, vel possessionem eandem mansisse: Cujus causæ sunt. 1. Qvia fieri vix potest, ut multo tempore res ad aliqvem pertinens non aliqua via ad ejus noticiam perveniat, cum tempus multas ejus occasiones subministret. 2. Bene sperandum est de hominibus, ac propterea non putandum eos hoc esse animo, ut rei caducæ causa hominem alterum in perpetuo peccato versari velint, quod fieret, si jus alterius aut rem alienam possideat. *V. Grot. J. B. II. 4. §. 7. & 18. Confer. ibid. §. XII. & c. V. §. XVII.*

CAPUT. III.

CAPUT III.
DE
INTELLECTU ET VIRTUTIBUS INTELLECTUALIBUS.

I. Ratio depravata non est Ratio.

II. Quid sit Ratio: Cur Bruta careant Ratione? Actuum Brutalium inter Homines demonstratio. Cur Imago Dei consistat in Intellectu Hominis.

III. Quid Judicium, Discretio, Scientia, Fides, Opinio, Dubitatio, Captivatio Rationis?

IV. Virtutes Intellectuales, earumque à Moralibus discrimen.

V. Cur omnes natura scire desideremus?

VI. Desiderium hoc non posse ad omnia extendi; Nec ad Divina aut Mysteria; Quousq; Angeli capaces sint Mysteriorum? Subtilia difficilius cognosci posse.

VII. Quousq; in Mysteriis versari fas sit? Quousq; sublimitatem aut subtilitatem rerum sciendarum allegare liceat? An Simplex Fides sit optima Fides?

VIII. Cur inutilia sciri non debeant? Examen Speculationum ac Distinctionum Scholasticarũ.

IX. Cur rerum alienarum & longe à nobis remotarum scientia inutilis sit?

X. Causa Fidei.

XI. Natura Autoritatis.

XII. De Terminis Fidei; Cur Principum assertiones aequivaleant Juramentis? Dispendium Disciplinis ab autoritate majorum illatum.

XIII. Quid faciendum Auditoribus in casibus, quibus ipsi Docentes dissentiunt?

XIV. Utrum verbum Credo affirmet vel neget?

XV. Opinionis Causa & objectum: In rebus ipsis non dari Probabile.

XVI. Praesumptionum & Conjecturarum fontes.

XVII. Dubitationis causa: Cur Docti plus dubitent, quam vulgus? Examen Securitatis spiritualis.

XVIII. An de omnibus dubitandum sit?

XIX. Dubia de personis in meliorem partem interpretanda esse.

XX. An in Dubiis aliquis simpliciter habendus sit pro Viro Bono, an sufficiat eum haberi pro non Improbo? Utrum Practice solum, an etiam speculative id fieri debeat?

debeat? An contra Justitiam sit, siquis propter dubium tanti non æstimet hominem, quanti antea?

XXI. Rem de qua initio dubitatur, an aliena sit, accipi non posse. Sed si in possessionem venerit, licet dubium de ea nascatur, tuto retineri.

XXII. In rebus gerendis non minus indubitanter perseverandum esse, ac si nullum circa eas Dubium existat.

XXIII. Casus in Debitorum dubiis.

XXIV. An obligemur si dubitemus num damni causa extiterimus?

XXV. An Subditus si dubitet num faciendum sit aliquid, id facere possit accedente mandato Superioris?

XXVI. De Rationis Captivatione in Politicis & Sacris; Rationis Usus in Rebus Fidei.

I.

HActenus de Sensibus: Sequitur *Intellectus*, forma Humanæ Naturæ, idemq; verus ac proprius fons Actionum Humanarum, cujus naturam, Virtutes ac Debilitates nunc contemplabimur. *Rationis* nomen ipsi Synonymum est, quo etiam tanquam communiori hic utemur: Procul tamen Corrupta Ratione, quo sensu â Scriptoribus Rerum Sacrarum nobile Rationis nomen sæpe involvitur. Ratio n. non datur, quin Recta sit; Ratio corrupta non est Ratio, sed Rationis ad obtegendam pravitatem nostram abusus.

II.

Naturam *Rationis* ex Politicis Parallelis Diss. II. hinc tanquam in Sede Domestica repetimus. *Rationem* nim. *esse facultatem cognoscendi rem in natura sua.* Cognoscere est repræsentare aliquid animo, quod cum sensualibus creaturis omnibus commune habemus. At cognoscere rem in natura sua actus nostros discernit â cognitione Brutorum, quæ res quidem etiam apprehendunt, sed sub ratione boni privati sui, non autem ut in natura sua sese habent; Ideo ipsæ actiones nostræ tunc brutales fiunt, cum in rem tendunt, non secundum naturam ejus, sed sub boni privati apprehensione. Et libido brutalis est, cohabitationis carnalis natura enim in procreatione subolis consistit, quam libido sub ratione jucundi alicujus privati, eoque non secundum naturam sui apprehendit Intemperantia

rantia Brutalis eſt; Brutorum more enim in alimenta tanquam jucundum aliquod privatum ferimur, cum natura ſua ad conſervationem noſtri deſtinentur. Et generaliter Ratio Corrupta, Fons depravatarum actionum noſtrarum merito ſtatuitur; Deficit enim cognitione rerum in natura ipſarum propria, ac proinde non poteſt actiones congruas edere. E contrario Cognitio reflexa in qua in *Medit. Pol. Diſſ. IV.* Rationem conſpiciendam propoſuimus, partem conceptus hujus explet; Si enim naturam rerum per Rationem apprehendimus, etiam naturam Cognitionis apprehendimus, eoque in Cognitionem noſtram reflectimus. Cur proximus à Deo Creaturarum Rationalium in genere entium gradus ſit, hinc etiam derivabitur; Cognitione rerum enim in natura ipſarum hoc unicum ſublimius eſt, eandem producere. Ipſa Imago Divina conſiſtit in Ratione, Deus enim perfectisſime & ſe ipſum & omnia extra ſe cognoſcit. At in Corpore nulla noſtri cum Deo ſimilitudo eſt; Deus enim eſt Spiritus: Sola mens e. Dei imaginem gerit, quia itidem res in natura ſua cognoſcere apta eſt. Solus homo beneficio Rationis imperat rebus terrenis, eandem ob cauſam; Ratio enim eſt facultas cognoſcendi rem in natura ſua: Solus ergo, quia vi cognitionis hujus cuncta ad fines ſuos dirigere poteſt, imperio dignus eſt.

III.

Ratio in exercitio conſtituta ſeu operatio Rationis eſt *Ratiocinatio*; Et concluſio hinc orta, ſeu modus applicandi Ratiocinia naturæ Rerum *Judicium*: Quod deinde in Converſatione civili ſpeciale nomen *Diſcretionis* accipit, h. ut in negociis gerendis temporis, loci & perſonarum reſpectum habeamus; Ac porro ſi firmiter adhæreat Rei cognitæ *Certitudinem* gignit ac *Scientiam*; Si Autoritate dicentis nitatur, *Fidem*; Si Rei cognitæ adhæreat cum formidine oppoſiti, *Opinionem*. Si ſuſpendatur, fit *Dubitatio*; Ac deniq; ſi deficiat & rem cognoſcendam ſupra nos poſitam ſentiamus, eſt *Rationis Captivatio*.

IV.

Sunt hæ famoſæ illæ *Virtutes Intellectuales* à Scholaſticis Doctoribus tantopere prædicatæ, paucæ quidem, ſi numerum hunc ſpectemus, at reipſa æque ac cæteræ Virtutes innumeræ, cum totidem ſint, quot rerum cognoſcendarum modi & occaſiones ſunt: Veræ tamen, cum in iis

non minus ac in aliis virtutibus conformitas cum Natura Rationali ſpectanda ſit, & in oppoſitis earundem difformitas à Natura Rationali & conſeqventer vera deprehendatur vitioſitas: Nec minus in vulgo nota iſta mediocritate verſantur, quam cæteræ virtutes, exceſſibus ac defectibus æqve circumdatæ, ſi dignus hic Bonitatis moralis, & non æqve Bonitatis Naturalis Character eſt, de qvo infra agendum erit. Videnturque in eo unice *à Virtutibus Moralibus in ſpecie ſic dictis* differre, qvod hæ circa ipſam Rationem & Cognitionem verſentur; Virtutes Morales vero circa ſingula ſpecialia Rationis & Cognitionis Objecta.

V.

De ſingulis dum diſtincte nobis agendum eſt, ad Scientiam initio obſervamus *Naturale Sciendi Deſiderium*. Natura omnes ſcire appetimus, non ignotum Axioma Scholaſticorum eſt, cujus cauſa non aliunde, qvam ex Ratione noſtra pendet: Qua quia inſtructi ſumus, h. quia facultatem Cognoſcendi habemus, eandem neceſſario exerimus, h. cognoſcere cupimus.

VI.

Qvousq; Deſiderium hoc extendi fas ſit, ſeu Termini ejus, illi ſunt, qvorum in corpore noſtro capaces ſumus. Impoſſibilia veluti non ſunt in poteſtate noſtra, ita qvæ ſciri non poſſunt, ea male deſiderio huic ſubjicimus, unde fons etiam omnis ſcientiæ abuſus eſt. *Ad omnia extendi non poteſt;* Intellectus enim omnia non æqve capit, cujus cauſa qvia per ſenſus proficit, Senſualium verò alterum ab altero ſi numero creſcant, obruitur. Et prudentiores ideo conſultum judicant rebus paucis ſe impendere; Has enim recte ſciri poſſe; Multifariam vero ſcientiam qvo numeroſior eſt, eo minorem reddi viribus. Et cauſa eadem eſt; Species accumulatæ enim ſe invicem obruunt, æqve ac Cibi copioſe ingeſti concoctionem obruunt, non promovent. Intellectus Angelicus contra longe plura capit, ſine ſpeciebus Senſualibus enim Rationem ſuam exercet; Eaque perfectius capit ex eadem cauſa, craſſiori enim iſto medio Senſuum non indiget. *Divina non capimus;* Infinita enim ſunt eoq; modulum noſtrum excedunt: Unde ſi curioſius ea indagamus, Rationi indulgere dicimur, h. corrupto deſiderio Intellectus noſtri, quo ad plura, qvam capiendo ſumus, immoderate ducimur. *Myſteria itidem non capimus;* Sunt enim Divina ac proinde intellectu noſtro majora:

jora: Unde in sola designatione eorum Scriptura acquiescit, Modos & causas non addit, quia excedunt intellectum nostrum. *Si hæc non intelligitis, qvid fiet, si de rebus Cælestibus vobis dixero*, inquit Christus,& longe majora his Mysteriis superesse indicat *Joh. III. v. 12.* De *Angelis* dubium est, *quousq; capaces sint Mysteriorum*; Leguntur enim desiderasse introspicere in Mysterium Evangelii I. Petr. I. 12. Quod tamen de Christo in carne exhibito fortean accipi poterit. *Subtilia*, h. à Sensualibus, quæ crassiora sunt, remota *difficilius cognoscimus*; Ad Intellectualia enim seu Spiritualia nimis se elevant, ac proinde connexio ipsorum nobis minus obvia est. Unde adminiculo hac in parte sublevari amamus, h. *genere sciendi per similitudinem seu comparationem rei incorporeæ cum corporea*, sui generis perfectissima, quod in Divinis Ἀνθρωποπάθειαν vocant; Nec a. Spiritus alienum est; Ideo Angelos specie formosi Juvenis alati vulgo concipi & exhiberi videmus; Perfectiorem enim formam Sensualem Imaginatio Intellectui sistere neqvit: Quod Scholastici generaliori observato ad omnes inferiores creaturas respectu superiorum extendunt, eoque Brutorum quoq; cognitionem non altius elevari ajunt, quam ad id, quod in suo genere sit perfectissimum; Et Suem ideo, si conceptum de Homine formaret, non alium formaturam quam sub imagine perfectæ ac pulchre Suis: Quod suo loco relinquimus.

VII.

Q. Quousque in Mysteriis versari liceat? Resp. Superare Captum Rationis nostræ duobus modis. 1. Quod sine S. Scriptura ne innotescere quidem possint. 2. Si etiam innotuerint, capi tamen in hac vita neqveant: Ac proinde perfecte cognosci non possunt. Respectu cognitionis sufficientis vero & necessariæ ad Salutem cognosci non tantum possunt, sed etiam debent ex Verbo Dei; Alias Deus ea nobis non proposuisset. *Qvousq; igitur Sublimitatem aut Subtilitatem rerum sciendarum allegari fas est?* Resp. Si Intellectui nec per se nec per subsidium succurri potest. Extra hoc desidiæ species est,qva cum possimus, nolumus plura indagare eiq; sublimitatem Mysterii prætextimus. Huc pertinet Qvæstio, *An Simplex Fides sit optima Fides?* Cujus Affirmativa vera est, si certo constet, per Scripturam nos ulterius proficere non posse: Referendumq; eo Augustini illud: *Intellectui fides aditum aperit, Infide-*

Infidelitas claudit. Eo autem sensu accepta, qvo vulgo solet, est asylum Ignorantiæ, cum pleriq; eo ita utantur, qvasi indicaturi, se nolle ulterius progredi.

VIII.

Cur inutilia sciri non debeant ratio est, qvia ne necessariis quidem pares sumus. Quo referenda imprimis consideratio Speculationum & Distinctionum Scholasticarum, de qvibus præeunte Verulamio ita ratiocinamur: Scholasticos summo otio abundantes atq; ingenio acres, lectione autem impares, (qvippe qvorum mentes conclusæ fuerunt in paucorum Autorum præcipue Aristot. Scriptis non minus, quàm corpora ipsorum in cœnobiorum cellis) historiam naturæ & temporis maxima ex parte ignorantes ex non magno materiæ stamine, sed maxima spiritus quasi radii agitatione operosissimas telas, qvæ in libris eorum extant, confecisse. Ita namq; mentem humanam, si agat in materia, naturam rerum, & opera Dei contemplando, pro modo materiæ operari atq; ab eadem determinari; At si ipsa in se vertatur tanqvam aranea texens telam, tunc demum interminatam esse & parere qvidem telas qvasdam doctrinæ tenuitate fili operisq; admirabilis, sed quoad usum frivolas & inanes. Ac proinde non sine causa Doctores hosce simul suo docendi genere etiam vulgo videmus contemtui esse; Vulgus enim veritatem propter controversias circa eam motas aspernari solet, existimans eos errare omnes, qui nunqvam inter se conveniant, cumq; videt homines pro doctis habitos inter se digladiari de rebus nullius momenti tanto pronius arripit Dionysii Syracusani istud: *Verba sunt otiosorum Senum.* Qvod ad largum *Distinctionum Scholasticarum* proventum attinet, iterum opinamur cum *Verulamio*, Scientiarum omnium robur instar fascis illius Senis non in singulis bacillis, sed in omnibus vinculo conjunctis consistere. Etenim Symmetria scientiæ h. e. dum singulæ partes se invicem sustinent, est & esse debet vera & expedita ratio refellendi objectiones minoris notæ. Contra si singula Axiomata tanqvam baculos fascis sensim extrahas, facile erit ea infirmare, & pro lubitu aut flectere aut frangere. Atqve adeo quod de Seneca dictum fuit: Verborum minutiis rerum frangit pondera; id de Scholasticis hisce Distinctionibus æqve usurpari potest: *Distinctionum minutias scientiarum frangere robur.* Eodem Scyllæ fabulam Verulamius refert, cujus os & pectus virginem formosam præ se ferebat,

part

pars inferior verò latrantibus monstris constitit: Sicq; generaliter quædam apud Scholasticos inveniri, quæ pulchra sint dictu & non perperam inventa: Ubi autem ventum fuerit ad distinctiones, decisionesq; pro fœcundo utero ad vitæ humanæ commoda in portentosas & latrantes Quæstiones desinere. *Vid. Verulam. de Augm. Scientiarum lib. 1. pag. 17. 18.* Una instantia est, quam meminimus afferri solere. *Facere hæc omnia ad perfectionem intellectus?* Resp: 1. Falsum esse, cum Moralia id proprie præstent. 2. Modum hunc intellectum impossibilibus astringere, omnium enim rerum minimorum modos & horum modorum iterum novos modos pervestigare velle, ne unius quidem rei tractatione ingenium humanum expedit, quod tamen dum in terris hisce agit, tot necessariorum scientia imbuendum est. 3. Si facerent etiam ad perfectionem Intellectus, multa alia tamen sunt ad eandem longe magis facientia, qvibus apprehendendis intellectus noster non sufficit, ac proinde istis ut incumbat, tanto minus opus habet.

IX.

Porro *nec aliena sciri fas est.* Quod itidem ex prioribus pendet, quia ne nostris quidem sufficimus: Quæ ratio Christi est *Luc. VI. v. 42.* Ut Trabem oculis nostris ante eximamus, quam festucam ex oculo proximi. *Res longe à nobis remotas scire etiam supervacaneum est*, quia ne præsentibus quidem sufficimus, præterea minus movent & in usus nostros haut facile trahi possunt. Talis est Lectio Historiæ Veteris, item rerum ab utriusqve Indiæ incolis gestarum; Tempore enim & locis nimium qvantum à nobis dissident: Eas voluptatis causa legi justo levior prætextus est; Scientia, quam Voluptatis causa haurimus, non Scientia, sed inutilis curiositas est.

X.

Fidei causa est *insufficientia Intellectus circa rerum apprehendendarum connexionem.* Pueri dum intelligere incipiunt, non res ipsas penetrant, sed Præceptoribus eas credunt: Quas postea eodem modo quidem sciunt, non amplius tamen propter autoritatem Præceptoris, sed quia naturam earum se ita habere sentiunt. Similiter in Mysteriis Intellectus noster, qvia debilior est, Fide eget; Hæc vero in altera vita desitura est, clarius enim & in natura sua Mysteria tunc cognoscemus.

Eandem

XI.

Eandem fundat *Autoritas*, h. *Opinio perfectionis in dicente*. Ipse Servator ideo in Sacris, dum Fidem tantopere urget, pro eo agnosci vult, qvi est, h. pro Perfectissimo. Pueri Præceptores suos maximi æstimant, perfectos enim esse opinantur: Nec graduum Fidei aut certitudinis inde natæ aliunde, quam ob opinione hac origo est: Unde Vulgatum istud, *Discentem oportet credere*, non tantum rationem hanc habere, qvia docens præsupponitur perfectior esse discente, utpote qui res nondum apprehendit, sed etiam modum inde accipere putamus, ut quo gradu Autoritas sit Docentis apud Discentem, eodem & *Fides* ejus constare reqviratur.

XII

De Terminis Fidei hinc itidem judicandum est, Dicentis nempe perfectionem eos ponere. Deo simpliciter credimus, est enim perfectissimus. Principibus aliisq; personis Illustribus itidem facilius credimus, Deus enim majorem nostrâ perfectionem iis admensus fuit: Unde Formulæ, Bey Fürstl. wahren Worten & seq. Juramentis æquiparantur, Principes enim tales præsumendi sunt, quales esse debent. Vid. *Bargal. de Dol.* At in Scientiis rerum grave sæpe dispendium inde natum, quod ex Dicentium perfectione eas plerumque æstimari visum sit. Videmus sane Artes mechanicas, Tormentariam, Nauticam, Typographiam initio imperfectas & propemodum informes fuisse, cum progressu temporis vero perfectionem accepisse maximam; At contra Philosophia rerumque scientiæ Aristotelis, Platonis, Hippocratis, Euclidis, Archimedis in ipsis illis autoribus viguerunt, tractu temporis vero splendorem suum amiserunt. Nec alia disparitatis ratio est, quam quod in Mechanicis istis Ingenia multorum in unum coierint, in Scientiis vero & Artibus Liberalibus Ingenia multorum sub uno succubuerint, cum quod Antecessor invenerat, majori luce illustrare potuissent: Ut n. Aqua non altius ascendit, quam caput Fontis est, a quo promanat, ita Doctrina ab Aristotele deducta supra Doctrinam Aristotelis nunquam assurgit. *Verul. cit. L. 1. de A. S.*

XIII.

Q. Quid faciendum Discentibus seu Auditoribus in casibus, quibus ipsi Docentes dissentiunt? Resp. I. Eligendam Sententiam securio-

rem

rem & charitati magis congruam. II Præferendum eum, qui nobis præest extero, & quod receptis Legbus Patriæ convenientius est, antehabendum aliis. III. Nec scrupulum Conscientiæ ab hoc dissensu magnopere metui posse, quia casus ejusmodi fere omnes ita comparati sunt, ut necessarium quidem sit quæri veritatem eorum, sed non necessarium eandem inveniri; Et sufficit eam amari, non opus v. eandem obtineri. Confirm. 1. *Oportet esse Hæreses*, h. diversitatem opinionum, idque ideo ut probentur fideles. II. Nemo astringi potest rei extra vires suas positæ; Hæ consistunt in debita diligentia in inquirendo, & honestate in consentiendo: Quæ si rite se habeant, periculum nullum est, licet in particulari aliqua sententia erremus. *Vid. Taylor. Duct. Dub. L. I. c. IV. Regul. IX. fol. 122. 123.*

XIV.

De effectis Fidei in Divinis videndi Theologi, in Humanis requirenda loca de Fide active sumpta, sinceritate & ss. de quibus infra. Huc pertinet Q. *Utrum Verbum Credo affirmet, vel neget?* Resp. In Divinis necessario affirmari aliquid, credimus enim ideo, quia res propositæ supra Intellectum nostrum sunt: In Humanis opinamur hoc verbum nihil dicere, quod ad rem ipsam faciat; Quia enim credimus, agnoscimus proprium nostrum sensum nihil percepisse, quod tamen Intellectui nostro potuisset esse obvium. Cæterum limitari id solet, *Nihil nim. dicere.* 1. Nisi addatur causa Credulitatis. 2 Nisi colligatur è verisimilibus. Vid. plur. *Mascard. Vol. I. Concl. 159.* Nec *Fidei non datur Fides*, aliud significat, quam Nos credere alterum rem credere, unde nulla circa rem ipsam certitudo. Vid. *Card. Tusch. T. III. Concl. 338.*

XV.

Opinionem nasci diximus, si Judicium rei cognitæ adhæreat, cum formidine oppositi, h.e. ut res vera quidem videatur esse, eandem tamen & falsum esse posse putemus. Ac proinde objectum ejus *Probabile*, h. e. quod speciem aliquam veritatis intellectui possit objicere, seu respectu rerum ipsarum Possibile; Nulla enim Probabilitas plus infert quam hoc, rem ita esse posse: Neque aliter probabile accipiendum, nisi ratione intellectus nostri, qui dum naturam rerum penetrare non potest, possibilitatem ejus pro modulo suo sibi format, eoque probabilitatem gignit. *In rebus ipsis Probabilitas nulla est*; inter verum & falsum n. non datur ter-

tium. Unde probabile istud vel verum vel falsum esse oportet, quodcunque vero horum sit, eo ipso efficitur, ut probabile non sit. Sicque & Argumenta, quæ vulgo tanquam probabilia proferunt, pro nullis reputamus, nisi certo constet, universæ rei, de qua differitur, conditionem talem esse, ut perfectius sciri nequeat. Si enim vera sint argumenta, non opus habent, ut probabilitatis nomine veniant : Si falsa, ne sic quidem probabilia dici merebuntur, tertium vero inter extrema hæc non extat. Huc pertinent termini *fortasfis*, *videtur* & sim. qui omnes *Opinionis*, h. Judicii intellectus cum formidine oppositi, non certitudinis sunt termini: Unde illud Scholasticorum : *Fortasfis solvitur per non Fortasfis* : *Et In dubio forte, respondent sæpe periti*, h. e. probabiliter ita concludi posse, certò nihil constare. Monendum tamen terminos hosce (*1.*) Communiter quidem esse notas probabilitatis, subinde tamen *2. Esse tantum notas modestiæ*; Veri autem nihilominus assertivas : Unde particulam forsitan, vocat *temperamentum Philosophicum Glossator in lege mutus 43. de Procuratoribus*. Muto enim & surdo Procurator certò dari potest. Sic ipse *Opinionis* terminus subinde nota modestiæ est, quo sensu & venire putamus §. 8. *Inst. de J. & J.* Non poterat enim à *Responsis* istis, quas *Opiniones* vocat, Imperator recedere, ac proinde pro certis habebantur. *Vid. Scrr. Repertoriorum Jurid.* Confer. *Goclen. Lex. Philos. Voc. Fortasfis.*

XVI.

Referendus huc porro universus Conjecturarum & Præsumtionum apparatus, quæ nihil aliud sunt, quam argumenta à probabilibus sumta, de quibus videndi pluribus *Menochius Tr. de Conjecturis &c. Alciatus de Præsumt. &c.* Isque generales hasce tres regulas universis Præsumtionibus substernit. *1. Qualitatem, quæ naturaliter inest homini, semper adesse præsumi.* Vocant hanc *præsumtionem naturæ*, videturque â natura ipsa suppeditari, quod non præsumatur defectus induxisse fœtui suo. Sic Patres præsumuntur amare filios suos. *L. isti quidem ff. quod Metus causa.* Iidem præsumuntur capere salubrius consilium in favorem filiorum. *L. nec in ea. ff. de Adulteriis*, *2. Mutationem nullam præsumi*: Probabile enim rerum statum Origini suæ conformem semper adesse. Unde colligunt filium ex legitimo matrimonio natum præsumi in potestate Patris esse. *3. Præsumtionem semper esse in meliorem partem*; Naturaliter

turaliter enim unusquisque requiritur bonus esse, ac proinde etiam talis præsumi debet: Quò facit vulgatum dicterium: *Unumquemque præsumi bonum tamdiu, donec contrarium probetur*: Qvod tamen limitant, 1. nisi cedat in præjudicium alterius; Huic enim tunc damno extitisse præsumitur. 2. Nisi necessitas vitæ antegressæ aliud indicet, quo facit Regula priori tantum nō opposita: Qvi semel malus, semper præsumitur talis. 3. Præsumendum esse bonum, non tamen secundum omnes bonitatis modos, h. si bonus præsumatur, non tamen præsumendum esse optimum. Plura specialia *vid. loc. cit. Alciati* è quibus fere pendent, quæ hanc in rem congesta sunt *à Mascardo, Tuscho* aliisque circa Præsumtionum materiam.

XVII.

Si Ratiocinia ab Intellectu suspendantur, fit *Dubitatio*. Causa ejus remotior Imperfectio Intellectus, proxima ejusdem Lucta circa rerum apprehensionem. Docti ideo plus dubitant, quam vulgus, quia magis animadvertunt rerum singularum difficultates, quas vulgus non observat, qvia tam longe haut prospicit; Pii etiam, qui non nisi cum timore Divina tractant, qvippe imperfectionum suarum sibi conscii: Ideo observant Theologi: Hominem qui absoluta & invariabili persvasione in omnibus fidei suæ momentis eorundemq; ad seipsum applicationem secure ac sine omni dubio versetur, aut Angelum esse, aut Bestiam; Et plerosq; hujus generis securos esse non per eminentiam aliquam fidei, sed per excessum amoris erga seipsos, quo id tantum amplectantur, qvod in illorum commoda cedere ipsis videtur. *Si qvos Conscientia Casus habeam si quis quæret, omnia mea mihi esse suspecta respondebo: Ideoq; recte etiam faciendo timere me & Inutilis servus sum*, Luc. XVII. 10. *Patientiam habe mecum & omnia reddam Tibi*, Matth. XVIII. 26. *clamare humiliter*. Comen. Tr. Un. Necess. c. X. §. IX.

XVIII.

De qvibus & qvousq; dubitandum sit, dum expendendum suscipimus, inprimis allegandum est non ignotum in Philosophia Cartesii Principium: *De omnibus Dubitandum esse*: Qvod si ab Interpretibus ejus in seqviorem sensum tractum fuit, molliorem tamen explicationem, qvam ipse Cartesius affert, non respuit. Dicit namq; 1. Veritatem inqvirenti semel in vita de omnibus, qvantum fieri potest, esse dubitandum: Cujus

causam reddit, qvia infantes dum sumus & varia de rebus sensibilibus judicia prius hausimus, qvam integrum Rationis nostræ usum haberemus, multis præjudiciis à veri cognitione avertimur, qvibus non aliter possumus liberari, qvam si semel in vita de iis omnibus studeamus dubitare, in qvibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperimus. 2. Dubia hæc etiam pro falsis haberi posse, cujus finis, ut tanto clarius, qvod certissimum & cognitu facillimum est, inveniamus: Causa qvia per Dubitationem ratiocinia nostra suspendimus, qvo ipso fatemur, nobis veritatem rei objectæ non satis constare. 3. Hanc interim Dubitationem ad solam veritatis contemplationem esse constringendam, ad usum vitæ referri non posse, qvia per se rerum gerendarum occasio præteriret, antequam nos dubiis nostris exsolvere possemus. Itaq; 4. qvod Dubitationem ille vocat, illud proprie desiderium est qværendi demonstrationem rei, aut qvomodo illa probari possit, qvod in rebus præsentissimis etiam exercere licite possumus, permanente eodem fine, ut veritatis cognitioni tanto magis apud nos satisfiat, ac proinde 5. Principium hoc, De omnibus esse Dubitandum revera primum principium est, sed non tale, ex qvo omnia demonstrentur, verum istud à qvo omnia incipiunt; Desiderium enim rem probandi, necessario probationem ipsam antevertit: Dixeris phrasi Scholasticarum esse terminū à qvo Scientiarum, h. unde inchoamus, qvando cognoscere incipimus. Eodemq; Sensu dici posset esse *primum principium in via Inquisitiva*, h. dum res cognoscere cupimus, non *in via Auscultativa*, seu dum rerum cognitarum connexionem demonstramus.

XIX.

Effecta Dubiorum aliter se habent in personis, aliter in rebus. In personis qvantacunq; se exerant, ita tamen gerenda sunt, ne proximo Injuria inferatur & de possessione Bonæ Famæ depellatur. *Less. de J. & J. lib. II. c. 29. Dub. 4. num. 31.* Seu qvod perinde est, *Dubia de personis in meliorem partem interpretanda sunt*, cujus Rationes sunt 1. Id eligendum est, qvo minime omnium injuria inferatur proximo; Et verò in dubiis si seqviorem partem seqvamur, proximo injuria inferri potest: Qvo pertinet, qvod alibi à Casuistis observatur, *præstare freqventius falli per bonam opinionem de malo homine, qvam rarius falli per opinionem malam de bono aliqvo.* Addimus etiam de ignoto, qvia ex hoc nascitur injuria, ex illo autem nulla. *Soto de Justit. & Jur.*

Lib.

Libr. II. Quæst. IV. Artic. IV. 2. Unusqvisqve jus habet, ut bona de se ubiq; habeatur existimatio, qvousqve delicta ipsius non aliud probant; Ergo qvi citra idonea testimonia sinistram de altero concipit opinionem, injurius in illum est, atqve adeo in meliorem partem tenemur ambigua signa decernere. *Soto l. proxime cit.* Referuntq; huc Servatoris verba: *Nolite judicare*; Et August. explicationem *de Serm. Dom. in M. Lib. II. c. 18. Hoc loco*, inqvit, *nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Similiter Seneca de Ira c. XXIV. *Simplicitate opus est & benigna rerum æstimatione, ut nihil nisi quod in oculos incurret manifestumq; erit, credamus.*

XX.

Specialior Qvæstio hinc nascitur: Utrum Dubia teneamur positive in meliorem partem interpretati, hoc assentiri meliori parti, an sufficiat id negative fieri, h. ut non male judicemus: Seu, *An in dubiis aliqvis simpliciter habendus sit pro Viro Bono, an tantum negative pro non Improbo?* Resp. Sufficere, si habeatur pro non Improbo; Charitati enim æqvè ac Justitiæ satisfit, si vitemus omnem malam opinionem de proximo: Qvod jam tum accidit, si ipsum habeamus pro non Improbo. Pro Probo eum haberi jam modus assentiendi est, periculo errandi expositus, qvem perfectior Prudentia evitat. *Qv. Utrum Practice solum, an etiam speculative Interpretatio talis fieri debeat?* Resp. Speculativa Interpretatione opus non esse, qvia nulla est necessitas talis Judicii; Sed sufficere proximo, si seposita interna existimatione ita me erga ipsum geram, ut nullo indicio aliud tester, qvam illum pro Viro Bono tractandum esse. *Qv. An contra Justitiam fiat, si qvis propter dubium tanti non æstimet hominem, qvanti antea?* Resp. Neg. Qvia tanti non debet æstimari is, cujus incerta seu dubia est virtus, ac ille cujus virtus certa est; Non tamen ideo potest haberi pro Improbo.

XXI.

Dubia de rebus vero tali Interpretatione non egent, sed suis æstimanda sunt momentis. Ratio, qvia in Judicio Rerum id unice agitur, ut attingatur veritas, nec timendum ita cuiqvam injuriam illatum iri. Itaq; circa Possessionem rerum Scriptores judicant. L. *Si initio dubitetur, an res aliena sit, eam accipi non posse.* Qvia ut rem qvam antea

 non

non habebamus incipiamus nobis vindicare & usurpare, reqviritur, ut determinate judicemus eam vel esse nullius, & ita nostram fieri per occupationem, vel certe esse nostram, qvamvis id antea non animadverterimus: Si vero dubitemus, utrum nostra sit an aliena, iniqve agimus, si eam nobis arrogemus, cum nostra non sit melior conditio, qvam alterius. *Less. Lib. II. c. VI. Dub. 3. num. 10.* Excipiendum tantum, si eo animo id fiat, ut Domino vero restituatur; Qvia nullam ita Domino facit injuriam, sed beneficium, nam alioqvi nunqvam forte fuisset restituenda. II. Si res jam in possessionem venerit, ac postea de ea dubium nascatur communis Regula est; *In dubio meliorem esse conditionem possidentis*, etiamsi post adhibitam diligentiam debitam dubitatio remaneat: Rationes sunt (1.) qvia majus incommodum est, qvod possidens re vel jure suo in tali dubio privetur, qvam non possidens. *Rebell. L. II. Qv. Moral XIV. n. 8.* (2.) Nemo tenetur aliqvid solvere & re sua spoliari, nisi ei constet, se debere. *Less. Lib. II c. X. Dub. VI. n. 40.* Inst. Bonæ fidei possessionem hic vacillare, bona fides enim est, qva prudenter existimamus rem qvam retinemus esse nostram. Respondet *Lessius*, non tantum bonam fidem esse, si qvis positive credat rem esse suam, sed etiam si nesciat esse alienam, posterioremq; sensum hic sufficere. *Lib. II. c. VI. Dub. III. num. 11.* Pendetque hinc etiam decisum in casibus dubiis circa juris nostri exercitium, ut si munere publico fungamur, nascaturqve interea dubium de impedimento, qvo in occasione certa munere eo abstinere debeamus. Resp: Itidem meliorem conditionem esse possidentis, etiamsi superveniat dubium, & si semel præsupponamus juris possessionem, possidentem ita posse pergere, & jure suo perinde uti, ac si dubium non supervenisset, alioqvin inter cætera inconvenientia seqveretur, qvod tantum posset causa dubia, ac certa causa: Certa causa autem nihil amplius efficere potest, qvam impedire effectum. *Diana Tom. II. Resol. Moral. tract. II. Qv. LVI. num. 6.*

XXII.

Huc referendum porro, qvod Regulæ Moralis loco inculcat Cartesius: *Non minus indubitanter in rebus gerendis perseverandum esse, ac si nullum circa eas dubium existat.* Qvod nos qvidem ex duobus non ignotis principiis Vitæ Socialis dependere opinamur. 1. Illo qvod Livius alicubi inculcat: *Consulendo, agendoq; Romana res crevit, non segnibus*

gnibus illis consiliis, qva timidi causa vocant; Altero deinde, qvod prioris veluti ratio est, *Mundum qvippe regi exigua* (h. e. non ubivis pari) *prudentia*. Cui illustrando è Cartesio addimus *De Meth. p. 22.* Imitandum esse Consilium Viatorum, qvi si forte in media aliqva silva aberraverint, nec ullum iter ab aliis tritum, nec etiam versus qvam partem eundum sit agnoscant, non ideo vagi & incerti modo versus unam modo versus alteram tendant, multo minus in uno loco consistant, sed semper rectà, qvantum possint, versus unam & eandem partem progrediantur, nec ab ea postea propter leves rationes deflectant: Licet forte initio plane nullas habuerunt, propter qvas illam potius, qvam aliam qvamlibet eligerent: Qvamvis enim forte ad ipsum locum ad qvem ire destinaverant, non accedant, ad aliqvem tamen tandem deventuros, qvo commodius qvam in media silva possint subsistere. Eodem modo, qvia multa in vita agenda sunt, qvæ differre plane non liceat, qvoties circa illa, quid revera sit optimum agnoscere non possumus, illud debere nos seqvi, qvod optimum videtur, vel certe si qvædam talia sint, ut nulla nos vel minima ratio ad unum potius qvam contrarium faciendum impellat, alterutrum tamen eligi debere, & postqvam unam semel sententiam sic sumus amplexi, non amplius illam ut dubiam, in qvantum ad praxin refertur, sed ut plane veram & certam spectandam esse, qvia nempe ratio propter qvam agimus vera & certa videbatur.

XXIII.

Similiter in Debitorum dubiis, *si dubites utrum debeas nec ne*, obligatio tua nulla est ex principio ante laudato, melior enim est in dubiis conditio possidentis, qvod nova ratione hic confirmamus, qvia in dubio utrinq; est æqvalitas ac proinde non est, cur in hanc potius, quam in aliam partem obligent. *At si dubites, cui debeas*, obligatio nihilominus manet. Certus enim es te debere. Sicq; etiam si certo scias te debitum contraxisse, dubites vero an solveris, teneris solutione, cum constet te debere, & non constet te solvisse, cui tanto certiorem lucem affundit alterum prioribus istis non dissimile principium, In dubiis tutiora esse eligenda, Vid. *Rebell. de Oblig. Just. part. I. Qv. XIV. Sect. II. n. 8.*

XXIV.

Rursus *si dubitemus an causa damni extiterimus*, non obligamur, qvia melior est conditio possidentis, cur enim tantum onus in nos susciperemus,

peremus, si dubitemus an causa damni extiterimus. Debebimus igitur moraliter esse certi. *Less. Lib. II. c. III. Qv. 8. n. 38* & iterum si dubitetur de majori damno, & probabiliter nos in minori concurrisse evincatur, ad minus tantum sumus obligati, qvia de hoc est certitudo, de majori vero æqvale dubium, ac proinde non est, cur potius in unam partem nos obliget, qvam in aliam *Rebell. l. cit. n. 10.* Sic etiam in dubio *circa filium familias, sitne legitimus, an spurius?* Ille nihilominus cum aliis fratribus Jure hæreditatem paternam adit, partium jura enim sunt dubia, ac proinde melior habetur conditio possidentis, & vero iste censetur legitimus. E. nec pro alio debet haberi. *Azor. Inst. Moral. lib. 2. c. 9. Q. 10.*

XXV.

Q. An subditi, si dubitent, num aliquid faciendum sit, id facere possint accedente mandato superioris? Resp: Aff. Superiorem enim esse in legitima possessione, ac proinde obtemperandum esse Subditis, vel certe securius agere si obtemperent, ne se exponant peccati periculo, ut detrahant aliqvid juri ac potestati superioris. *Azor. l. c. Q. IX. Q. An milites evocati ad bellum, de cujus justitia dubitant, possint obedire superioribus?* Resp. Eadem Aff. Præsumptio enim est pro Superiori; Subditorum enim non est causam Bellorum, tanqvam supra ipsos positam judicare.

XXVI.

Si rem cognoscendam supra nos positam agnoscimus, est *Rationis captivatio*; Dixeris eandem rationis moderationem, h. ne Rationem ultra vires nostras extensam cupiamus. Cujus Illustratio ex communi virtutum explicatione ex parte petenda erit, nimirum ut intra terminos mediocritatis maneamus, ac proinde cognoscendo nec excedamus, nec deficimus. Qvæ mediocritas tamen non naturam thematis nostri adeo exhibet, qvam indubium ejus conseqvens est, æqve ac omnium rerum non tantum moralium sed etiam naturalium naturam seqvitur: Omnes enim certis modis ac limitibus ita conclusæ sunt, ut neq; in dextram neq; sinistram ullam in partem declinent, qva de re infra pluribus. Excessus vero, qvi hic occurrere posse videtur, eodem modo se habet, qvo excessus in Virtutibus Moralibus, ut potius sit simulatio aut imaginatio ratiocinationis, qvam verus ejus usus, sic enim & excessus cæterarum virtutum se habent, ut sint actus virtutem simulantes: Qvemadmodum & dictum

ctum Eccles. VII. v. 16. *Ne simus justi nimium*, de excessu accipimus, non de ipsa Justitia in natura sua (seqvitur enim v. 20. qvod nemo sit justus in terra, qvi faciat bonum & non peccet) Sed qvatenus est in opinione, qva multi sibi ipsis plus nimio vendicant ac tribui volunt Justitiæ. Vid. *Ames. Medull. Theol. lib. II. c. II. §. 40.* Objectum Captivationis seu Moderationis rationis sunt res supra nos positæ, eoq; cognitioni nostræ haut obviæ; Si enim obviæ forent, captivatione opus non esset. Effectum jam in Politicis nonnullibi elicuimus, nos declarare nimirum, qvod nec dicto nec facto à proposita sententia dissensuri simus: Qvod in Sacris ad ipsa cogitata extendendum est, & extendendum esse evidens ratio indicat, licet enim aggredi vellemus res supra nos positas, impossibile tamen id foret. Utriusq; confirmatio in natura Rationis sita est: Si enim Ratio est facultas cognoscendi rem in natura sua, jam Subditos in Politicis, qvia causas jussorum non cognoscunt, & nihilominus secundum jussa agere debent, Rationem captivare oportet, h. moderari ratiocinia sua, ne fictas rationes pro Veris adipiscantur. Similiter in rebus Sacris, qvia divina non possumus adæqvate apprehendere, Ratio captivanda est: Qvantumcunq; enim conemur evolare ultra vires nostras, non tamen nisi imposssibilia nos suscipere agnoscendum erit, ac si qvid suscipiamus, sine peccato id suscipere non possumus. Veluti autem res cognoscendæ non repugnant Rationi per se & qva talis est, sed tantum per accidens & ideo quia imperfectiones menti nostræ adhærent, ita Captivatio ista etiam exspirat statim atq; ad cognitionem naturæ rei penetramus: Sic enim in ipsis Sacris in altera vita fidem cessaturam jam ante diximus, cognoscemus enim Mysteria in natura ipsorum, circa qvæ in hac vita Rationem captivamus. E qvibus porro fluit. 1. Rationem h. imperfectam istam, qvam citra Scripturam retinuimus, quamque Lumen naturæ communiter vocant, non esse Principium fidei, h. Principium ex quo s. cur credamus; Cujus causa clara est, alias enim Scriptura haut opus foret, ac proinde nunquam digna conclusio esse potest, rem ideo de fide esse, quia intelligimus, cupimus, aut judicamus; Sed quia Deus in Scriptura ita loqvitur, ideo aliqvid de fide est, & hinc ita judicamus ac judicare aut credere debemus. 2. Rationem in Sacris tamen non tollendam esse, ipsa Scriptura enim ratiocinatur, qvodque majus est, ordine isto utitur, quem pro perficienda Ratione

nostra adhibemus. Definit: *Peccatum est Anomia 1. Johan. III. v. 4.* Dividit: *Semen aliud cecidit in viam, aliud in petram, aliud inter spinas, aliud in terram bonam. Matth. XIII. 4.* Inductione utitur: *Abel, Enoch, Noah, Abraham &c. per fidem placuerunt Deo. E. fieri non potest ut quisquam Deo placeat absq; fide, Hebr. XI.* Enthymema est: *Empti estis pretio. E. glorificate Deum in corpore vestro. 1. Cor. VI. 20.* Sorites est: *Quos praescivit, praedestinavit, quos praedestinavit &c. Rom. VIII v. 30.* Conclusio à proprio est, quam Christus format: Qvicunq; non sunt ex Deo, verbum Dei non audiunt, Judaei &c. *Johan. VIII. v. 47.* Conf. *supra Cap. I. §. III. IV. V.*

CAPUT IV.
DE
DEBILITATIBUS INTELLECTUS.

I. Conspectus Definitionum hujus Capitis.

II. Fatuitas modeste Simplicitatis nomine tecta. Cur Fatuos omnium rerum pudeat? Cur virgas metuant? Cur vera loqvantur? Cur robusti ac longaevi sint? An matrimonii capaces sint? An in Delictis excusandi?

III. Insaniae natura & causa, Melancholiae consideratio; An peregrina Energumenorum Lingva ad Melancholiam referri possint? An Scholastici insania excusandi sint?

IV. Furoris natura, Sauli malus Spiritus: De Contractibus, testimoniis, matrimoniis Furiosorum: An Furorem aut Insaniam simulare liceat?

V. Erroris natura, causa, species; Cur error initio parvus in fine magnus fiat? Cur Errores raro sint solitarii? Cur Errores enormes pertinacius defendantur? An Nihil sit tam Absurdum, qvin illud aliqvando statuerit Philosophus?

VI. De Obligatione Errantium: An contractus, cui Error causam dedit,

Redit, sit validus? Si Dolus det causam Errori, an Contractus validus maneat?

VII. De Errore in rebus matrimonialibus: An Error Uxoris cum alio concumbentis, quem existimat maritum suum esse, sufficiens Causa sit Divortii?

VIII. An Juramentum Errore extortum obliget? Quid de Actibus revera Bonis, sed per Errorem commissis sentiendum?

IX. An Error in Theoreticis sit Peccatum? An Christus secundum Humanam Naturam erraverit? An Homo ante lapsum dici potuerit errasse?

X. Stultitiæ Natura & Characteres: Cur molesta sit Stultorum Conversatio? Explicatio Dicti Matth. V. Quicquis Fratri suo dixerit, Stulte, Gehenna damnas erit. Cur sana quoq; Stultorum dicta in Stultitiam vertantur? Cur Stultis inter se non conveniat? Cur Risum excitent? Quid Stulto detur Stultius?

XI. Stultitia in Moribus seu Hoserei; Stultitia Affectata, Festum Stultorum.

XII. Præcipitantia & Inadvertentia explicatio earumq; comparatio.

XIII. Ignorantiæ natura; Quid in Divinis significet? Fratres Ignorantiæ, Ejus Species.

XIV. An & quæ Ignorantia sit malum Morale? An sit Malum Morale ratione sui, an ratione adjunctæ negligentiæ? An excuset Delicta? An liberet nos coram Tribunali Divino?

XV. Quomodo in Conscientia nostra certi esse possimus Ignorantiæ Invincibilis in Actibus nostris?

XVI. Barbaries explicata? An Barbari virtuosi sint? Cur Gentes Politiores sæpe ab ipsis Barbaris pro Barbaris habitæ?

XVII. Ignorantiæ Doctæ natura & Exempla.

XVIII. Curiositas & Ἀλλοτριοπραγμοσύνη explicata; Item Omniscientia, Sotiscientia, Scepticismus.

XIX. Credulitatis naturæ; Cur Pueri & Sexus Fœmineus sint creduli? Satanæ etiamsi probabiliter vera dicat credendum non esse. An Spectrum Thesaurum indicans seqvi liceat? Credulitatis & suspicionis comparatio?

XX. Suspicionis Natura, Causæ, effecta, excusatio, Remedium.

I.

DEbilitates Intellectus eodem ordine tractandæ veniunt, qvo Virtutes ejusdem vidimus. Atque adeo Ratio in Homine si naturali defectu laboret, nascitur *Fatuitas*: Connexionis in Ratiociniis defectus gignit *Insaniam*: Qvæ si cum violentia conjuncta sit, est *Furor*. Rationis prave instituta determinatio, si in rebus particularibus versetur, est *Error*; Si in Conclusione universali, *Absurditas*: Error contra communem sensum est *Stultitia*: Neglectus Judicii in considerandis rerum circumstantiis ac rationibus, seu violenta rerum agendarum determinatio est *Præcipitantia*. Scientiæ defectus est *Ignorantia*; Neglectus actualis cognitionis rei alicujus *Inadvertentia*: Inordinata Rerum apprehensio est vel *Curiositas*, inordinatus appetitus circa cognitionem, vel *Omniscientia*, dum nihil nos ignorare opinamur, vel *Soliscientia*, si soli sapere nobis videamur, vel *Scepticismus* dum incerta studio qværimus: Ad fidem pertinet *Credulitas*, h. immodica æstimatio fidei alterius; Ad Opinionem *Suspicio*, h. Vacillatio Judicii in seqviorem partem.

II.

Fatuitatis cognata nomina Vid. ap. *Cæl. Rhodigin. Lib. XVII. c. 1. 2. 3. 4.* Germani eam modesto nomine Blödigkeit / Latini *Simplicitatis* efferre cœperunt: Quo sensu & *Carolus Simplex* Galliæ Rex nomen hoc abstulit, more non insolito, ut Personarum Illustrium vituperia Titulis Laudum peragantur. Sic *Ludovicum Imp. Pium* dixere, qvem superstitiosum fuisse Scriptores Status Publici non ignorant; Et Henricus VII. Angliæ Rex Antecessorem suum Henricum VI. Principem Simplicem Sanctum declarari ab Aula Romana petiit: Cujus cum repulsam ferret, communis quidem opinio fuit, Julium rem nimio precio æstimasse, Regemque noluisse eam tanti emere, sed verosimilius est, inqvit *Verulamius*, Papam, qvi honoris Sedis Romanæ & Actorum ejus fuit studiosissimus, satis gnarum eundem Henricum ubiqve pro homine simplici & minus capaci habitum, metuisse, ne honor is tali admissione vilesieret, si discrimen rite servatum non esset inter innocentiam & sanctitatem. *Histor. Henrici VII. fol. 122.* Sunt hæc *Turpis faciei larva venusta*; Et Pontifex ea intellexit, ut erant magis, quam ut dicerentur, uti Tacitus de Tiberio loqvitur *III. Annal.* Signa fatuitatis indubia hebetudo & ruditas sensuum ac Judicii:

Judicii: Unde qvotiescunq; intellectus opera opus est, tarde omnia ac sine modo, nec debita; occasione ac tempore peragunt; *Et fiducia rerum gerendarum destituuntur*, quia ob Intellectus debilitatem nesciunt quid recti factis suis insit: Ideo & majorum suorum vultum etiam in virili ætatę reverentur, & ea qvæ ipsis per ætatem grandiorem non modo facere licet, sed decet, summopere ob eandem inanem majorum reverentiam patrare pertimescunt: Virgas *etiam metuunt*, Puerilis enim correctio est. *Cur vera loqvantur* ratio itidem est, quia sine judicio sunt, ideo nec modi nec occasionis, nec temporis rationem habent, ac proinde recta incedunt, qvanqvam mere per accidens: Neq; enim magis vera loqvi dici possunt, quam si brutum latratu ac mugitu suo rem præsentem aut præteritam indicet, ubi indicio nullo opus erat. Eosdem *sæpe robustos ac longævos cernere est*, Spiritus enim nulla contemplatione aut actione digna absumuntur: Trahitq; eo *Verulamius* Senecæ dictum: *Stultus semper incipit vivere. Histor. Vit. & Mort. f. 134. Q. An Matrimonii capaces sint?* Resp: Præstare si admittantur, qvam si libidine utpote actu naturali urantur, in Matrimonio enim natura ipsa aliqvid cooperatur, & rudes qvoqve edocet. *Zacb. Q. Med. Leg. Lib. II. Tit. 1. Q. 7. n. 23. Q. An in delictu excusandi sint?* Resp. Pro Negativa facit, illos si non ex cognitione Intellectus, saltim ex consvetudine posse delictorū naturam apprehendere, cum & pueri ipsi, qvorum ingenio horum ingenium æqviparari solet, id ipsum facile asseqvantur, utpote cognoscentes delicta ex sui natura mala esse & idcirco fugienda. *Zacb. cit. l. n. 25. & seqq.*

III.

Insania consistit in turbata Ratiociniorum connexione, seu generalius in turbata connexione actionum nostrarum cum fine suo: Nam & Bruta insana dicimus, & Canis furens connexionem cum Bono privato suo non amplius cognoscit. Cæterùm vitium est Fatuitati valde affine, causa qvoq; communi subinde productum, organorum videlicet læsione, sed à *Fatuitate Naturali* modo, à *Fatuitate Morali* seu Stultitia ipsa causa divertit: *Fatuitas Naturalis* sine actionibus est, at Insaniam actiones non destituunt, licet Irregulares sint. In Fatuitate Morali vero causa est erroris contra communem Sensum pertinacia; At in hac est passionum justo major vehementia seu Organorum læsione producta, seu ipsam Organorum læsionem efficiens. Et rem se haut aliter habere in operationibus E-

briorum cernere eſt, qvorum in moribus varietas eadem, qvæ in inſanis occurrit, qvorum alii furunt, alii amant, alii rident, omnes modo inſolito, ſed ſuæ qvisq; paſſioni congruo. Et homines ſobrii etiam, qvando absq; omni animi cura & occupatione ſoli incedunt, non libenter vellent cogitationum ſuarum vanitatem atq; exorbitantiam tunc cum eas cogitant, publice apparere, id quod confesſio manifeſta eſt, pasſiones irregulares plerumq; inſaniam meram esſe. *Hobbes Leviathan. c. VII.* Qvâ de re jam ſupra actum. Ac ne in ſingulas Inſaniæ ſpecies excurramus, qvam totuplicem opinamur esſe qvot pasſionum ſunt genera, ipſarumqve pasſionum objecta, omnem Pasſionum vehementiam vel in nimiam animi elationem, vel nimiam ejusdem demisſionem reſolvi putamus. Ad priorem tendit vindictæ cupido, Superbia enim iratos facit; Et ſtultos ideo ſubito iraſcentes paulo poſt inducemus, qvia ſuperbi ſunt: Amor deinde & qvæcunq; magna ſui ipſius æſtimatio propter Sapientiam, Eruditionem, Formam & ſimilia tendit ad Inſaniam, qvotiescunq; in Actiones reſolvitur connexione deſtitutas. Demisſio animi obnoxium facit metui, ubi metus nulla cauſa eſt: Qvam Inſaniam appellant *Melancholiam*, apparetq; itidem varie, ut in iis qvi freqventant ſolitudines, in ſuperſtitioſis, & in univerſum ea timentibus, qvæ cæteri non timent. Iterum *Hobbes. l. c.* Legendumq; hac de re imprimis egregium Scriptum *Burtoni Angli. Democritus junior* dictum, qvo Melancholiæ cauſas variaq; genera prolixe deſcribit eidem vel immortuus, vel impenſe eo delectatus, Monumento ſuo enim hæc inſcribi curavit: *Paucis notus, paucioribus ignotus hic jacet Democritus Junior, cui vitam dedit & mortem Melancholia.* Eodem Hobbeſius refert ſtupenda Energumenorum phænomena, & in ſpecie facultatem peregrinas lingves loqvendi, qvam homo ex forti Phantaſiæ vitio adipiſcatur. Cui opponimus, voces non natura, ſed ex impoſitione Hominum ſignificare, unde veluti nulla poteſtas noſtra tanta eſt, qvæ dominetur in conceptus alterius, ita nec aliqvam dominari posſe in id, qvod in ſolo arbitrio alieno ſitum eſt, veriſimile eſt. Scholaſticos quoq; huc referendos putat ob ſermones eorum inſignificantes, qvodqve ſcribant de rebus incomprehenſibilibus. Reſp: Scholaſticorum obſcura iſta conamina imbecillitatem animi vel potius obrutam vim intellectus esſe non facile negatum iri, ſpiritu eorum, cum materia careat, qvaqva verſus ad res formandas excurrente, qva de re egimus *præc. c. III.* Inſaniæ

nomen

nomen vero his non magis attribui posse ac omni errori, cujus ab Insania discrimen mox exhibebitur.

IV.

Furor est Insania cum violentia conjuncta. In Sacris aliqvando *malus Spiritus* vocatur, ut in Sauli affectu, qvi nihil aliud fuisse videtur, qvàm Furor qvidem Melancholicus, qvia cantu curari potuit. Natura ejus cum prioribus eadem, unde & eosdem in Moralibus sortitur effectus. *Furiosorum contractus aut donationes non valent*, qvia consensu carent. *Iidem testari non possunt*; Carent enim Intellectu, qvo in Testimoniis opus est. Et si testari possunt de iis qvæ in furore viderunt, postqvam ad sanam mentem redierunt, causa est, qvia Intellectus beneficio iterum utuntur: Qvæ autem testantur, memoriæ debent, qvam cum Brutis communem habent. Qv. *An solvi debeat Furiosis?* Resp. Neg: Ne datio ex illorum imbecillitate pereat. *L. Servus. 68. ff. de Solut.* Qv. *An matrimonii capaces sint?* Resp: Tutius abstineri, cum plus incommodi seqvatur & ratione conjugis, qvæ in periculo esse potest, & ratione foetus, à qvo similis amentia metuenda. Varietati circumstantiarum tamen hic aliqvid dandum erit. *Qv. An spe sanitatis recuperandæ Matrimonium indulgendum sit?* Resp: N. Ex dubiis prioribus, addimusq; hanc ipsam spem dubiam esse, at in dubiis eligenda tutiora. *Q. An Uxor obligata sit ad præstandum debitum conjugale Marito furioso?* Resp. itidem Neg: ex rationibus datis, ob pericula salutis propriæ & metu amentiæ prolis. Objici potest promissum de non deserendo conjuge. Resp: Itidem integrum manere, sed non qvoad omnes fidei modos, cur enim lecto etiam non accumberet, cur communi conclavi non uteretur? Qvæ omnia non tuto svadentur, tutiora igitur & hic eligenda. Qv. *An furorem simulare liceat?* Resp: à prudentibus inter monita Politica reponi: Sapientis esse nonnunqvam simulare stultitiam Vid. *Machiavell. Disc. in Liv. Lib. III. c. 2.* ubi Bruti exemplo docet, eos qvi tyrannidem iniquo animo ferunt, hac ratione tutos esse ab omni suspicione, frui tyrannorum fortunis opibusqve, & occasionem captare posse tyrannidem suo tempore vindicandi. Id ipsum tamen non sine difficultate maxima esse: *Vulgo ajunt Magnis Principibus omnia licere. qvod non negaverim fortè: Istud saltim dicam*, non cuivis licere simulare stultitiam aut morionem agere, *nisi excellenti ac præsubtili præditus sit Ingenio. Qvi amen-*

tem

tem aut rationis expertem sua persona repræsentare volet, illum sapientem & ratione optima præditum esse necesse est. Tum enim nil est hac insipientia, imprimis cum sibi finem saluberrimum, à qvo totius aliqvando solus dependet atq; incolumitas propositum habet. Barcl. Contin. Argen. Lib. X. c. IV. fin. De Davidis exemplo in specie ambigitur, quem eodem simulandi genere usum legimus, cum Sauli caussa ad Achim Philistæum confugisset. Sunt qvi cum hoc discrimine judicant, Davidem peccavisse, si ex animi demissione simulatio isthæc profecta sit, si ex confidentia in Deum, nihil mali egisse. Nobis non displicet, qvod Tostatus pro Davide affert: Actum istū Davidis humiliationem personæ ejus & dejectionem status inter viros honoratos necessario quidem præ se tulisse, sed neutiqvam Insaniam; Ac proinde dicemus excusandum esse Davidem, qvi infra Statum suum se tantum demiserit, sicq; nec à vera simulatione recesserit, qvæ est, partem propositi talem prodere, è qva alter aliud colligat qvam revera toto proposito nostro continetur: Et Achis quidem actibus Davidis aliam interpretationem addidit, sed hæc Davidi non imputari, eoque nec peccatum genuisse dici potuit, cum non Insaniam simulaverit, sed actus infra statum suum positos tantum commiserit.

V.

Errorem diximus *Rationis prave institutam determinationem*. Ejus discrimen ab Ignorantia est, qvod hæc veritatem relinqvat, Error vero tollat. Caussæ reddi solent. 1. Ignavia & negligentia. 2. Tenuitas Ingenii. 3. Perversus ordo discendi. 4. Defectus Experientiæ. Attributa ejus sunt *I. Crescendi celeritas.* Vitium enim est, unde in infinitum tendit, ac proinde & infinities augeri potest: Qvod non male expressere, qvi Errorem parvum initio in fine magnum fieri observarunt, qvemadmodum modica deviatio in principio bivii progredientem in eadem ad maximam distantiam ducit. *II. Multiplicandi celeritas, seu Fæcunditas*, quod alias exprimunt, Errorem esse Socialem, raro solitarium. Ratio est, qvia ut rerum series, ita conceptus nostri à se invicem dependent, & qvasi concatenati sunt, qvorum si unus deviet, illi qvi seqvuntur, non possunt non eodem modo duci. Sic particula crescentis rami si à solita rectitudine declinet, continuo aliæ attrahuntur eodem ductu declinaturæ. *III. Tenacitas*, qvam gignit pertinacia conceptuum, qvi, si inveterascunt animum obdu-

obdurant. *Et Errores quo enormiores sunt, eo pertinacius defenduntur*; Specie Subtilitatis enim aut Sublimitatis se muniunt, unde Ratio nostra qvippe imperfectionis suæ sibi conscia iis cedit. Specimina in Theologicis passim prostant, eorumq; nonnulla produxit *J. Despagne Err. Popul. Sect. II. c. XIX.* Species *Erroris* sunt. I. Errorem esse *Speculativum vel Practicum*. Speculativus in cognitione subsistit; Practicus est de rebus agendis: Idemq; rursus est Juris vel Facti. In *Errore Juris* gradus sunt, ut sit *Gravissimus*, *Gravis*, *Levis*. Error *Facti* est circa Factum alienum vel proprium: Ille dici potest *Error in Hypothesi vel Historicus*; Iste est Error Conscientiæ circa factum nostrum seu præteritum seu futurum, & hinc sicut etiam ab Errore circa Jus nostrum *Conscientia* denominatur *Erronea*. II. Error secundum gradus distingvitur in *Falsum simpliciter & Falsum Malignantem*, qvi posterior *Absuditati* æqvipollet, qvippe intensiori Erroris gradui. III. Errorem in Theologicis distingvere solent in *Popularem*, *Heterodoxum & Parodoxum*, qvæ tamen Distinctio ad alias materias humanas etiam transferri potest; *Popularis* est, qvi vana persvasione & credulitate vulgi nititur; *Heterodoxus*, qvi publica professione traditur, cum exclusione omnium aliter sentientium. *Paradoxus*, qvi incurrit in communem aliqvam Veritatem, qvem etiam in specie *Absurditatis* nomine expressimus supra §. 1. Sic qvi bis duo qvatuor esse negat Absurditatis damnatur, negat enim aliqvid contra communem veritatem. Distinctio Erroris in *Culpabilem & Inculpabilem* materialis est, & ex substrata materia dignoscendus. In Applicatione videndi pluribus Scriptores *de Erroribus*, qvalis in Theologicis *Joh. Despagne aux Erreurs Populaires*, Drelincourt *des faux visages*; In Jure *Antonius Faber de Erroribus Pragmaticorum*; In Medicis *Leonicerus de Plinii & aliorum Medicorum Erroribus*, & Laur. Joubertus de Erroribus Popularibus in Medicina; In universis vero Facultatibus *Thomas Browne Enquiries into vulgar Errours*, *seu de Erroribus vulgi*. Q. Qvid de Dicterio sentiendum: *Nihil esse tam absurdum, qvin idem statuerit aliqvando Philosophus?* Resp: Verum esse, sed duplici sensu. I. Nihil est tam absurdum, qvin illud statuerit Philosophus: Qvia Philosophia & Theologia apud veteres una eademq; fuere, qvemadmodum ipsæ Sectæ Philosophorum Gentilium jam tum non aliæ fuerunt, qvam totidem apud Christianos dictæ Hæreses: Theologia vera autem Animali

Homini Stultitia est. *Animalis Homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei; Sunt enim ei Stultitia, nec potest cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur, 1. Cor. II. 14.* II. *Nihil est tam absurdum, qvin Philosophiæ nomine tectum fuerit.* Atheismus seu Directus, seu Indirectus res omnium absurdissima est, & tamen Libertate Philosophandi se obvelat. Sic Atheus iste, qvisqvis fuit, in ipsa fronte Tractatus sui Theologico-Politici loqvitur, *Libertatem Philosophandi non tantum salva Pietate & Reip. Pace posse concedi, sed eandem nisi cum Pace Reip. ipsaque Pietate tolli non posse.* Qvo Libro tamen purum putum Naturalismum profitetur, qvanqvam non aliis ferè qvam ab Hobbesio, Naturalismi Antesignano, mutuo acceptis commentis, cujus verò nuspiam ferme mentionem facit. Similem abusum splendidi nominis Politici *vid. præf. in Polit. Parall.*

VI.

De *Obligatione Errantium* dicendum: I. *Errorem Juris* manere obligationem, qvia qvilibet præsumitur scire jura per se vel per informationem à peritis: Jus Dubium tamen excipiunt, errantem enim præsumi consuluisse peritiores atq; ab iis errorem percipere non potuisse, æqviparantqve Errorem hunc Errori facti. *Errorem Facti* vero neutiqvam manet obligatio, qvia qvi errant non videntur consentire *l. 116. ff. de R. J.* Conf. *Grot. J.B. Lib. II. c. XI. §. VI. n. 2.* II. *Errorem esse circa substantialia rei, h. qvæ rem subjectam per se contingunt, vel circa Accidentalia, h. qvæ rem non contingunt,* ut si res putetur facilior, jucundior, commodior. *Circa Substantialia Obligatio nulla est*, itidem ob defectum consensus, non enim consentit in illam rem, sed in aliam qvam putat subesse istis accidentibus: Ita si venditor gemmam putet esse vitrum & pro tali vendat, Emptor re comperta tenetur ad restitutionem gemmæ, vel ad justum ejus pretium, qvia venditor non consensit in alienationem gemmæ, sed vitri. Similiter si venditor vitrum vendat pro gemma, qvia non consentit Emptor in emptionem vitri, sed gemmæ, qvam putat esse sub illa specie, ad restitutionem ejus tenetur. Error vero *circa accidentalia non tollit obligationem*, qvamvis sine illo errore non voluissemus obligari: Rationem reddit Soto, qvia accidentalia vix possunt sine experientia cognosci, *de J. & J. Lib. VII. Qv. I. art. 2.* Pendentq; hinc specialia qvæsita: *An Contractus, cui Error causam dedit,*

dit, sit validus? Resp; Si Error circa substantialia sit, non esse, ex ratione ante data; Si circa Accidentalia validum relinqvi: Confirm. qvia si talis Error tolleret valorem, pleriq; contractus possent dissolvi, plurima enim superveniunt vel latent, qvæ si ab initio cognita fuissent, noluissent homines contrahere, & ita nihil in contractibus aut statu hominum esset firmum, aut stabile: Nec refert dolum aliqvem ita videri intervenisse, neq; enim contrahens præ se tulit animum Contractui repugnantem, & si scivisset qvalitatem rei, tamen voluisset contrahere, qvamvis non illo pretio. *Less. Libr. II. c. XVII. Dub. 5. & Lib. eod. c. XLI. Dub. II. n. 1.* Conf. *Grot. J. B. Lib. II. c. XII. §. IX.* Qv: *Si Dolus det causam Errori, an Contractus validi maneant?* Resp. Itidem qva Substantialia nullos esse; Is enim qvi nobiscum contrahit vitia sibi nota rei significare debet, qvia inter contrahentes propior qvædam est Societas, qvam qvæ communis est Hominum. *Grot. J. B. II. XII, 9, 2.* Ad Accidentalia qvod attinet, agnoscendum qvidem, ipsos non injustos esse, h. non parere actionem in Foro Humano, alias enim uti dictum, contractus pleriq; dissolvi possent, qvod actiones humanas in infinitum ducit: In Foro Conscientiæ tamen Peccato non carent, qvia cum animo lædendi alterum conjuncti sunt, qvod inæqvalitatem parit, eoq; læsum tanqvam minus habentem non sine Jure coram Deo relinqvit. E qvo etiam solvimus Qvæstionem: *Si fictas de caritate Annona nobis excidere patiamur literas, ut ab eo legantur, qvem frumentum præsens cariori precio emere cupimus, an restitutionis teneamur?* Resp: *Comitolus*, Restitutionis non posse teneri, alterum enim non debuisse credere literis. *Resp. Mor. Lib. III. Q. 32.* Sed opponimus, in Foro Conscientiæ omnino teneri, illud enim Actiones nostras non ex inadvertentia alterius, sed animo nostro dijudicat, qvi erat ut alter læderetur, & qvidem eo confidentius, qvod sciremus, ipsum Jus suum in Foro Humano proseqvi non valiturum. Secus est *si neuter contrahentium sit particeps doli, sed decepti sint, vel propria opinione vel à tertio*; Tunc enim nulla intervenit Injuria partis. Less. *l. c.*

VII.

Qv. *An Error efficax sit ad tollendum matrimonium?* Resp. Itidem Aff. qva Substantialia, ut si una pro alia substituatur. Jacobus tamen Leam suppositam retinuit, in retinendam enim consensit postea,

 sine

sine dubio ob interventum copulæ: Qvod est, qvod alias dicunt, Contractus ejusmodi tamdiu esse invalidos, qvam diu res adhuc sit integra. Similiter dijudicandum si Fœmina impotenti nupserit, qvæ ipsi obligata non est, qvia impotentia tollit Substantialia matrimonii. Qv. *An Error in Virginitate solvat Matrimonium?* Affirmativam olim sustinuit Jus Divinum Forense, Deut. *XXII.* Sed Lex hæc in desvetudinem abiit, sicuti Jure Civili firma est emptio mulieris, qvam qvis emerat pro virgine, in sexu enim erratum non est, ut ait Ulpianus. Accedit Mulierem ejusmodi æqve ac Virginem marito obseqvia thori & prolis reddere posse: Itaq; Error hic non solvit matrimonium, qvamvis thorum possit separare. *Tholos. Synt. Jur. Lib. IX. t. XII.* Qv. *An Error Uxoris cum alio concumbentis, qvem prudenter existimat esse proprium Maritum, sufficiens sit causa Divortii?* Resp: Neg. Qvia in ejusmodi casu nulla formalis culpa vel Injuria contra fidem Matrimonii committitur. Fas itaq; non est, ut aliqvid detrimenti patiatur Fœmina absqve ulla sui culpa. Vocant hoc *Adulterium Materiale*, & secus est, si prudenter existimans Maritum diu absentem obiisse cum alio fornicetur; Versatur enim in actu illicito, & si non animo adulterandi peccavit, formaliter tamen & proprie fornicaria est, neq; enim maritus sine dedecore suo eam ad cohabitationem iterum admittere, vel ad durissimam ejusmodi sortem adigi posset: Qvæ fere *Dianæ* est sententia. *Tom. II. Tr. VI. Ref. 163.* Sed opinamur eam nec ab Adulterio liberam esse, qvia totum ejus qvicqvid est actus in re illicita versatur, debuisseq; & simplici fornicatione abstinere; Facitq; huc non ignota in universo Jure Regula: Eum, qvi operam dat rei illicitæ, omnium istorum teneri, qvæ etiam præter intentionem ac voluntatem operantis seqvuntur.

VIII.

Qv. *An Juramentum Errore extortum obliget?* Resp: Neg. 1. Juramentum enim seqvitur naturam actus, super qvem cadit, in qvem consensuri non essemus, si recte constaret nobis de eo. 2. Juramentum promissorium interpretandum est, si res in eodem Statu permanserint, nec mutatæ fuerint notabiliter. Jam vero Erroris interventu non manent in eodem Statu, qvo primum apprehensæ fuerunt. *Less. Libr. II. c. XLII. Dub. VII.* Qv. *Qvid de actibus revera bonis & inculpabilibus, sed per errorem commissis sentiendum?* Responsio Generalis est,

in

in Foro Conſcientiæ eos ex animo agentis æſtimandos eſſe. Caſus ſunt: *Si qvis adulterium cum fœmina aliena ſe committere ratus, cum propria conjuge concumbat*; Vel, *Si dum rem alienam nos auferre putamus, noſtram auferamus?* Reſp: Eſſe actus materialiter tantum bonus eoq; revera peccata, ſi non in ſe, certe in cauſa. Prob. Quia delictum delinqventis animo conſummatum fuit; Nec bonitas ſecutæ Actionis ex voluntate delinqventis fluxit, qvippe qvam non commiſiſſet, ſi vere eam ſcivisſet. Eſtq; prior ille caſus, qvem Patres inprimis *Adulterium cum propria uxore* vocare ſolent. In Foro Civili tamen ab ordinaria pœna abſolvitur, qui ita deliquit, ac rationem reddunt,ſe Veritatem non opinionem delinquentis ſpectare. *De Actibus bonis, ſed per errorem malis* minor difficultas eſt, Reſponſumq; in iis qvæ diximus jam tum elucet. Sic ſi rem alienam abſtuleris, quam tuam eſſe putes, furtum materiale tantum eſt, animus lædendi enim abfuit. Conf. qvæ de *Adulterio materiali* paulum ante allegavimus.

IX.

Qv. An Error in Theoreticis ſit peccatum, ut ſi ſtatuamus cœlum moveri per Intelligentias? Reſp: Neg. Eſt enim in rebus, quæ non attinent intimam naturam hominis, qua homo eſt; Secus eſt,ſi alia & meliora docentis audire abnuamus, tunc enim pertinacia eſt in non neceſſariis, qvæ vitium. *Qv. An Chriſtus ſecundum Humanam Naturam erraverit?* Reſp: 1. In omnibus qvæ concernebant officium ejus, erga Deum & Proximum qva homo, & qva mediator erat non erravit,nec errare aut decipi potuit, pugnasſet enim cum perfectisſimo ejus ſtatu. 2. De Erroribus Theoreticis perinde pronunciandum ducimus, labilis enim non fuit: Ignorare tamen aliqva potuit, ideo dicitur profeciſſe ſapientia *Luc. II. v. 52.* & diem Judicii ſe ignorare ipſe profitetur. Qv. *Qvid de Ficus Exemplo, Matth. XXI. v. 19. & Marc. XI. v. 13. 14. ſentiendum?* Sunt è Commentatoribus qvi reſpondent, Dominum ſimulaſſe potius Ignorantiam aut Errorem; Sed illud prudentiæ & Candori ejus neutiqvam convenit. Nos nec ignoraſſe, qva conditione ficus eſſet, tanto minus erraſſe eo nomine, neq; ex verbis textus defectum ejusmodi colligi poſſe opinamur. Vidit ficum & adiit, ſi forte aliqvid in ea inventurus eſſet, qvi actus ſi qværentis fuit,ut communiter autumant,certe non erravit Dominus; Qvi qværit enim ignorat qvidem aliqvid, non errat

 tamen,

tamen, etiamsi nihil qvæsito ejus respondeat: Sed ignorasse tamen videtur, ficum fructu caruisse. Resp: Matthæum hac de re plane silere: Venisse ad ficum dicit, & nihil invenisse in ea nisi folia, perinde autem est in arbore fructu destituta s. sciamus s. ignoremus eam fructu carere, fructum certe in eo non invenimus. Marci verba jam ante reddidimus: *Venit veluti inventurus aliqvid in ficu, & nihil invenit*, in qvo itidem non necessario Ignorantiam intercedere opus est, cum actus externus ejusmodi tantum requireretur ad intentionem Servatoris, de qua mox dicendum erit. Sed inprimis torquet Interpretes *non fuisse tempus ficorum*. Resp: Vitium in translatione esse, Græca enim *οὐ γὰρ, οὐκ οὖν*, non negative tantum, sed non minus crebro affirmative accipienda, per nonné cum interrogatione, item profecto, enimverò & similiter reddenda. Exempla vid. ap. *Steph. in Lexico ad οὐκ οὖν & οὐ γάρ.* Sensus ergo plane contrarius est, non, nondum erat tempus ficorum, sed *Enimvero erat tempus ficorum*: Qvo sensu etiam opus esse & seqvens maledictio & intentio Domini exigit; Aliàs actus irrationalis futurus fuisset, ut maledixisset arbori ob culpam, cujus neutiqvam rea erat: Qvem etiam ut auferret hinc, Abulensis respondet, actum istum Christi euntis ad ficum fuisse temperatum prudentia, ita ut non totaliter ostenderetur esse ad significandum, & nihil habere de verisimilitudine l terali, neq; etiam tantum fuisse verisimilem secundum literam, qvod tolleret significationem ac proinde qvædam poni, qvæ ostendant factum esse ad significandum. &c. Sed qvicqvid hujus sit, ne circumstantias quidem irrationales de Servatore præsumi oportet, à qvibus actum hunc ista responsio Abulensis non potest absolvere: Perstabit ergo fuisse tempus ficorum & sensus integer erit: *Christum ivisse ad ficum, nihil invenisse in ea præter folia, cum tamen esset tempus ficorum, ac proinde maledixisse tam infrugiferæ arbori*; Et maledixit quidē Dominus arbori non ex indignatione aliqva, ut solent homines, qvi cœco & impotenti spiritu ducti rebus inanimatis maledicunt, si sibi non respondere sentiant pro lubitu, sed ut rei, qvā intendebat indicare, significationem apertius proponeret. Ut enim Prophetæ non solum verbis, sed & rebus ipsis aliqvando prophetarunt, veluti Jesaias nudus & discalceatus publice incedens *Jes. XX. v. 2.* Sic Dominus in Parabolis multa non solum dixit, sed & fecit, & inter cætera ficum hanc typum esse voluit populi Judaici, qvi hactenus sine ullo fidei fructu

fructu permanserat, contentus ornatu foliorum i. inanibus verbis, jactatione Legis, gloria templi &c. Ob hanc causam brevi fore significat Christus, ut ipso justo judice populus ille damnetur sterilitatis, & qvi fructum injustitiæ suo tempore ferre non voluerit, deinde nec possit. Hujusq; proinde rei paulo post efficiendæ imaginem esse voluit Christus arboris condemnationem, qvi in certissimum instantis Divini judicii testimonium sententiam illam in ficum pronunciavit, & magno futuræ in populum Judaicum maledictionis prodigio statim executione subseqvente confirmavit, atq; cum hoc exemplo reipsa ostenso, tum aliis pluribus sermonibus calamitatem illis impendentem denunciavit. Videatur inprimis cit. *c. XXII. Matth. v. 43.* qvo eodem fine prædicit Servator Regnum Dei in Judæis sublatum, Gentiq; datum iri, quæ ferat fructus ejus. Vid. pl. *Franc. Lucas in Matth.* XXI. *v. 19.* *Qv. An homo ante lapsum dici potuerit errare?* Ratio dubitandi in eo sita, quod si homo lumine integræ scientiæ in statu integritatis illustratus fuerit, in mentem ejus Deceptio haud cadere potuerit. Ac proinde statuunt qvidam *prolapsum aliqvem* in peccatum elationis similesve subtilitates, sed scrupulus manet idem, ne in inordinata elatione qvidem hominem in prolapsu peccare potuisse, nisi error in intellectu præcesserit. Augustinus nodum rumpit magis quam solvit, & *si credendo non sunt ambo decepti*, inquit, *peccando tamen ambo sunt capti & Diaboli laqueis implicati.* Sed ita doctam Ignorantiam fortean profiteri voluit, quam & cum plerisq; Eruditorum hac in re profitemur. Dici tamen posset, primos parentes nostros fuisse quidem perfectione intelligendi & volendi instructos, sed non secundum omnes perfectionis modos, h. non eo gradu, cujus capaces erant, instructi fuerunt, qvem si habuissent, confirmati fuissent in statu isto; Diceturq; ita ipsa confirmatio præcipue consistere, non simpliciter in perfectione, sed in perfectionis hujus ad summum gradum, cujus creatura talis capax est, evectione.

X.

Stultitiam vocavimus *Errorem contra communem sensum*, seu potius *Erroris contra communem sensum pertinaciam:* Fatuitatem etiam dici moris est, qvam qvidem in discrimen à *Fatuitate* superius tractata vocabimus *Fatuitatem Moralem*, veluti illam *Fatuitatem Naturalem* i. Scholastici eam forte *Fatuitatem effective* dicerent, h. non naturæ vitio, sed

ſed vitioſis operationibus laborantem, veluti *Priorem Fatuitatem formaliter;* Et utriusq; cum inſania communis character eſt, quod connexione careant. Ac Scriptura qvidem generalius ſubinde unumqvodqve delictum, ac proinde unumqvemq; receſſum à ratione Stultitiam vocat, ut *Pſal. XXXVIII. v. 6. Contabuerunt tumices mei propter* Stultitiam *meam. Pſ. LXXXV. v. 9. Ne revertantur ad* Stultitiam: Qvo referenda quoq; Interpretis Germanici phraſis, **wurden ſehr zornig/ daß er eine Narrheit an Iſrael begangen.** Genes. XXXIV. v. 7. **Sie haben einen Muthwillen und Thorheit gethan in Iſrael.** Jud. XX. v. 6. Qvæ tamen Latini per *Flagitium* exprimere ſolent. Communiori ſenſu autem Stultitia defectum Rationis pertinaciâ Erroris natum ſignificat, qvam etiam indigitavit Salomon Prov. XXVII. v. 22. *Si contunderes Stultum in piſtillo minutiſsime*, ſeu ut Germanicus interpres loqvitur, **wie Grütze/** *non recederet ab eo Stultitia ejus.* Sic enim exprimit, *Stultitiam totam in toto, & totam in qvalibet parte eſſe*; Et Vermibus ſi æquiparantur Stulti, tertium hoc certe inter alia commune habent, qvod in complures partes diviſi iidem permaneant; Ad Genera ej9 qvod attinet tot eſſe videntur, qvot modi ſunt Errorum tenaces, ſive quot Errores dantur, qui pertinaciter animo adhærere poſſunt, qvales in Navem Stultorum olim compegit Keiſersbergius, ex cujus Diſſertationibus poſtea Librum *Navis Narragoniæ*, Germanicis Rythmis compoſuit *Sebaſtianus Brand*, cujus Magnificum extat Elogium apud *Trithemium de Script. Eccleſ.* Latinitate eam donavit Jacob Locher, ante illum verò jam *Navem Stultiferam* vario carminum genere addito commentario & iconibus ſeu picturis conſtantem, Titulis 113. & generibus Stultorum 112. Pariſiis edidit *Jodocus Badius Aſcenſius An. 1507.* Characteres Stultitiæ ex parte proprii, ex parte ſunt pertinaciæ conſeqventia. Stulti enim *ſibi ipſis placent* Prov. XII. v. 15. *& delectantur non intelligentia.* Hinc *fiduciam in ſeipſos ponunt*, Proverb. *XXVIII. v. 26.* aliosve contemnunt: *Audiente ſtolido ne loquaris, nam ſpernet te cum prudentia dictorum tuorum*, Prov. XXIII. v. 9. *Qvicqvid vero poſſunt effutiunt*, Prov. XII. v. 23. XXIX. v. 11. neqvo videantur deſtitui, *& tamen mera impoſtura eſt.* Prov. *XIV. v. 8.* Fundamentum enim non habent: Unde & *tam moleſtam converſationem cum iis* inculcat Salomon (1.) Ob erroris pertinaciam, unde comparantur Sali & Ferro, quæ corpora non plane quidem non, difficulter tamen moveri poſſunt,

ſunt, Prov. XXVII. 3. & Prov. XVII. 12. *Præſtare dicit Urſa orba obviam venire, quam ſtolidum ferre in ſtultitia ſua*, quo ſumma difficultas converſationis hujus procul dubio innuitur. (2.) Converſatio hæc turbulenta eſt. *Vir ſapiens, ſi diſceptet cum viro ſtulto, ſeu commoveatur, ſeu rideat, nulla tamen eſt qvies*, Prov. XXIX. 9. Confer. XXX. 22. (3.) Caret fine, contemnit enim alios, nec proficimus per eum, Prov. XIV. 7. *Abi à viro ſtolido, non novit enim te inſtruere verbis ſcientiæ.* Signa externa eodem fonte nata; *petulantes enim ſunt*, Prov. X. v. 23. *Subito & graviter iraſcuntur*, Prov. XII. 16. & XXVII. 3. *Sermonem faſtuoſum inſtituunt*, qvod Lutherus reddit: Sie reden Tyranniſch / Prov. XIV. 3. *Præſidenter ſe ingerunt*, fahren hindurch thurſtiglich / Prov. XIV. 16. Qvæ cuncta tamen rurſus non niſi impoſturæ ſunt ex verbis ante citatis: Unde & conſiliorum ignari ſunt, ſilentq; in rebus ſeriis, *non audent in porta aperire os ſuum*, Prov. XXIV. 7. Extra Sphæram ſuam enim tunc acti ſunt: Unde & honores male gerunt, qvippe Elemento ſuo alligati, extra qvod ſi agunt, damno ſunt. Sic Prov. XXVI. 1. *Ut nix æſtati & pluvia meſſi, ita non convenit ſtulto honor.* Nix, pluvia iſtis temporibus maximo damno ſunt, ſic Stulti vitæ humanæ, dum honores gerunt. Singulare eſt Servatorem omni hominũ generi ſe adjunxiſſe, at cum Stultis nuſpiam converſatus fuiſſe legitur, hos enim conditio ſua infra homines ponit. Sic inter homines etiam nulla contumelia eſt, qvæ gravius afficit, qvam ſi Stulti appellentur, ob cauſam eandem, nam quantacunq; delicta conviтiis aliis exprobrentur, humani tamen aliqvid relinqvitur, at Stultum dici eſt Rationis haut compotem dici, eoqve è numero hominum exterminari, qvæ obſervatio eſt *Joh. d' Eſpagne.* Indeque porro lucem afferimus dicto Servatoris Matth. V. 22. *Quisquis dixerit fratri ſuo, Fatue, damnas erit ignis Gehennæ.* Dicto iſto enim tres adverſus proximũ indignationis gradus recenſentur, qvamvis impari peccato: Unum eorũ qui inconſiderato affectu aliqvo abrepti proximo malevolunt, etiamſi hunc animum ſuum intus premunt, ut qvi non usq; adeo efferbuerit; Alterum eorum, qvibus indignatio aperta qvidem, levius tamen convitium ſ. contemptus ſignum ſuggerat, ut ſi Phy dicas & deſpuas, vel voce *Tu* utaris, ut eos qvos aſpernamur appellamus, cujusmodi vox Racha ap Hebræos fuit: Tertium deniq; qvi atrocibus convitiis proximos lædunt, inter qvæ atrociſſimum eſt Fatuitatis convitium, ac proinde graviſſime puniendum.

H Sic

Sic explicant Interpretes plerique *Beza, Scultetus*, è Catholicis *Gorranus, Tostatus, Cornelius à Lapide* aliiq;. *Cur Atheos Deus in specie Stultos vocet*, jam alibi dictum, de industria enim se infra hominum & universarum Creaturarum conditionem abjiciunt, eoque certissima pertinacia errant. *Cur ipsa sana dicta Stultorum in stultitiam* vertantur, causa est, quia carent connexione, ideo Prov. XXVII. v. 7. *non magis sapientia fatuo, quam saltatio claudo congruere dicitur*, & risus eorum dicitur crepitus spinarum sub olla. Eccles. VI. v. 2. *Cur Stultis inter se non conveniat*, ex errore manat. Errores enim infiniti sunt, sicque infinita inter Errantes diversitas; *Cur risum excitent*? Quia contra communem sensum agunt, ridemus enim ob rem indecore gestam. *Quid stulto stultius sit*, h. qui supremus gradus Stultitiæ habeatur, indicatur *Proverb. XXVI, 12. A Stulto expectationis aliquid superesse, sed ab eo qui in oculis sui ipsius sapiens fit nihil.* Confer. *v. 6. ib.*

XI.

Eadem Fatuitas s. Stultitia, *si externis gestibus prodatur* illa est, quam *Fatuitatem in moribus* Latine, Germanice **Haseren** vocant, occasione forsan à gesticulatione animalis sumta, unde non ignota apud nos vox **Pickeln** / quæ est gesticulatio leporum & **Pickelhering** / qvi gestibus spectatores exhilarat *Heiderus* ab Eberhardo Schnepfio Theol. Doct. Jenensi occasionem sumptam scribit *Orat. 1. de Vulpeculis Scholasticis*. Perorasse in æde sacra de Gehasi ministro Elisæi, tanqvam viro lucri cupido, sicq; hodienum extare *Gehasios*, h. ex lucri cupidos, edisseruisse, & aliqvoties repetiisse. Idq; deinde in Academicos ac vulgus deniq; dimanasse, donec Gehasi abscisa priori Syllaba capite mulctaretur, & omnes à qvibus perperam aliqvid aut præcipitanter fieret *Hasii s. Lepores* nominarentur. Cæterum injuriam animali fieri idem opinatur, qvippe qvod inter minima terræ, sed sapientibus sapientiora seponatur, *Lepusculus plebs invalida, sed collocans in petra nidum suum.* Prov. XXX. Sed Cuniculos id Germani vertunt, Junius & Tremellius, Mures montanos. *Fatuitas affectata Morionum est*, qvos tolerandos non esse liqvet. 1. Seipsos enim è numero rationalium exterminant, ut pastui consulant. 2. Licentia delinqvendi freti bonis probisque omnibus molestiæ sunt. 3. Instrumenta alienæ malitiæ sunt, qvam homines mali per hos in alios effundunt, dum ipsos ejus exercendæ pudet.

XII. Se-

XII.

Seqvuntur *Inadvertentia & Præcipitantia* : Inadvertentia est *neglectus actualis cognitionis rerum.* Præcipitantia *neglectus judicii in considerandis rerum circumstantiis & rationibus.* Ambæ inter Moralia mala numerandæ, qvia voluntarium qvippiam involvunt; Inadvertentia qvia debueramus attenti esse; Præcipitantia qvod non satis attenti essemus. *Præcipitantia* alias positivis terminis circumscribitur esse *violenta & subitanea rerum agendarum determinatio*, qvo ipso itidem importat neglectum considerandarum circumstantiarum, eoq; defectum attentionis debitæ. In statu comparato Præcipitantiam minorem Inadvertentia putamus esse, qvia affectibus subinde etiam justis ex causis excitatis originem debet, eoq; excusationem aliqvam accipit, cum altera impedimento vacet, ac proinde minus excusari mereatur. Sic excusant veteres Scriptores Romani Præcipitantiam, vel ut illi loqvuntur *Errores & Furores Septimii Severi* Imperatoris, nuspiam verò *Inadvertentiam* Claudii, unde illa apud Senecam *Claudii Apocolocyntbosis.*

XIII.

Ignorantia est *defectus cognitionis.* Defectus est, h. absentia habitus in subjecto capaci, ac proinde omnibus conditionibus subjacet, qvas decantatis in Philosophia Rationali Privationibus attribuere solent, quæ etiam præcipuis solutionibus Quæstionum circa Ignorantiam occurrentium fontem præbent. *Ad Vocem* notamus, Hebraicum Vocabulum simplex, quod Ignorantiam in genere significet, in Sacris non occurrere, unde per compositionem vocis Scientiæ cum particulis negantibus non, sine, & similibus eam exprimere solent. Vox *Schegagab*, qua alii utuntur proprie notat Errorem Practicum culpabilem, qvi Ignorantiæ effectus est. Inter Scriptores de Ignorantia reponimus *Autorem* Scripti, *Quod nihil scitur*, & *Corn. Agrippam* de Vanitate Scientiarum; qui tamen, si non desperabundus hoc scriptum edidit, Satyrica mimesi vitia docentium exagitare aut certe in re ludicra Ingenium ac stilum exercere voluisse videtur. *Ad Subjecta* ejus pertinent famosi illi olim ita dicti *Fratres Ignorantiæ*, Monachorum genus, qui nihil scire Summum hominis Bonum esse opinati sunt, indicante *Hospiniano de Orig. Monach. c. LXX.* Vel qvod *Keckerman.* de iis tradit *Præcogn. Philos. Lib. I. c. III.* nihil scire voluere *præter Christum, Mariam & qvadam*

de S. Francisco. Nec prætereundi *Monachi Eremitæ Hieronymi de S. Observantia*, quibus in exordio studia Scientiarum prohibebantur, ut magis dediti essent solitudini, referente *Flavio Cherubino Compend. Bullarii in Scholiis ad Bullam XX.* Clementis VIII. An. MDXCIII. qui hoc se legisse dicit in primitiva hujus Ordinis Regula. Et *Rod. Botereus Comm. de reb. toto orbe gestis c. XVI.* testatur *ex professo huic generi Monachorum affectatam Inscitiam commendari, ut Speculationi se altius defigerent.* Conf. *Voët. Vol. III. Disp. de Ignor. P. II. §. 1.* In Deum non cadere evidentissimum, ob summam perfectionem ejus. Siqvem tamen nescire dicatur, eundem rejecisse intelligendus est; *Nescire Dei est reprobare.* Gregor. Magn. *Moral. Lib. II. c. III. Ad Distinctiones Ignorantiæ* præmittimus, eas si uspiam certe hic accumulari, an ut palliemus defectus nostros, vel qvia satagimus ita Remediorum tollendis iis, alii viderint. Aristoteles Ignorantiam primo distinxit in *Ignorantiam Puræ Negationis & Pravæ Dispositionis*, quam distinctionem post eum Scholastici numero auxerunt, feceruntq; aliam *Negationis*, aliam *Privationis*, aliam *Pravæ Dispositionis. Vid. Azor. Institut. Moral. Lib. I. c. XII.* & alios passim. *Ignorantiam Negationis* vocant defectum, quo Creatura, f. absolute naturâ suâ, f. ex hypothesi certi status ac conditionis non est capax alicujus cognitionis: Sic ex natura nostra ignoramus futura contingentia; *Ignorantia Privationis* est defectus istius cognitionis, qvam natura nostra habere poteramus; *Ignorantia pravæ Dispositionis* est omnis perversa & corrupta Scientia, per qvam qvia erramus, conseqventer etiam veritatem ignoramus. Videtur tamen hæc Distinctio non nisi nominalis esse; *Ignorantia pravæ Dispositionis* enim error est, qui Intellectus operationem, ut alias Ignorantia, non tollit. Ignorantia negationis verò proprie non magis est Ignorantia, qvam lignum dicitur cœcum, quod revera non videt, sed nec videre aptum est, unde cœcum dici neqvit, Cœcitas enim aptitudinem videndi præsupponit; Sic Ignorantia Negationis aptitudinem cognoscendi præsupponere deberet, qvá tamen præsupponere non posse ex definitione ejus claret: Sic ignorantia negationis, h. e. negatio cognitionis revera etiam est in lapide, nihil enim cognoscit, sed qvia cognoscere aptus non est, ideo nec ignarus dici potest. Sola itaq; *Privativa Ignorantia* vere talis erit, & qvotiescunq; Ignorantia ab ea ad Negativam Ignorantiam inclinat, toties fontes remediis

malo-

malorum moralium, h. e. dispensationibus, excusationibus, extenuationibus aperit. Ignorantia deinde est *Vincibilis vel Invincibilis*, Distinctione ex respectu & ordine ad voluntatem nata. *Invincibilis* est, cum adhibita diligentia ad sciendum debita cognitione instrui non possumus; *Vincibilis* est, qvæ adhibito studio diligenti vinci potest ac debet; Alius utriusqve Character fuerit, Invincibilem in nobis esse, sed non à nobis, Vincibilem vero & in nobis & à nobis. Vincibilem iterum dividunt in *Affectatam & Crassam*; Crassa oritur ex ignorantis negligentia; Affectata est, qvando qvis studio ignorat vel ignorare vult, qvæ scire debebat. Utriusqve discrimen in eo est, qvod crassa non excludat voluntatem necessaria aut utilia sciendi, affectata vero ipsam voluntatem removeat. De *Ignorantia Juris & facti* singulares extant Tit. in Jure Civili. Ignorantia Juris est defectus cognitionis, qvà habenda obligamur, Ignorantia facti, qvando qvæ in casu vel natura contingenter posita sunt, ignorantur: Vid. pl. Comm. Juris. Deniq; & circumstantiarũ ratione Theologi Ignorantiã faciunt *Antecedentem, Concomitantem & Conseqventem*. Antecedens est causa ac dispositio ad peccati actum, qvaq; non posita actus malus non fieret: Concomitans est, dum qvis peccando aliqva ignorat, qvæ non sunt causa, nec effectus peccati, vel qvæ si non adessent, actus nihilominus fieret. Conseqvens est pœna & effectus peccati, qvæq; adeo cæteris omnibus est deterior.

XIV.

Jamq; porro *Ignorantiam*, qvæ proprie hujus loci est, I. *Malum Morale esse* autumamus. Est enim Privatio, eoq; qvia absentia Habitus adesse debiti, necessario peccatum. Rationes Theologi pariter ac Moralistæ reddunt 1. Ex exemplis *Rom. I. v. 21. 22. Ephes. IV. v. 17. 18. 19. I. Thess. IV. v. 5. Actor. XIV. v. 8.* ubi Gentilium Ignorantia culpatur, illiq; propterea iræ Dei & judiciis subjecti fuisse dicuntur. 2. *I. Tim. I. v. 13.* Paulus fatetur se maximum esse peccatorem, qvamvis ignorans peccasset. 3. Apostoli urgent, Fideles ut contendant ad cognitionis perfectionem. *Phil. I. v. 8. 9. II. Petr. I. v. 7. 8. 9.* E. cognitio spiritualis est virtus ei opposita, ergo Ignorantia est vitium. 4. Absq; cognitione nulla fiducia est in Deo, nulla obedientia. *Ephes. V. v. 14. & Ps. CXIX. toto.* Inst. (1.) *In intellectu non esse peccatum, Ignorantiam autem in intellectu esse.* Resp. Nullam Ignorantiam seu Defectum cognitionis adesse debitæ

voluntatem excludere absolute & natura sua, excludi tantum ex hypothesi certi status, unde nulla his excusatio. (2.) *Ignorantiam aliqvando excusari*, vid. Joh. IX. & XV. Resp. Intelligendum de tanto, non de toto. Vid. qvæ infra hac de re dicenda erunt. (3.) *Fidem Laicorum ante hac optimam, Eruditos vero perversos dictos fuisse*, qvo facit Augustini Sententia: *Ecce indocti surgunt & cælum rapiunt, & nos cum nostris Disputationibus, in carne & sangvine volutamur.* Resp. Intelligenda esse de abusu Scientiæ non de Scientia per se. Sic Lex Dei dicitur augere peccatum, Rom. VII. Evangelium odor mortis, *II. Cor. II.* & Christus ruina multorum, *Luc. II.* (4.) *Simplicitatem laudari*, vid. *Matth. XIIX. 9.* Resp: Simplicitatem Columbinam, non Asininam, sicq; determinat ipse Apostolus *I. Cor. XI. v. 20.* ne este pueri scientia, sed pueri estote malitia. (5.) *Credendi Vivacitatem, non scientiæ ἀκρίβειαν ad fidem reqviri.* Resp: Id Ignorantiæ non præbere patrocinium, sed obstaculum tantum ponere inordinato sciendi desiderio. II. *Eadem non tantum rationi adjunctæ negligentiæ, sed etiam ratione sui peccatum est.* Obligamur enim faciendis & credendis iis, qvæ credi & fieri à nobis debent. Obligationi huic ergo qvia Ignorantia ratione sui nos subducit, eadem ratione sui peccatum est. *Confirm.* Ignorantia rationi per se contraria est. E. Sua natura qvoq; peccatum est. Non negabimus tamen, negligentiam esse causam Ignorantiæ, eamq; etiam in se malum, æqve ac in naturalibus cœcitas est vitium naturæ, licet non minus vitiosa sit causa, qvæ ipsam produxit, confer. *Azor. Lib. I. c. XII.* Unde III. *& reprehendi meretur;* Amor proximi enim exigit, ut eum qvovis modo in viam revocemus. Sic Christus Nicodemum reprehendit: *Tune es Magister in Israël & hæc ignoras, Joh. III. v. 11.* Ille enim Magisterio inflatus erat & alicujus momenti sibi esse videbatur, qvia Doctor erat Judæorum, qvare deponit ei superbiam Dominus, dum ostendit ipsum ignorare illa, qvæ ad officium Magistri proprie spectant, Vid. *Augustin. in h. l. Joh.* Idem Discipulos suos objurgavit, *Marc. XVI. 14.* Paulus Corinthios *I. Corinth. III.* Pertinentq; huc libri in opprobriis hujusmodi, vanitatis, stultitiæ, Ignorantiæ occupati, qvorum plerosq; tamen ex alio capite peccare opinamur; Scribi enim solent non ut prosint, sed ut placeant. Nec IV. *Delicta excusat;* Excludit enim habitum, qvi adesse debebat. Sic si ea nesciamus, qvæ ad Statum vel Officium nostrum pertinent, excusari non possumus;

Susce-

Susceptio enim officii cujusvis tacitam hanc habet obligationem & qvasi contractum, ut suscipiens munus v. gr. Ecclesiastæ, Judicis, Medici, Doctoris, norit illa qvæ ad administrationem & executionem hujusmodi officii reqvirantur, ne ex horum Ignorantia proximus lædatur, in cujus necessitatem aut gratiam tale officium debet exerceri, *Corner. de Ignor. Lib. I. c. V.* Qv. *Qvid si muneri admotus ignoret se ignorare, qvod muneri suo conveniat?* Resp. Peccare nihilominus, debuisset enim muneris rationem initio ponderasse. Rursus Ignorantia, qvæ provenit ex consvetudine vitiosa, cui vel nostra sponte, vel in causis immersi fuimus, inculpabilis non est, non enim plane est involuntaria, & causam ipsa dedit voluntas hominis ante peccantis, nunc autem cœcitate percussi, ob qvam nescit se peccare. V. *Gradus tamen admittit*, pro culpæ circa hunc defectum cognitionis varietate. Sic facile parcitur rusticitati, præsumitur enim Jus speciale ignorasse. *Tuscb. Tom. IV. Conf. XI.* Similiter minoribus & fœminis facilius ignoscitur ob causam eandem. Qvam responsionem & in Theologicis applicamus Quæstioni *de Ignorantia majorum nostrorum in Papatu ante Reformationem*, comparata cum Ignorantia hodiernorum infidelium in tanta luce & libertate Reformationis, adeo ut conseqventia à judicio nostro super hodiernos infideles duci non possit ad condemnationem omnium majorum nostrorum. Similiter Theologi distingvunt inter Doctores & discentes, atq; ab illis plus, ab hic minus reqvirunt, & Casuistæ Catholici ideo majorem seu extensiorem Articulorum fidei intellectum in Prælatis, qvam in Laicis reqviri dicunt; Et iterum plurimos Sacerdotes in Inferno arsuros, qvi salvati fuissent, si in Seculari ac Laico Statu mansissent: Et è contrario multos Seculares inter Damnatos repertum iri; qvi è numero Beatorum futuri fuissent, si Talento suo recte uti voluissent. Itidem *Corner. de Ignor. c. V. §. IIX.* *Ignorantia in Sacris* qvoad illas res, qvæ necessitate medii ad salutem scitu & creditu non videntur esse necessariæ, excusabilis qvidem, h. e. gradu peccati minori est, sed absolvendam ne arbitremur, facit summa Scripturæ in omnibus partibus suis perfectio, de qva majoris minorisve necessitatis gradus statuere judicio nostro neutiqvam relictum est: Neq; verisimile est Deum, qvæ necessaria non essent tradi passurum fuisse, cum tanta pars mysteriorum residua sit, qvam imbecillitatibus nostris consulturus tradi noluit, ac proinde tanto minus superflua tradi. *Ignoran-*

rantia Affectata vero gravissimum peccatum est, ultronea enim est, & homines cum pleno impetu voluntatis in eam ruunt. *Ad majoris culpæ cumulum pertinet scire qvenqvam, qvid seqvi debeat, & seqvi nolle qvid sciat*, Isidor. *Lib. de Summ. Bon.* *Renuerunt attendere & præbuerunt humerum præfractarium, auresq; suas aggravarunt, ne audirent. Et cor suum disposuerunt ut lapidem diuturnum, ne audirent Legem ipsam & verba qvæ mittebat Dominus, spiritu suo dicenda per Prophetas priores, unde fuit fervor Iræ magnus à Domino, Zach. VII. v. 11. 12.* Ignorantia supina minus qvidem, at nihilo secus Peccatum est. *Multa scienda nesciuntur aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inqvirendi & qvidem hujusmodi Ignorantia non habet excusationem*. Bernhard. *Epist.* LXXVII. *ad Hug. de S. Victore.* E qvibus etiam VI. Responsum pendet, an & qvousq; Ignorantia nos liberet coram Tribunali Divino? Qvod cum in iis liqvido clareat, nulla repetitione egebit. De Invincibili tamen Ignorantia in Divinis earum Gentium, qvæ Verbum Dei non audiverunt, dubium esse potest. Cui respondent Theologi I. Hanc Ignorantiam, licet Invincibilis sit ex hypothesi præsentis Status nostri, nihilominus Peccatum esse, qvia voluntaria olim fuit, eoq; vincibilis ratione causæ seu in causa sua, primo sc. Peccato Adami, propter qvod Peccatum Originale omnibus hominibus incumbit: Qvo referimus verba *Gregorii Ariminensis Lib. II. Dist. XXII. Cum dicitur, quod secundum omnes Dd. non imputantur Homini, qvæ ex Ignorantia simpliciter Invincibili committuntur: Dico qvod illud est intelligendum de Ignorantia, qvæ non est Peccatum, nec Pœna Peccati, cujus ille sit, vel fuerit reus. Nam Ignorantia, qvæ provenit ex Peccato, neqvaqvam excusat à toto; Si enim non peccassemus in Adamo, nullus hanc Ignorantiam habuisset.* Cont. *Jansenii Augustinum Tom.* II. *Tr. de Stat. Naturæ Lib.* II. *c.* XXIII. *&c.* & ex eo *Voët. Vol.* III. *Disp. de Ignor. p.* II. *&* III. II. Ignorantiam illam, si etiam ex se possit esse inculpabilis, semper tamen accidentaliter conjunctá esse cum Peccatis aliis, qvorum causa damnantur, qvi invincibiliter ignorant medium ad salutem necessarium: Unde licet homines hujusmodi excusari possent a Peccato Ignorantiæ & Infidelitatis, non tamen excusantur ab aliis Peccatis, qvæ lumine naturæ ac Rectæ Rationis norunt esse Peccata, & tamen admittunt, & idcirco propter illa juste à Deo puniuntur, ac sine præ-

judicio

judicio Divinæ Misericordiæ mandari possunt. Vid. *Corner. de Ignor. Lib.*I. *c.* IIX.

XV.

Qv. *Qvomodo in Conscientia certi esse possimus Ignorantia Invincibilis in Actibus nostris?* Resp. Designationem esse difficillimam & securius omni Ignorantiæ obtentui nos renunciaturos, cum rari casus sint, qvibus discerni qveat, an Imaginatio aut Intellectus noster à re aliqva aut circumstantia illi connexa sufficienter excitatus sit, & tamen in potestate nostra positum haut fuerit ad rei cognitionem procedere: *Omnia mea mihi suspecta esse respondebo: Ideoq; recte etiam faciendo, timere me & Inutilis servus sum, Patientiam habe mecum, clamare humiliter*, exclamantem supra allegavimus Comenium. Et Augustini insignis ista Regula est: *Etiam Peccata Ignorantia vel Negligentia melius accusantur, ut pereant, quam excusantur, ut maneant, meliusq; purgantur invocato Deo, quam firmantur irato aut irritato Deo.*

XVI

Species Ignorantiæ *Barbaries est*, Ignorantia politiorum morum f. Jurium humanitatis, de qva à nobis actum in *Hist. Geogr. c.* IX. *Sect.* IV. §. VII. Conf. *Lal. Bisciolam horis succisivis Lib.* I. *c.* VII. & inprimis *Puteanum in Patrocinio Barbarorum* ad Cardinalem Barbarinum, præmisso *Historia Insubrica.* Apud Romanos longe alio sensu Barbaries veniebat, qvibus ut fatum orbis eo tempore erat, nulla gens erat libera, qvin Barbara ab iisdem haberetur; Victa qvia ad Servitutem veniebat, ingenium videbatur ad humanitatis cultum transferre. Soli ferè Germani Barbari esse maluerunt, qvam liberi non esse, digni qvoq; ut ad se imperium tandem cum bonis artibus literisq; traherent, nomenq; suum Romano exæqvarent. Itaq; qvicqvid in Hunno, Vandalo, Gotho, Longobardo, cæterisq; publica tempestas accusabat, sonabat Barbarus, omnem fere irruptionis infamiam Septentrio noster Germanicus sustinebat, Barbarorum velut Pater, in qvibus tamen postqvam desierunt Barbari appellari, qvam non fuerint olim Barbari sero apparuit. *Putean. l. cit.* De vera Barbarie non prætereundum, qvod Justinus de Scythis scribit *Hist. lib. II.* prorsus admirabile videri hoc illis naturam dare, qvod Græci longa Sapientum doctrina præceptisq; Philosophorum conseqvi neqviverint,

cultosq; mores incultæ Barbariei collatione superari. *Tanto plus in iis proficit vitiorum ignoratio, qvam in his cognitio virtutis.* Sed Ignorantia vitiorum innocentes, non virtuosos reddit, & pueri nostri itidem vitia ignorant, virtuosi tamen non sunt, qvippe à vitiis defectu virium tantum remoti: Barbari ejusmodi si cui virtuosi aut prudenter appareant, tales erunt, ut fatui veraces, h. e. per accidens, de qvibus supra. Cur nostri etiam ipsis Barbaris sæpe visi fuerint Barbari, rationem reddit *Puteanus*, qvia vitia nostra magis, qvam virtutes experti fuerunt, dum vitam advenarum aut Bellis aut litibus semper distractam viderunt.

XVII.

Ignorantia Docta media veluti & neutra erit inter Scientiam & Ignorantiam. Dixeris etiam Doctam Neutralitatem, & jam olim Cardinalis *Nicolaus de Cusa* tres libros *de Docta Ignorantia* consignavit, iis tamen non veram illam, qvam hic describimus, Ignorantiam Doctam tractat, sed tantum summarie delineat Scientiam, ac Scibilia, quæ de Deo ac operibus Dei tum Creationis tum Redemptionis cognosci possunt: Videturq; nomen hoc arripuisse in Testimonium defectuum, qvi in singulis cognitionis nostræ partibus se offerunt. Vocamus Ignorantiam Doctam *agnitionem Ignorantiæ nostræ in rebus intellectu nostro majoribus vel ignorari aptis, qua tales sunt.* Est 1. *Agnitio Ignorantiæ nostræ*, eoq; animi nostri reflexio in se ipsum 2. versatur *circa res ignoratas vel ignorari aptas*, h. quæ intelligi aut concipi non possunt, etiamsi diligentia sufficiens adhibeatur, adeo ut in Non-scientia earum acquiescendum sit, hocqve tantum discamus, nos eas non cognituros esse. 3. Eædem considerantur, *qua tales sunt*, possunt enim alia esse, quæ de illis cognoscimus, ut in Deo Essentiam, Trinitatem cognoscimus qualitercunque, at quomodo isthæc penitissime se habeant, id docte ignoramus nec scire possumus. Necessitas ejus claret 1. in universali Experientia, & inductione facta per omnes scientias. 2. In imperfectione & angustiis mentis humanæ, eiq; objecta magnitudine, multitudine, excellentia & perfectione rerum cognoscendarum. 3. In damnosis conseqventiis, dum qui sacram hanc anchoram fugiunt, in errores & contemptum plerumqve ruunt. Exempla Doctæ Ignorantiæ in Theologicis fuerit materia de penitiori natura S.S. Trinitatis, de Circumstantiis specialibus vitæ æternæ, de visione Dei Beatifica: Item rationes circa quælibet dogmata, aut historica, cur hoc

modo

modo aut ordine, non alio, se habeant aut habuerint, & infinita alia. Similiter Historiæ Ecclesiasticæ ἄδηλα agnoscunt *Lindanus*, *Onuphrius*, *Baronius*, ejusq; defectus deplorant, è qvibus hoc unum instar exempli erit, qvod Symboli Apostolici, cujus tanta in Christianismo celebritas est, Autores, Editores, Approbatores hactenus ignotissimi fuerint, nec horum, veluti nec loci, nec temporis in omnibus antiqvitatis monumentis vestigium hodie deprehendatur. In Historia Civili ad Ignorantiam Doctam confugiendum est in rebus de dispersione, plantatione & migratione Gentium, de proximis circa Diluvium seculis totaq; parte Genealogica & similibus. In Jurisprudentiæ Theoria Ignorantia Docta circa ἀντιλογίας ejus inprimis opus est, qvodq; licet conciliationes earum dentur, sæpe tamen æqve ac in contradictionibus Biblicis incertum maneat, qvænam ex sensu Legis & intentione Legislatoris necessario adhiberi debeat; Eadem in reddendis Legislatoris rationibus claret, notaque hanc in Rem Regula *L.20.& 21.ff. de L.L.* In praxi referimus eo, qvod in antiquo jure, cum de facto constaret, sed pariter divisa essent suffragia, Judex pronunciabat, *Non liqvet.* Ignorantiam Medicinæ docet *Cardani liber, Labyrinthus contradicentium Medicorum.* Sic natura Febrium hactenus sciri non potuit, aut specificum remedium inveniri contra Pestem, Qvartanam, Podagram. In Physicis natura Animæ, generatio rerum naturalium, earundem Antipathia & Sympathia latum campum Doctæ Ignorantiæ aperuit. Et Hiobus *cap. XXVI. v. ult.* de operibus Creationis in universum pronunciat, exiguam particulam viarum Dei nobis esse cognitam, qvod ipse Deus etiam ostendit per longam inductionem, *c. 38. 39. 40. ejusdem libri.* Videatur de his pluribus *Voetius Vol. III. Disputat. de Ignorantia Docta.*

XIIX.

Scientiæ in Excessu opposita est inordinata rerum apprehensio, qvæ sita in *Curiositate*, *Omniscientia*, *Solitscientia*, *Sciendi tædio* &c. Curiositas est *inordinatus Appetitus sciendi.* Ejus modi seu species à Casuistis recensentur. 1. Cum ea qværimus, qvæ ad nos non spectant. 2. Cum minus necessarijs maxime studemus. 3. Cum difficiliora qværimus neglectis principijs. 4. Cum illa scire volumus, qvæ Deus non revelavit. 5. Cum non simpliciter acquiescimus in Dei voluntate, sed rationem ejus videre cupimus. Singulæ hæ species ea petunt, qvæ non sine difficultate nobis offeruntur,

runtur, & qvæ acqvisita cum periculo possidentur, adeoq; vitandæ sunt. Prima verò iterum novam speciem gignit ἀλλοτριο ἐπισκοπίας, h. vi vocis *inspectionem rerum alienarum*. Reipsa *Curam rerum ad nos non pertinentium*, cujus fuga hanc causam habet, qvod nunqvam rebus domesticis nostris, h. ad nos pertinentibus sufficiamus, eoq; longe minus de alieno laborare possimus. Exemplum Curiositatis Primi Parentis nostri initio statim posuere, qvi inordinato sciendi desiderio in deterius ruerunt, sicq; hodienum curiosi omnes ruunt, & cum Adamo arborem scientiæ præferunt arbori vitæ, aut veluti Phalæna vesperi ad ignem volant & amburuntur. Sic Euclides multa rogatus de Deo, qvæ petis, inqvit, ignoro, hoc unum scio, *Deum Curiosis esse imperiosum*; Et Augustino responsum non dissimile tribuitur, qvi Curiosis qværentibus, qvid fecerit Deus ante conditum mundum, respondit: *Infernum architectatum fuisse hæc qværentibus*. Sed tamen contrarium invenitur *Lib. XI. Confess. c. XII. Ecce*, inqvit, *respondeo dicenti, qvid faciebat Deus anteqvam faceret cælum & terram? Non illud qvod qvidam dixisse perhibetur jlocalariter eludens qvæstionis violentiam, Infernum scrutantibus parabit. Aliud est ridere, aliud videre. Hæc non respondeo, libentius enim responderim: Nescio qvod nescio, qvam illud unde irridetur, qvi alta interrogavit, & laudatur, qvi falsa respondit.* Ad secundam speciem pertinet inprimis insignis *Comenii Tr. Unum necessarium*. Eodemq; forte referendum solicitudinis istud genus qvod Itali *Punctualita, Punctualitatem* vocant, h. nimiam in minimis curam, cujus Hispani imprimis accusantur, qvi rerum occasiones sæpe amittunt, eo qvod subtili cuidam & nimis anxio horarum ac momentorum discrimini se alligent. Idqve in expeditione Anglica A. M. D. LXXXIIX. prævidit Legatus Classis Realdus, ideo Sidonium Ducem monuit: *Videret, ne importuno in verba Regis obseqvio Regis causa proderetur: Regis administros subinde imperata interpretari par esse. Mandatis satis obtemperari, si vincatur.* Sed immotus respondit Sidonius: *Impositum sibi à Rege munus mandatis Regiis obseqvendi, non relictum super iis arbitrium consultandi &c.* Vid. Orationes de pugna hac Navali ineunda consultantium Ducum Hispanicorum *ap. Stradam Dec. II. Lib. IX. p. 548. Plura vide apud Plutarchum Tr. de Curios. August. de Curios. Q. Epist. XVI. Amesium Cas. Consc. Lib. III. c. VII. Spinaeum de Tranqv.*

Anima

Anima Lib. VI. toto. *Omniſcientia* ſ. Δοξοπανσοφία *eſt præſumta aut putativa omnium ſcientia*, cum homines, ubi nihil didicere, ſe nihil ignorare opinantur. Tales qvi ſoli titulos ſcientiarum & librorum ſectantur, qvorum commune hoc vitium eſt, ut vocum notitiam habeant inſtar Nomenclatorum apud Romanos, contenti de illis in genere & qvaſi hiſtorica recenſuiſſe, ſed in materias & Qvæſtiones particulares, eoq; intima ſcientiarum non penetrant. Eodem referendi, qvi inepte eruditi evadunt, dum ſtudium qvidem adhibuere, ſed ingenio deſtituti rebus asſeqvendis impares ſunt, in qvos calamum ſtrinxit *Eraſmus in Encomio* Moriæ, *Friſchlinus in Comœdia* Priſcianus vapulans, *Angli Cantabrigienſes in Comœdia, qvam* Ignoramus *dixere*, *Lipſius in Satyra Menippea*, *Cunæus in Scripto* Sardi venales, ubi tamen JCtis & Politicis parcit, forte, qvia Politica eſt Architectonica Scientiarum juxta Ariſtotelem, & JCti ſunt ἐν ἀρχῇ, *qvi prodesſe & nocere posſunt.* Ita *Voëtius Disſert. de Docta Ignorantia Part. II. n. 2.* Conf. Orat. *Halli*, qvam in Synodo Dordracena habuit ad verba: *Ne ſis nimium ſapiens.* *Soli-ſcientiam* dixeris *Monopolium ſciendi*, h. *dum ſapere nobis ſolis videmur.* Tales ſunt, (1) qvi ex ſe ipſis & proprio ingenio ſuo omnia, ex aliis nihil haurire volunt: Qvo referimus Paracelſiſtas, Hermeticos, Fratres Roſeæ Crucis, qvos exacte deſcribit *Plato Lib. VI. de Rep.* per *Antrum* ſuum, & de Jeſuitarum ejusmodi Soliipſia proſtat Tr. *Scioppii de Monarchia Solipſorum.* (2) Qvi cum ex ſe & per ſe ſua non habeant, ea tamen in agro ſuo ſubnata esſe, aliis perſvaſum volunt, in qvam claſſem compingendi Plagiarii, Exſcriptoresq; Librorum omnes, eo nomine maxime redarguendi, qvod ingenui hominis ſit candide profiteri, per qvos profecerit. *Scepticismus* hic nobis commemorabitur *Tædii Sciendi* nomine, qvæ conditio eorum, qvi inanibus qvæſtionibus fatigati, dum late qværunt incerta, latius diſputant præſumta. *Tertull. c. II. de Anim.* hiq; propterea, qvod per defectum ingenii aut manuductionis aut debiti ſtudii diſcere aut intelligere neqveunt, loco Doctæ Ignorantiæ oblivionem omnium, qvæ ante didicerunt, etiam principiorum amplectuntur & quaſi Saturnina fame proprios conceptus devorant. Vid. *Voëtius l. cit. Conf.* qvæ præced. cap. ad Tit. de Scientia & Dubitatione propoſuimus.

XIX.

Ad Fidem pertinet Credulitas h. *immodica æſtimatio fidei alterius.*

Jeunes Conseillers, nouveaux serviteurs,
Ont mis souvent les hauts Estats en poudre.

In Statu comparationis tamen Credulitatem Suspicione deteriorem judicamus, qvia rationis usum vel plane excludit, vel apprime debilem relinqvit, cum contra Suspicio non tantum externis compellentibus, sed etiam interno mentis motu & ratiociniis excitetur.

XX.

Opinioni opponitur *Suspicio* h. e *Vacillatio Judicii in seqviorem partem. Vacillatio Judicii*, Intellectus enim adhæret rei cognitæ, cum formidine oppositi. *In seqviorem partem*: In discrimen à Credulitate qvæ ferme inclinat in partem meliorem. Ideo apud Italos in Proverbio est: *Sospette licentia fede*, Suspicio fidei missionem dat; Et Verulamius Suspicionem inter actus Intellectus comparat vespertilionibus inter aves, qvæ animalia nunqvam volitant, nisi luce crepera. Inter exempla Sacra nobile imprimis est in historia Josephi & Fratrum, *Gen. XXXVII. & seq.* qvæ qvanta qvanta est, plena est suspicionibus; Causa earum in ingenio humano qværenda, cui natura quasi insitum est, ut ad tristia flectat oculos, quæ vero læta sunt, prætereat. Et veluti muscæ in levibus politisq; locis non diu hærent, sed scabris insidere amant, sic mens humana meliorem sortem leviter transvolat, asperam autem non dimittit, sed tractat & ingeniose plerumq; auget, unde fingimus futura, nec præsentia solum dolemus, sed etiam futura. *Lips. de Const. Lib. II. c. XX.* Suspiciones tamen hujus generis, qvasq; animus ex se colligit, minus nocent, & nihil fere sunt, qvam inanes bombi. Illæ contra qvæ externo artificio aluntur, animisq; hominum instillantur susurronum sermonibus, aculeos habent. Graviores sunt in meticulosis quam in animosis, quia hi licet Suspicaces essent, Suspiciones tamen non admittunt, nisi prius discutiatur, utrum probabiles sint, nec ne. Eandem ob causam improbis ac imperitis adhærere solet, quia enim ultra sphæram suam sapere non possunt, ideo non habent, quo Suspiciones amoveant, bonitatem enim de aliis concipere neqveunt, qvam ipsi non habent. Effecta sunt, quod mentem obnubilent, animos alienent, & negotia interpellent, ita ut nec alacriter nec constanter peragi possint. Sic Reges inclinant in Tyrannidem, maritos in Zelotypiam, amicos ad æmulationem, & prudentes in universum ad animi inconstantiam

&me-

& melancholiam excitant. Pro excuſatione earum adducimus, qvod non exiſtimandum ſit, cunctos qvorum opera utimur, & qvibuscum verſamur, angelos esſe aut ſanctos, & unumqvemq; ad proprios ſuos fines adſpirare, ſibiq; propiorem esſe, qvam alteri. Remedium elidendarum fuerit, ut inqviſitionem, urgeamus, Suſpiciones enim fumo & tenebris aluntur: Ideo & inter amoliendas calumniandi occaſiones Machiavellus juſtam accuſandi rationem collocat, qvam ideo & Reip. ſalutarem esſe docet toto *capite IIX. Lib. I. de R. P.* Simile remedium eſt liberior converſatio & rerum ſuſpectarum libera qvædam & aperta declaratio, neqve enim fieri poteſt, qvin aliqvid ejus, qvod alter ſiniſtre interpretatus fuerat, ita declinemus. Sic in veteri Eccleſia amoliendis ſuſpicionibus deſtinabantur *Concellanei* ſeu *Cellularii*, qvi ſemper adesſe reqvirebantur Epiſcopis & Presbyteris ex L. Epiſcopali, qvam habet Baronius ad An. DII. Sæpe & contemptu minuuntur, æque ac Invidia, ex una radice enim ambæ pullulant. *Contentius Invidiam à ſe removent, qui ſegnius evitarunt. Strad. Dec. II. de B. Belg.* V. plur. *Verulam. Serm. Fidel. N. 31.* Plura qvæ ad ſpeciales caſus referri posſunt, colligenda ſunt ex iis, qvæ antea circa Dubitationem allata fuerunt.

CAPUT V.
DE
CONSCIENTIA.

I. Ratio ordinis, Nomen Conſcientiæ in Sacris.
II. Definitio Conſcientiæ.
III. Plenior ejus explicatio.
IV. Bruta non habere Conſcientiam; Nec ipſam allegari poſſe niſi præſuppoſito Intellectu, Annæ Burgii dictum.
V. Conſcientiam menſuram accipere ex Connexione Rerum.
VI. Hancque accuratisſime à S. Scriptura nobis oſtendi.
VII. Obligatio Conſcientiæ in genere & in ſpecie Conſc. Erroneæ.
IIX. An fas ſit agere contra Conſcientiam Scrupuloſam?
IX. Cur Conſcientiæ ſenſu non extemplo afficiamur?
X. Quid de Cauteriatis Conſcientiis ſentiendum?
XI. Remedia perturbatæ Conſcientiæ.
XII. Conſcientiæ Diſtinctiones.
XIII. An certi posſimus esſe Bonæ coram Deo Conſcientiæ, cui falſum ſubesſe non posſit.

Vidi-

I.

VIdimus Intellectum hominis scientem,credentem, opinantem,dubitantem aliisq; perfectionibus & debilitatibus circumdatum. Restat exponenda *Conscientia*,pars Judicii humani, quam quia non unam alteramq; tantum,sed omnes paginas in rebus Moralibus explet,seorsim tractandam duximus: Senſereqve ſummam tractandi eam necesſitatem penitioris doctrinæ Moralis Scriptores omnes, ideo qvicqvid Moralium consignarunt, id *Casuum Conscientiæ* titulo insignivere,de qvibus jam ante dictum. Iterato tamen etiam profitendum est, non deesse Scripta merè Oratoria,Augustum hunc titulum præ se ferentia,qualia *Henrici Decimatoris* **Gewissens-Teuffel**/ *Strigenitii* **Bericht vom Gewissen** & ss. quibus merito assimilamus, qvam itidem jam alibi attigimus, magnam partem Scriptorum Catholicorum,qvi Conscientiam ex ratione Status Ecclesiastici sui, non ex natura rerum, vel voluntate Dei æstimare gaudent. De nomine notandum, Lingvam sanctam loco ejus nomine *Cordis aut Spiritus* uti amare. Sic Prov. XVIII. v. 14. *Spiritus viri sustentabit infirmitatem ipsius, Spiritum contractum autem qvis sustinebit*? Vid. pl. Sanders. *de Consc. Præl. 11. p. 48.*

II.

Conscientia est Judicium hominis de seipso: Clarius, *de rebus gestis vel gerendis*, de his enim judicat intellectus, h. agnoscit fructum vel Statum suum, eique jus ipsum attingens applicat. Aliorum non dissimiles sunt descriptiones prolixitate tamen superiores, sicq; *& Sanderson* definit esse *facultatem seu habitum Intellectus Practici, quo mens hominis per discursum rationis applicat lumen, quod sibi adest ad particulares suos actus Morales.* Habitus Intellectus Practici, quo mens hominis per discursum rationis applicat lumen quod sibi adest, est *Judicium*, particulares actus Morales sunt *res nostra gesta vel gerenda*. Et quia de rebus gestis vel gerendis est,non Theoreticum est Judicium,sed Practicum. E. non tale, qvo verum à falso simpliciter secernitur, (qvod est Theoreticum) sed quo particulariter illa cognitio explicatur ab homine ad illud, quod ipsi bonum vel malum est.

III.

Ad Intellectum igitur pertinet Conscientia, Judicium enim est & actus cognoscendi. Et licet voluntatis qvædam inclinatio sit, qua imperet ju-

dicium intellectui, illa tamen Conſcientiam ei non magis ſubjicit, quam quodvis ſciendi deſiderium ad Voluntatem referri poteſt. Et quia in Intellectus illa operatione conſiſtit, quam Judicium vocamus, ideo nec aliter quam ratiocinijs in nobis nititur, quæ Syllog. Practicos vocare ſolent Scriptores caſuum, & ita comparatos eſſe docent, *ut Propoſitio ſ. Major ſemper agat de Jure, Aſſumtio ſ. Minor de facto vel Statu, & Concluſio de relatione exurgente ex facto vel Statu noſtro ratione illius Juris*, quæ vel in reatu vel in ſecuritate ſpiritus conſiſtit. Id quod ex ipſo nomine qvi eruerent fuerunt è Scholaſticis, & Conſcientiam propterea vocari dixerunt, quia ſcientiam ſcientiæ conjungat, Scientiam ſc. Univerſalem ſ. Juris Scientiæ particulari ſ. facti applicando hanc ad illam. Talis Syllogiſmus Practicus fuit, de qvo I. Sam. XXIV, 6. dicitur in Davidis hiſtoria, *Cor ipſius cecidiſſe*, cum partem veſtimenti Saulis abſcidiſſet: Fuiſſe nempe Davidis tale fortean ratiocinium: Scio non debere vim afferri Sacræ perſonæ Regiæ, ſcio id à me nunc factum, quod à vi inferenda parum abeſſe videtur. Vereor itaque, ne fecerim quod forte non debuerim, ſimilesq; ſunt, qui in omnibus actibus noſtris tota die vel explicite vel implicitè ſe nobis offerunt; *Vid. Ameſ. Theſ. Theol. de Conſcientia & ejus Jure ſ. Caſ. Conſc. l. 1.* Atq; hinc etiam diverſa illa Conſcientiæ prædicata naſcuntur, ut eadem reſpectu propoſitionis dicatur *Lex*, reſpectu Aſſumtionis *Judex vel Liber*, & probationis Aſſumtionis *Teſtis*, reſpectu Concluſionis deniq; *Judex*.

IV.

Hinc porro ſeqvitur I. Conſcientiæ locum non eſſe, niſi Intellectu præſuppoſito. Ideò Bruta, quia carent intellectu, nec Conſcientiam habere dici poſſunt, ſed tantum rerum antegreſſarum memoriam. II. Nec Conſcientiam allegari poſſe, niſi Intellectu bene ſe habente, unde toties illa deficere poteſt, quoties notabile vitium in Intellectu eſt. Itaque qui Ignorantia Juris, & Vincibili, h. defectu cognitionis adeſſe debitæ ſ. in ſe, ſ. ex hypotheſi certi ſtatus laborat; non poteſt rebus à ſe male geſtis Bonam Conſcientiam prætexere, licet certiſſimum ſit, aliter haut ſciviſſe, quam egerat aut judicaverat. Conſcientia enim præſupponit ſcientiam, quæ ſi abſit *non Conſcientia eſt*, ne erronea quidem, tanto minus bona, *ſed ſine connexione rerum inſtituta Brutalis reminiſcentia*. Sic canes etiam qui carnes rapiunt, licet vapulent, bona Conſcientia tamen egiſſe

egisse sibi videri possent, non potuerant enim aliter apprehendere, quam bonum privatum suum sibi quærendum, eodemq; se rite defunctos fuisse; Sed Conscienita hæc non est, verum quam diximus Brutalis reminiscentia. Et Annas Burgius ideo audita capitali Sententiâ legitur Deo gratias egisse &c. Deumq; orasse, ut Judicibus suis parceret, *qui ipsum ex Conscientiis quidem suis, non a. ex vera Scientia & sapientia Dei judicassent. Pezel. Mellif. Hist. P. I. fol. 479.* Qv. Qvando Conscientia allegari possit pro actibus ejusmodi dubijs? Normam ex Abimelechi exemplo peti posse. Abimelechus si scivisset Saram fuisse Maritam, eam in ædes suas haut deducturus fuisset. Similiter ergo si scivissemus rem aliter sese habere & tunc supersessuri fuissemus actuum ejusmodi, Conscientiæ allegandæ locus erit. Hæc verò quotiescunq; non satis constat, toties Conscientiæ non allegatio, sed prætextus, nec Conscientia, sed tantum Reminiscentia est.

V.

Veluti autem Intellectus Mensuram suam ab objectis circa qvæ versantur accipit, ita nec Conscientiæ alia, quam ab Objecto mensura est: Hæc sita est veluti apud omnes Intellectus Operationes in connexione rerum s. lumine naturæ s. beneficio Scripturæ nobis manifestata. Probatio ex prioribus pendet; Conscientiæ actus omnes enim mera ratiocinia sunt, quorum prima propositio semper est jus, sub quo factum nostrum subsumitur. Jam vero jus omne in rebus ipsis situm est, neutiqvam vero dependet ab Intellectu nostro, E. nec in Conscientia aliud esse potest, quam quod in rerum natura fundamentum habet, quam rerum connexionem similiave inprimis probamus infra cap. de Virtute s. Bono Morali, ad Q. an res sint Bonæ Moraliter, quia Deus vult, an Deus voluerit eas, quia bonæ erant. Hinc vero seqvitur, *cur nulli Creaturæ fas sit dominari Conscientiis?* Cujus ratio alibi reddita est, quia Conscientia est actus, qui non est in potestate nostra: Cui addimus, quia non possumus mutare connexionem rerum, quæ mensura & quasi speculum Conscientiæ est, quod veluti rem necessario ita repræsentat, prout ei objicitur, ita & Conscientiæ actus in natura rerum non aliter possunt elucere, ac re ipsa se habent; Ac proinde nec mutando sumus, quæ ex connexione ista fluunt, & applicatio illa juris ad factum nostrum sua natura non minus seqvitur, quam positis his duobus, ut applicationem fieri nolimus inde qvatuor seqvi.

VI.

Connexionem rerum vero, ſ. luminæ naturæ ſ. beneficio Scripturæ manifeſtari nobis opus eſt. Lumen naturæ allegamus iis,qui Scripturæ luce carent, alias viderentur ſine Conſcientia agere; Sed allegamus tantum ut faculam nocturnam, dum ſplendor Solis deeſt, ne tenebris toti obruamur. Secus ſe habet, ubi Scriptura præſto eſt, neque enim lumine naturæ tunc opus eſt, cum illa omnia iſta longe clarius exhibeat, perinde ac Sole Oriente faculis non amplius opus eſt, cum lumen majus non tollat quidem, tegat tamen minus. *Scriptura tota eſt Liber Practicus, in quo Deus cauſam ſuam contra rebellem creaturam agit, Judiciiq; ſui tum juſtitiam tum Proceſſum variis occaſionibus varie deſcribit.* Qvi Proceſſus, ut tanto rectius intelligatur, expendendum eſt, 1. Humani generis conditionem eandem eſſe quæ olim. 2. Hoſtem humani generis eundem eſſe qui olim. 3. *Deum nos & Satanam noſtrasq;, cum illo colluctationes ſpectando hominibus nunqvam deeſſe, ſi homines ipſi non deeſſent ſibi. Cujus rei Sacra Hiſtoria exempla ſuggerit perpetua, vaframenta etiam Satanæ detegens varia, qvibus Inſidias hominibus & laqueos ſtruit, Deiq; præmunitiones & auxilia varie varia, quibus nobis ſuccurſum it, jam verbis & doctrinis lenioribus, jam clamoribus & increpationibus acrioribus, jam ſignis & portentis inſolitis, jam caſtigationibus & plagis variis & qvicqvid præterea circa hominem ſeculorum curſu egiſſe Deum ſacræ memorant literæ. Horum ergo tu nihil à Te alienum putabis, cum omnia ſemina tum bonorum à bono Creatore Deo, tum malorum à malo ſatore Satana intra te habeas, aq; tamen atq; alius qvisqvam. Sicuti enim omnis homo mundi Epitome eſt, ſuum intra ſe cœlum & terram, Aqvam & ignem, materiam & Spiritum, lucem & tenebras, motum & quietem &c. habens. Ita & totius generis humani hiſtoria tota divinitus deſcripta in qvovis ſeorſim homine ſuas repræſentationes habet, adeo ut nemo hominum ſit, qui non ſuum Deum & Satanam ſuum, Paradiſum & infernum, ſuam arborem vitæ & mortis, ſuasq; tentationes & luctas, ſuas victorias & clades, ſuum Cainum & Abelem, verbo, ſemen mulieris & ſerpentis intra ſe habeat, prævalente in aliis alio ſemine:* Qvæ excerpſimus ex *Comenii Tr. Unum Neceſſarium c. VI. §. XXI.* Ac ſcimus quidem *Cl. Sanderſonii* aliam hac in re ſententiam eſſe, ſed verbis duriuſculis potius, quam re ipſa diverſam. *Vid. Tr. Ejus de Conſc. Præl. IV. Qv. XII. & ſeqq.*

7. Por-

VII.

Porro autem agnoscendum est, Obligationem Conscientiam necessario sequi. Si enim connexionem rerum animadvertit, & facto hominis sui applicat, nolens volens admittit, h. id sibi agendum esse, vel fuisse agnoscit, qvod universaliter agi debere rata fuit, vi æternæ & infallibilis subordinationis universalium & particularium. At de *Conscientia Erronea* dubium est, *an & quomodo obliget?* Resp. I. Conscientiam in casibus §. IV. propositis, adeoq; errore & Ignorantia Juris ac vincibili versantem, obligationem non majorem gignere, quam obligatio nostra est ad vitia, si neglecto virtutis studio non nisi sub ratione boni ea apprehendamus s. potius apprehendere velimus. Ratio ibidem reddita est, qvia Conscientia præsupponit Scientiam. Extra hoc casus Resp. II. Conscientiam quamvis Errantem revera obligare, & illum peccare, qui contra eam agit. Agit enim contra apprehensam connexionem rerum, adeoque contra ipsam rerum naturam, si non in se, saltem secundum id, quo eam homo apprehenderat: At ita agere omni & soli peccanti semper inest. B. Amesii plane similis ratio est: Agentem contra Conscientiam agere contra voluntatem Dei, *qvamvis non materialiter & vere, tamen formaliter & interpretative*, quia quod Conscientia distat, dictat sub ratione voluntatis Dei, & veluti qui contumeliis afficit privatum aliqvem, putans eum Regem esse, non privatum, sed Regem ipsum læsisse putatur, sic qui Conscientiam contemnit, Deum ipsum contemnit, quia quod Conscientia dictat, putatur esse Divina voluntas. Semper itaque peccat, qvi contra Conscientiam agit, cum discrimine tamen, ut male quidem faciat, qui contra Conscientiam erroneam agit, malum tamen non sit, qvod facit, adeo ut unica sit ejus malitia, Conscientiæ nimirum contemptus, cum è contrario duplex peccatum sit, si Conscientia non erret, & nihilominus peccemus, facimus enim quod malum est in sese, & male istud facimus, sicq; actus tum propria sua malitia constat, tum illa quæ supervenit ex Conscientiæ contemptu. III. Conscientiam errantem post factum, ita ut credamus illud quod bene fecimus esse peccatum vel contra, nullam vim obligandi habere, respectu actionis illius præteritæ; Obligatio enim semper respicit actionem futuram, & actio moralis sicut ipsa voluntas semper informatur ab apprehensione præcedente, non autem consequente, *Vid. Ames. Cas. Consc. Lib. I. c. IV. §. VI. & IX.* Quærit porro

Amesius, *utrum gravius peccetur, si faciamus contra Conscientiam talem Errantem, an si præscriptum ejus in operando sequamur*? Resp. A nobis ipsis comparationem institui non posse: Qvia semper agimus id, quod apprehenderamus esse verum, eoque judicaveramus esse bonum, adeoq; cæteris paribus nunquam posse male agi, si agatur juxta Conscientiam Erroneam, nunqvam bene, si contra eam: Ab aliis institui quidem posse, sed nobis nec profuturam nec obfuturam, quamdiu idem manet Status Conscientiæ: Illo mutato secundum naturam rerum, instituendum quidem est judicium secundum naturam rerum, sed tunc Qvæstio de Conscientia Erronea cessat. Amesius respondet de gravitate peccati judicandum esse, ex qualitate rei faciendæ vel omittendæ, prout est in natura sua & prout à nobis apprehenditur. Sic si qvis per Conscientiam Erroneam illicitum judicaret interesse cœtui Ecclesiæ, cui alias tenetur adesse, qvia Ministrum illius Ecclesiæ improbum hominem esse novit, & se communicaturum putat cum ejus improbitate, ille magis peccat abstinendo, quam si adesset, quia gravius est peccatum negligere cultum Dei, quam communicare cum alterius personali improbitate in illo cultu. Si vero illicitum judicaret adesse Sacris propter Idololatriam, qvam judicat ibi admittendam, ille gravius peccaret, si adesset, qvia peccatum Idololatriæ gravius est, quam neglectus veri cultus. Ibi itaque gravius peccat, qvi seqvitur Conscientiam, quam qui contrà eam agit, hic vero gravius peccat, qui contra Conscientiam agit. Sed in hisce prius exemplum ex eorum numero est, quæ Errorem Juris eoqve Vincibilem involvunt, ac proinde ad Casus Conscientiæ Erroneæ non pertinet, eodemque modo forsan alij quoq;, qui huic Quæstioni subjici possunt, se habebunt.

VIII.

Qv. *An fas sit agere contra Conscientiam Scrupulosam?* Resp I. Scrupulum esse formidinem animi circa praxin suam, qvæ Conscientiam vexat instar lapilli exigui in calce latentis, qui pedem excruciat; Nec qvælibet formido proprie Scrupulus est, sed illa, qvæ ex levibus fundamentis vel nullis oritur, eoque Conscientia Scrupulosa in eo differt à Dubia, quod Conscientia Dubia neutri parti Quæstionis assentiatur, Scrupulosa vero uni parti qvidem assentiatur, sed in alteram tamen cum vexatione quadam sollicitetur. II. Scrupulos opinamur, si commode tolli non possint, deponi debere quasi cum violentia quadam, h. ut excludantur

ab

ab omni consultatione; Scrupuli enim dum actu non applicantur, molesti non sunt, attentio etiam ad Scrupulum ratione tollendum Scrupulum sæpe vel parit vel auget; Ideoque III. Nec peccari si contra Scrupulos agamus, licet amoveri non possint, ut siquis sit, cui indignitatis suæ consideratio sit molesta, ut mensam Domini vix audeat accedere, qvamvis sentiat in seipso sinceram fidem & Resipiscentiam, is potest ac debet, hoc Scrupulo non obstante, accedere ad Cœnam Domini, neq; hoc est agere contra Conscientiam, sed secundum Conscientiam. Scrupulus enim est formido temeraria & sine fundamento evidenti, atq; ideò non potest obligare: Imo ex consvetudine agendi contra ejusmodi Scrupulos Conscientia ipsa redditur firmior. *Ames. Cas. Consc. Lib. I. c. VI.*

IX.

Jam vero si Obligatio seqvitur Conscientiam & quidem tam necessario ac Syllogismi conclusio necessario ex præmissis seqvitur, inqvirendum porro est, cur intercisionem seu retardationem ad tempus patiamur, & cur non semper nec extemplo sensus istius obligationis sequatur? Resp: Rationem in prævalenti Bono vel Malo apparente quærendam esse, ac licet usitatior sit hæc retardatio conclusionis in judicio faciendo de male factis, accidit tamen in iis etiam, quæ bona fiunt: Exemplum prioris fortean erit, si quis in genere intelligat & concedat, omnem hominem, qui Deum non colit esse maledictum, sibimet etiam conscius sit, se verum DEI Cultorem non esse, nihilominus verò abstineat sententia maledictionis de semetipso pronuncianda: Sic ipse David etiam post peccatum cum Bathseba commissum, quid juris esset de facto suo, satis intellexit, quid fecerat etiam non potuit ignorare, sed in conclusionis applicatione claudicabat. Posterioris generis exemplum in omnibus Fidelibus est, qui utut veram pœnitentiam agant, diu tamen ita retinentur, ut Misericordiam DEI sibi non possint applicare. *Ames. c. l. c. IX. §. 5. 6. 7. 8.*

X.

Hinc expendendum etiam quid de *Stupefactis & Cauteriatis Conscientiis* sentiendum, quæ vel plane non, vel ægerrime obligationem istam & applicationem sentiunt. *Stupefacta Conscientia non facit officium suum nisi in gravissimis malis.* Exemplum est in Pharaone: Causa latet in consvetudine peccandi, qvæ tollit peccati sensum. *Cauteriata*

Con-

Conscientia non movetur, ne in atrocissimis flagitiis qvidem. Vocant eam aliqvando ἀπολίϑωσιν, de eaq; intelligendus Salomon *Prov. XIIX. Impius cum ad profundum venerit peccatorum, ea contemnit.* Neq; ea aliter quam in pœnæ loco haberi potest, provenit enim ab extincta Synteresi in nobis, h. Facultate jus, cui subjicimur, nobis applicandi, qvæ non intercidit, nisi divina cura indigni habeamur. Justis judicijs approbatum est, *non esse cura Diis securitatem nostram esse ultionem.* Tacitus *Hist. Lib. I. c. III.*

XI.

De effectis applicationis sæpius dictæ indicasse satis erit, ea consistere in excusando, absolvendo, approbando; Rursus in accusando & condemnando. Sed ut turbatis Conscientijs hac in re consulatur, gemino medio opus est; Ut, si Conscientiæ merito perturbatæ sint, pacandarum hæc ratio qværatur, si assumptio Syllogismi illius, quo turbata fuit Conscientia, falsi atis damnetur eoque negetur. Si autem vitiose perturbentur, tum in argumentatione illa, qvæ perturbationem infert, vel propositio, vel assumtio semper neganda ac refutanda est, quæ etiam unica est ratio talis Conscientiæ sanandæ. *Ames. in Recollectione Lib. I. de Cons. §. 57. 58.*

XII.

Distinctiones Conscientiæ *in Bonam, Malam, Firmam, Infirmam,* in seipsis claræ sunt. Pro speciali discrimine afferimus Conscientiam Bonam aliam, quæ *sit honeste bona*, aliam quæ *sit pacate bona*, & rursus, *qua honeste & pacate bona.* Iterum *Conscientia mala alia est vitiose mala, alia moleste mala, alia & moleste & vitiose mala.* Conscientia honeste Bona in recto judicio ferendo versatur, qvæ contra facit vitiose mala est. Conscientia pacate bona excusat, absolvit & consolatur, quæ contra facit, est moleste mala. Applicatione haut magnopere opus est, potest tamen Conscientia pacate bona esse, qvæ sit vitiose mala, honeste item bona esse, qvæ sit moleste mala, quod in actionibus Conscientiæ Erroneæ imprimis elucet. *Ames. loc. pr. cit.*

XIII.

Qv. *An certi possimus esse coram Deo Conscientia talis, cui non possit subesse falsum?* Negant Catholici, nec fieri posse opinantur, nisi per revelationem DEI. Vid. inter alios *Lorichium in Thesauro Catholico*

Eco Tit. Conscientia n. 9. Nos affirm: ducimus, præeunte inprimis *Perkinsio Anatom. Sacr. Hum. Consc. c. III. p. 169. & seqq.* Si enim Divinis promisſis in Sacro Codice factis fides habenda eſt, non poſſumus non Bonam Conſcientiam coram Deo habere, non noſtra qvidem virtute, ſed Servatoris, quod capite ſequenti exponetur de Libert. Chriſt. §. VIII. faciuntq; huc imprimis dicta Rom. VIII. v. 15. 16. *Accepiſtis Spiritum adoptionis, per qvem clamamus Abba, ipſe Spiritus teſtatur nos eſſe filios Dei &c.* Spiritus noſter eſt Conſcientia noſtra, Spiritus Dei eſt Spiritus adoptionis non Spiritus ſervitutis. Hic metum creat, ille certitudinem Libertatis affert, eoq; diffidentiam abigit, idem deinde, ut clamemus, efficit: Inclamare vero Deum, animum imperterritum arguit. Iterum quia Spiritus Dei eſt, abſonum foret, id teſtimonium tantum conjecturale eſſe. Conf I. Joh. IV. v. 13. *Per hoc cognoſcimus nos in eo habitare, & ipſum in nobis, quod de Spiritu ſuo dedit nobis.* Plura loca vid. per totam hanc Johannis Epiſtolam, neq; alio fine, quam ut perfecte erigeret Conſcientiam noſtram, ea ſcripta eſſe indicant verba initio ſtatim propoſita *c. I. v. 4. Hæc ſcribimus vobis, ut gaudium veſtrum ſit perfectum.* Gaudium quod ex cognitione conjecturali oritur, imperfectum eſt, plenum eſſe non poteſt, & cognitio hæc fiduciam & libertatem apud Deum nobis parit. I. Joh. III. v. 19. Infallibilem igitur certitudinem includit. Inſt. I. *Ex generali certitudine hæc fluere.* Reſp: Fieri non poſſe, ut generalis aliqva perſvaſio confidentiam pariat. Inſt II. *Nullum dictorum iſtorum perfectam certitudinem inferre.* Reſp: Neg. Johannes enim perfecti gaudii jam meminit. Inſtit. III. *Job. IX. v. 20. 21. etiamſi innocens fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Reſp. 1. Integritatem hic profiteri cum Deo comparatam, qualem ne Angeli quidem poſſident. 2. Verba textus proprie ita reddenda eſſe, integer ſum, non habui rationem animæ meæ, ſprevi vitam meam. Inſt. IV. *Eccl. IX. v. 1. Neſcit homo utrum amore vel odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Reſp. 1. Verum ſenſum eſſe, ex beneficiis externis amorem Dei colligi non poſſe. 2. Dici tantum hominem ex ſe id non ſcire. Inſt. V. *Fraudulentum eſſe Cor humanum, Jerem. XVII. v. 9.* Reſp: Ideo nec ex ſe ipſo dignoſcere id poſſe, ſed beneficio Spiritus Sancti.

CAPUT VI.
DE
VOLUNTATE.

I. Definitio Voluntatis.
II. Motivum Voluntatis, & modus volendi.
III. Ubi Fons malitiæ resideat? Cur delicta ex Voluntate æstimari debeant? Cur quod sine Voluntate fit pro Delicto haberi non possit? Cur Bona Intentio tamen actibus ipsis Bonitatem non conciliet?
IV. Voluntas cur non nisi Bona appetat? Qvo sensu infinita sit? Qvousq; infinita appeti fas sit? Illustratio Dicti Christi: Unum Necessarium; *Senes & Clericos male avaritiæ accusari; Cur Israëlitæ post esum Coturnicum interfecti divinitus? Cur Servator abjectis omnibus ipsum seqvi poposcerit?*
V. Libertatis natura; Libertas Naturalis non est vera Libertas. An Libertas ex indifferentia ad utrumq; oppositum æstimanda sit? An necessitati adversetur?
VI. Libertatis Philosophicæ explicatio: Non licitum esse libere sentire, qvæ velis. An Statutis Universitatum Novi Doctores recte in certam Doctrinam aut certum Doctorem jurare adigi possint?
VII. Libertas Politica.
VIII. Libertas Christiana; Ejus natura & conseqventia.
IX. Libertas Ecclesiastica; Libertas Pauli I. Cor. IX.
X. Licentia; De Necessitate & Libertate Bonorum operum Controversia Evangelicorum præcedentis Seculi.
XI. Partes Voluntatis.
XII. Consensus explicatio: De dicto, Idem velle & idem nolle ea demum vera est Amicitia; An Diversitas opinionū Concordiæ repugnat? An Consensus plurium singulos obliget?

I.

AD Voluntatem nunc pergendum est, qvam vocamus *propositum fruendi re ab Intellectu cognita. Propositum est*, h. intentio efficax, desiderium, phrasi Politica *Resolutio*, ad id enim in qvod feri-

ferimur, resolvi dicimur; *Fruendi*, hoc est, uniendi sibi rem cognitam, in discrimen à sensibus & intellectu, qvi in cognitione acquiescunt; *Re ab intellectu cognita*, in differentiam à Brutis, quæ non volunt, sed appetunt: Non enim cognoscunt res in natura sua, sed tantum sub ratione Boni privati, de quo *supra c. III. §. 1.*

II.

Causæ Voluntatis sunt, quas motivum Voluntatis communiter vocant. Voluntas enim Potentia cœca est, quæ nescit, quomodo in objectum tendere debeat, ac proinde opus habet, ut ab alio excitetur; illud itaque quod eam excitat, seu efficit ut velit, eoque ex non agente reddit agentem, causa erit, ac motivum voluntatis communiter dicitur: Quod quale sit, quove modo excitandi facultatem exerceant, prolixe disputant Scholastici, quorum summam vid. *ap. Heerbord. Colleg. Eth. Disp. X.* Nos quicquid causarum est, in cognitione situm esse putamus; Ideo enim volumus rem, quia cognita fuerat; Ignoti qvippe nulla cupido, & ita rem etiam volumus; prout eam cognoveramus, neque aliter eam proponere nobis possumus, quam prout ab Intellectu ostensa fuerat. Si porro inquiratur, *qualis Cognitio esse debeat?* Resp: I. Requiri non tantum apprehensionem rei, de eademq; judicium, ut simpliciter se habet, sed prout eadem Bonitate vel malitia imbuta est; Voluntas enim in objectum tanquam finem tendit, & vero finis non est nisi boni, quia semper in finem tendimus, tanqvam rem nobis convenientem. II. Requiri præterea judicium Intellectus comparatum, indeq; discursum Practicum, h. ut non tantum judicemus rem esse bonam vel malam, sed etiam judicemus, qvæ res ex bonis, cui, quando & ss. sit servanda: Qui quidem actus Rationis seu Syllogismus Practicus illud est, quod Scholastici vocant Imperium, qvo præsente & in Exercitium deducto Voluntatem necessario sequi oportet: Quæ omnia & quæ his similia sunt apud Scholasticos, in summam hanc contrahimus: Universum nempe Volendi actum hoc ordine & hisce causis absolvi. Probando nimirum, approbando & seqvendo. Probare actus Intellectus est, h. rem apprehendere ac bonam vel malam esse judicare. Approbare ejusdem est, ut non tantum rem bonam esse judicemus, sed eandem nobis quoque bonam esse statuamus; unde conclusio manat, sequendum esse, qui actus proprie Voluntatis est, h ut re probata & approbata frui efficaciter desideret.

III.

Hinc itaq; seqvitur I. *Fontem omnis malitiæ in Intellectu qværendum esse; In Voluntate autem propter Intellectum*, quippe cujus Imperium Voluntas necessario accipit, h. Voluntas posito judicio Intellectus comparato & omnibus circumstantiis de re eligenda aut facienda expensis necessario vult & non potest non velle. Ratio patet (1.) ex generali principio, qvod præsente objecto potentia necessitetur ad agendum, de qvo alibi. (2.) Quia voluntas non potest à se ipsa determinari, quod dictum initio §. II. (3) Qvod si voluntas possit velle contra ultimum Intellectus dictamen, posset etiam appetere contrarium boni ab ultimo Intellectus dictamine præscripti, eoque malum sub ratione mali, quod tamen fieri nequit. II. *Cur delicta ex Voluntate æstimari debeant? Sic L 14. ff. ad L. Corn. de Sicar. In maleficiis Voluntas spectatur, non exitus.* Intellectus enim judicaverat rem faciendam, cujus Imperium Voluntas accipit. Judicaverat occidendum, furandum esse, h. apprehenderat homicidium, furtum, nec apprehenderat tantum, sed etiam judicaverat bonum esse, & rursus non tantum bonum esse judicaverat, sed sibi etiam bonum esse Judicio practico determinaverat. Delictum ergo in animo jam consummatum erat, neq; animus delinquentis, quo minus fieret, sed externæ circumstantiæ tantum obstitere. Sic è cœlesti tribunali pronunciat ipse Salvator & adulterium jam commisisse, *si quis fœminam, ut potiatur ea, aspiciat Matth. V. v. 28.* judicat. In Foro externo tamen distingvunt, si eventus intentione felicior fuerit vel infelicior, & utrinq; quidem attendunt voluntatem, ita tamen ut ex feliciori eventu poena sit metienda *l. 2. §. 7. ff. de Orig. Jur.* Causa, quia pœnæ æquiparari solent damno in publicum dato, jam vero eò minus damnum est, quo felicior fuit eventus. Confer. *Dn. Stryck. de Jure Sens. Diss. X. c. VI. §. 41. & seq.* III. *Iterum qvod sine voluntate est, licet materialiter delictum sit, pro delicto tamen non habetur*: Ideo Bruta delinquere dici non possunt, nec furiosi, aut infantes, quia enim Intellectu carent, nec velle dici possunt. Cur tamen subinde acerbi quid patiantur, id fieri solet ad abolendam rei nefandæ memoriam, qvantumcunq; enim delictorum expertia sint, abominationi tamen manent, h. ab iis tanqvam rebus consortio humano indignis refugimus. Plura vid. *Pol. Parall. Dissert. XV. §. IV.* *Cur solius Voluntatis bonitas seu bona intentio actibus ipsis bonitatem non conciliet?*

Ratio

Ratio itidem ex natura Voluntatis dependet; Voluntas enim est Propositum, h. desiderium. E. qvicunque rem bonam vult & malis mediis utitur, non potest dici efficaciter eandem voluisse; alias enim conformia media elegisset.

IV.

Objecta Voluntatis ratione Qvalitatis reqviruntur Bona esse; Intellectus enim vera esse, adeoq; naturæ rerum congruere judicaverat; Eadem igitur & Bona ac proinde sequenda judicavit, ob Veri & Boni connexionem insolubilem. Ideo & ipsa gravissima flagitia specie Boni tecta veniunt, licet non natura sua, sed externa tantum specie talis, seu *indutâ turpi faciei larva venustâ*, ut Lucianus alicubi ait. Intellectus enim sibi congruere, adeoq; & secundum conformitatem istam sequenda esse judicaverat. Sic Blasphemia vindictæ speciem induit, Αὐτοχειρία tædium vitæ & ss. Quantitatem Objectorum Voluntatis quod attinet, ratione ejus determinata non sunt: Pertinetq; huc Scholasticorum eloqvium, *Voluntatem esse Infinitam*: Quod solita ipsis phrasi exprimunt, Infinitam esse *Objective*, quia nimirum in rebus appetendis nullis limitibus coercetur, aut finibus restringitur, sed in infinitum abit. De rectitudine hujus Infinitatis verò in Statu & singulari & Sociali hominum ita sentimus. I. Infinita appetere à natura humana alienum non esse, ob Imperfectiones quibus continuo laboramus, eoq; illarum tollendarum continuo satagimus. II. Sed non indefinite infinita appeti posse; Hæc enim h. Infinita promiscue appetere diversorumque generum & viribus nostris non respondet, & sinistro affectu nos necessario mactat, quia enim tam imperfecti sumus, ne multorum quidem, tanto minus infinite variorum capaces sumus. Verum III. in rebus certi generis ut in infinitum tendamus, h. semper in progressu ad eas pergamus, id est, quod naturæ nostræ congruere modo diximus. *Decuit nempe infinitam Dei sapientiam ita Thesauros suos contemplandos exponere, ut mens humana progrediendo semper, finem inveniret nunquam, ad evidentius Differentiam inter se, Creaturam & Creatorem, tanqvam rivulos & fontem cognoscendam. Comen. Tr. Un. Necess. c. VI. §. 6.* Sic rem familiarem & qvicqvid functionis nostræ est perpetuis incrementis jure augemus; Tendimus enim acquisita re una ad aliam tanquam fulcrum rei antegressæ futurum, qvæqve simul novum perfectionis augmentum additura sit. Et literis qvi ope-

 rantur

rantur non desinunt augere Scientiam, spectaturi ita animi sui virtutem, & in Scientia tanqvam in speculo. Eodem modo comparatum cum Senibus, Clericis & ss. quos communiter avaritiæ postulant, dum in rem suam intentos vident: Qvi tamen id faciunt,non ut divitiis, sed ut prudentia sua fruantur,qua illas congesserunt,experti qvippe jam tum,qvantum prudentia & Ingenio suo profecerint. IV. Et ne in his quidem nisi moderate versandū est,naturam & occasiones rerum enim fluentes facile seqvi, sed adversantes non sine periculo assequi possumus. Ideo divitiarum qui immoderate satagunt,Avari,literas qui confuse sectantur inepte docti, soli-ipsi & ss. evadunt. *In vita versandum ut in convivio: Si qvid circumferendo ad Te portatum fuerit,modeste manu extensa accipito: Nondum adest? Appetitum longe ne extendito. Præteriit, ne detine.* Epictetus. V. Atq; ipsum Domini monitum nos huc ducit Luc. X. v. 42. *Unum est necessarium.* Si enim à præterito per præsens in futurum gradatim nobis procedendum est,semperque in alia quædam nova, prius ignota, loca, res, personas incidimus, næ omnis humanæ prudentiæ & basin & fastigium attigimus, si errationibus, fatigationibus, & illusionibus nos extricemus omnibus. Sic svasit rerum terrenarum nimiam deponere solicitudinem in paternam DEI de nobis curam recumbendo. *Matth. VI. v. 25. & 32.* Diviti adolescenti,omnia sua vendere, quia curæ de iis virtutibus ipsius impedimento erant. Discipulis suis Christianisq; postea omnibus *Panem qvotidianum petere*, h. non cupedias, aut delicias,gulæ irritamenta, sed quod simplicissimum haberi potest. Et Israelitæ post esum coturnicum leguntur divinitus interfecti fuisse; Petierant enim non necessaria, cum Mannam necessariam alimoniam Deus iis providerat. *Hoc inveni, Deum fecisse hominem rectum, sed ipse se infinitis miscuit Quæstionibus. Eccl. VII. v. 30.* Quasi dicat, multiplicitas homines perdidit, in quam curiositate prolapsi se intricarunt: Ergo redeant ad simplicitatem, ut se extricent. *Comen. Tr. Un. Necess. c. III. §. IV.*

V.

Propria Voluntati est motio intrinseca, qua fertur in res prosequendas, communi nomine *Libertas* dicta, item Liberum Arbitrium, voce tanto clariori, quia ipsum intellectum, quem antea tanquam Voluntatis principium proposuimus, involvit. Arbitrari enim denotat actionem facultatis cognoscentis. Ejus connexio cum Voluntate in

te in eo claret, qvod certum sit Intellectum in nobis probare & approbare res Voluntati destinatas; Intrinseca ergo ea Motio est, qua efficitur, ut velimus, & per hanc quia volumus, libere velimus. Explicamus Libertatem uno verbo *Lubentiam*, pluribus, *Facultatem rem ex arbitrio nostro agendi*, ex arbitrio nostro h. Judicio Intellectus Practico, quo rem aliquam nobis conducere agnoscimus. Eandem negative describunt: *Absentiam Impedimentorum externorum*. Sed character iste potissimum Libertatis naturalis est, quæ æquivoce tantum, non vere Libertas est; Habemus enim & exercemus eam etiam non conscii, vel nolentes. Sic Aves dicimus amare Libertatem suam, h. ut sine impedimentis externis avolent. Et natura dicimur nasci liberi, h. sine impedimentis externis, qvo minus vel simus vel moveamur. Vulgo Libertatem ex *in differentia ad utrumque Oppositorum* æstimant, quæ sicui Libertatis speciei competit, aut si gradum Libertatis alicubi exponit, ut ad ipsa Opposita usque se extendat, Libertati in genere tamen male tribuitur. Libertate enim non caret, qui virtuose ac secundum Leges agit, & tamen ille indifferens non est ad virtutem & opposita vitia s. transgressionem, quia obligatur ad id, quocum natura sua congruit, quodq; superior injungit. Sic ipse Deus liberrime agit, qvodcunq; agit & tamen non potest non bene agere: Similiter Angeli boni libere agunt, libere laudant Deum & tamen necessario. Item in Servatore vera erat Libertas voluntatis, neque tamen in Indifferentia consistebat, ita enim peccare potuisset. Ut proinde nec Necessitas, sed tantum Coactio Libertati opponatur, sola Coactio enim externum impulsum sine interno animi motu addit. Sunt qui inter *Spontaneitatem & Libertatem* distingvunt, & Libertatem indifferentia consistere autumant, Spontaneitatem vero in immunitate, eoque sensu Bruta sponte agere dicunt, quatenus non coguntur, aut ab externo principio ad pastum aut motum necessitantur. V. *Puffend. Elem. Jur. L. II. Obs. XX. Heerbord. Colleg. Eth. Disp. XI.* Sed merus hic est lusus in vocibus & sponte agere aut libere agere usu loquendi non magnopere differunt, aut si penitius ille examinetur, nonnisi hoc sensu different, quod is demum sponte agere dicatur, qui tantummodo per motum aliquem internum agit, sive solo instinctu suo absque externo persvasione, libere vero agere & ille dici possit, cujus motui interno etiam instinctus externus accedat.

VI Va-

VI.

Varietas Libertatis ab objectis potissimum nata fuit, suntque præcipua ejus genera *Libertas Philosophica, Politica, Christiana, Ecclesiastica*. Libertas Philosophica est *Judicii Libertas, qua in propositas quæstiones mens nostra prompte fertur.* Ratione termini sonat tantum ea, quæ complexu Artium circumscribuntur, usu autem generalior est & universam facultatem sciendi in orbe literato emetitur: Cautela ejus eadem, quæ Libertatis in genere, ne ex spontaneitate indifferentiam eoque Scepticismum perpetuum formemus, & prætextu ipsius Affectatam Dubitationem aut Ignorantiam quæramus, sicque lumini Rationis aut insito aut revelato & consequenter Religioni aut Reipublicæ aliquid derogemus. Unde & ad Quæst. *An liceat sentire qua velis* negative respondemus, & e contrario tantum sentienda asserimus, quæ Vitæ Rationali & Sociali congruunt; Nec quicquam præjudicat Libertati Philosophicæ his terminis coerceri, cui Lubentia sufficit, indifferentia necessaria non est. Sic pessime jactavit perditissimus Vaninus Atheismum suum, eundem in Libertatem Philosophicam trahens, cum mera & effusissima licentia id esset, ipsique lumini naturæ opposita, quod Libertas Philosophica non tollit, sed elevat. Simile exemplum V. supra *Cap. IV. §. 5. p. 50. init.* Eadem ratio aliarum manifesto falsarum opinionum, quæ obtentu Libertatis Philosophicæ protegi non possunt, cum illa Rationem nostram neutiquam obrutam aut turbatam velit. Instantiæ, quam urgent, se aliud videre aut sentire non posse, aut ad contraria responderi non posse, alibi prolixe responsum est. Atq; adeo recte fecerunt Cardinales à Paulo IV. Pontifice M. electi, qui in Scholis Italiæ præsumtam illam in præjudicium Scripturæ & fidei Christiani philosophandi Libertatem compesci voluerunt, nec erravit Concilium Lateranense sub Leone X. quod prohibuit Disp. contra Animæ Immortalitatem, nec Clementina unica de Summa Trinitate, quæ dicit Hæreticos esse censendos, qui pertinaciter teneant, Animam Rationalem non esse formam hominis, nec deniq; congregatio Cardinalium, quæ decreto inhibuit ingruentem tunc de Solis quiete & Terræ rotatione Sententiam. De quibus omnibus merito cum Voetio pronunciare audemus, quod *Bellarminus de Calvino* in Controv. Gen. 4. ubi de Christo αὐτοθέῳ. *Utinam sic semper errasset?* vid ipsum *Vol. III. Disput. de Errore fol. 741.* *Qu. An Statutis Universitatum novi*

Docto-

Doctores recte in certam Doctrinam aut certum Autorem jurare adigi possint? Resp. Aff. Jubentur enim id jurare, quod LL. Reipublicæ ac Religionis maxime congruum est, à quibus si non discedant, eo ipso juramentum suum adhuc integre servant utut non semper habita Autoris, in quem jurarunt ratione. Huncq; sensum ferunt, quando Magistri hodienum in Aristotelem, vel Theologi in Augustanam Confessionem jurant, neqve enim aliud ita profitentur, quam LL. Reipublicæ & Sacris se conformes futuros: Nec alium sensum quam hunc hic subesse, argumento est (1.) quia Juramenta naturæ rerum eoque veritati intrinsecæ nihil addunt, (2.) qvia circa Juramenta hæc potest fieri Dispensatio, quemadmodum inprimis Serenissimus Elector Saxoniæ, cum LL. Universitatum ipsius Juramentum in Librum Concordiæ exigant, plus una vice circa illud dispensasse legitur; Qvæ si rem ipsam attinerent, Dispensatio institui non posset, qvippe cui in puncto veritatis nullus locus est.

VII.

Libertas Politica est *Potestas in se.* Opponitur præcipue Servituti, qua quis Dominio alieno contra naturam subjicitur, eoque respectu *natura omnes nasci Liberos*, h. non-Servos Imperator dixit. Ex parte etiam Subjectioni Publicæ adversatur, qua Voluntate aut Reipubl. Principis explenda obligamur, à qua tamen non omnis Libertas exulat; Qui enim cum Lubentia obedit, Leges necessario quidem, libere tamen accipit; Alii ut Libertatem in genere, ita hanc in specie in Indifferentia aut ad Obedientiam aut ad Pœnam quærunt, & Leges alternative obligare, h. ut aut obediamus, aut puniamur, autumant: Quibus opponimus, nullam Legis transgressionem ita Delictum fore, sed quam suo qvisqve periculo Libertatem emeret, eam jure haberet, quod pluribus demonstratum *Polit. Parall. Dis. XII'. §. VII.* Pertinetq; huc Senecæ istud: *Ad Libertatem eundum est spretu calcatiq; cupidinibus;* Et Ciceronis V. Paradox. *Quid est Libertas? Potestas vivendi ut velis: Quis igitur vivit, ut vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via consideratá atq; provisa est, qui Legibus non propter metum paret, qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat deniq; nisi libenter ac libere.* Solent etiam *Respublicæ Liberæ* dici, quæ Forma Regiminis Aristocratica aut Democratica constant, sed non nisi æquivoco Libertatis sensu, quæ ibi non immunitatem à subjectione, hanc enim unaquæque

M Reip.

Reip. forma æque exigit, sed tantum immunitatem ab unius potestate significat.

VIII.

In *Christiana Libertate* tota nostra Beatitudo sita est, qua una differimus ab omnibus, qui Christiani non sunt; Estq; ejus plane singularis ratio, distincta inprimis à Politica, quam modo attigimus, Libertate; Hac enim per ipsam nativitatem donamur, & natura omnes nascimur Liberi, sed evadimus Servi; Libertate Christiana vero nemo nascitur Liber, sed natura nascimur Servi & evadimus Liberi; Sumus enim omnes natura Servi Peccatorum. *Fiunt, non nascuntur Christiani*, commune Patrum Proverbium est. V. Tertull. *Apolog. c. XIIX & Lib. de Testim. Animæ adv. gentes c. I.* Hieron. *Epist. VII. ad Latam.* August. *Qq. ex V. & N. T. c. LXXXI.* V. pluribus *Zimmermann. Diss. Theol.* ad hoc Dictum *Sect. I.* Definiri possit *Immunitas à Servitute Spirituali*, ex Cameron. *in Serm Inaugur. super Rom IIX. v. 15.* Non accepistis Spiritum Servitutis rursus ob metum. *T. I. Op. p. 589.* seu quod perinde est, *Immunitas à Justificationis per Legis præstationem quærenda necessitate*, h. ut Conscientia nostra, dum fiducia Justificationis coram Deo quærenda est, sese supra Legem erigat, totiusq; Justitiæ Legis oblita unam Dei misericordiam amplectatur, & unum Christum respiciat. Lex enim veluti neminem justum relinqvit, ita aut ab omni spe Justificationis nos excludit, aut ab illa nos solvi oportet. Nam qvi vel tantillum operum se afferre debere ad obtinendam Justitiam cogitat, non potest modum aut viam præfigere, sed debitorem universæ Legis se constituere: Itaq; sola misericordia Dei nobis superest, coram qua non quæritur, quomodo justi simus, sed quomodo injusti licet ac indigni pro Justis habeamur. Hujus consequens est *Fiducia Deum compellandi.* Natura enim nemo est, qui ausit Deo se sistere, cum Conscientia Peccati efficiat, ut sola Dei mentione mens humana terreatur; Libertate Christiana vero donati Deum libere adimus, confidimusq; obseqvia nostra, quamvis rudia, indulgentissimo Patri probatum iri, æque ac filii, qvia liberalius ac magis ingenue à Patribus tractantur, non dubitant ipsis inchoata & dimidiata opera, etiam aliquid vitii habentia offerre, confisi suam obedientiam & animi promptitudinem illis acceptam fore, etiamsi minus effecerint. E contrario qui Lege astringuntur, Servis sunt similes, quibus certæ in singulos dies operæ à Dominis indicuntur,

guntur, quique nihil effectum esse sciunt, nec in conspectum Domini venire audent, nisi exactus operarum numerus ac modus constiterit: Quæ etiam ratio est, cur S. Paulus in Epist. ad Hebr. quicquid in S. Patribus Bonorum Operum fuisse legitur, ad fidem referat, & ex fide duntaxat æstimet, V. *Hebr. XI.* Hincq; porro sequitur. I. *Christianos Legi quidem se accommodare*, sed non coactione aliqva, verum *Legis ipsis jugo liberos Voluntati Dei ultro obedire:* Qvia enim Conscientia nostra in perpetuo terrore versatur, quamdiu sub Legis Dominio est, alacri promptitudine in obedientiam Dei nunquam composita erit, nisi hujusmodi Libertate prius donata. II *Eosdem nulla rerum externarum, quæ per se indifferentes sunt, Religione coram Deo teneri, quin eas nunc usurpare, nunc omittere indifferenter liceat.* Ratio, quia alias Conscientiæ nostræ nulla quies, vel finis superstitionum futurus est; Ac licet Disceptationes hujusmodi videantur superfluæ esse, plus tamen iis inest momenti, quam vulgo creditur: Nam ubi semel in Laqueum se conjecerunt Conscientiæ, longum & inextricabilem Labyrinthum ingrediuntur. *Si quis dubitare inceperit, an Sibi Linteis, Indusiis, Sudariis ex Lino uti liceat, nec de Cannabe postea securus erit, tandem & de Stuppis incidet dubitatio, secum enim volutabit, annon sine mantilibus cœnare possit, annon Sudariis carere? Sicui paulo delicatior Cibus illicitus visus fuerit, demum nec cibarium panem ac vulgaria edulia tranqvillus coram DEO comedet, dum in mentem venit, se vilioribus adhuc cibis posse corpus sustentare: Si in svaviori vino hæsitaverit, deinde nec vappam cum bona Conscientia pace bibet, postremo nec dulciorem mundioremq; aquam attingere audebit; Denique eo demum veniet, ut super transversam incedere festucam nefas ducat:* Namq; in cunctis hisce non levitas materiæ, sed hoc præcipue controvertitur, An Deus nos hisce uti velit, cujus voluntas Consiliis ac factis nostris omnibus præire debet. III. *Libertatem Christianam quoq; non tantum rebus indifferentibus astringi non velle, sed exigere etiam, ut iisdem indifferenter utamur.* Sic nemo fere est, cui sumptuoso esse per facultates licet, *qvem non delectat in cœnarum apparatu, in cultu Corporis, in extruendis domibus luxuriosus splendor, qvid; non omni lauticiarum genere inter alios eminere velit; Qvæ omnia sub Christiani nominis prætextu defenduntur, & certe res indifferentes sunt, modo iis indifferenter utamur, cæterum ubi nimis*

NB.

cupide appetuntur, aut luxuriose effunduntur, vitiis conspurcantur. IV. *Libertatem hanc usurpandam vel moderandam esse pro proximi commodo:* Adeo ut si in proximi ædificationem cedat, ea utamur, si proximo non expediat, ea abstineamus. Cogitandum enim est, Liberam in rebus externis potestatem nobis ideo concessam esse, ut ad omnia Charitatis Officia sit expeditior; Quemadmodum rerum necessariarum contraria prorsus ratio est, ac nullius offendiculi timore omitti possunt, neque unqvam proximum ita amari fas est, ut Deum offendamus. Qv. *An conservandi Commodi aut vitandi Incommodi Publici causa externam Religionem falsam ejusq; ritus subire fas sit, retenta animo puriori sententia?* Resp. N. Neque enim arcana tali Confessione homines aliud proficere, nisi quod externam illam suam irregularitatem coram Dei Tribunali proprio animi Testimonio accusent. Plura vid. *ap. Calvin. Epist. de Christiani Hominis Officio in Sacerdotiis Pap. Eccl. vel administr. vel abjiciendis*, Eundem *Tr. de Libert. Christ.* Luther. von Christl. Freiheit / im Unterricht der Visitation an die Pfarrherren im Churfürstenthum Sachsen Ao. 1538. *Tom. VII. Jen. Germ. fol. 16.*

IX.

De *Libertate Ecclesiastica* prolixe agunt Dd. Catholici, sed varie eandem explicant. Baronius eam ponit in exemptione Sacerdotum ab Obedientia Principum, qvocum eo nomine disputat *M. Ant. de Dominis de Rep. Eccl. Lib. VI. c. IV. n. 25. 26.* Cardin. Tuschus consistere docet in Privilegiis concessis super Spiritualibus vel Temporalibus, generaliter vel singulariter à Deo, vel à Papa, vel ab aliis Principibus: Taliaq; allegat Privilegia à Deo concessa: *Qvodcunq; ligaveris &c.* Item de Decimis & Primitiis &c. Privilegia à Papa concessa, quod statuitur contra injicientes manus violentas in Clericos, quod duo Testes sufficiant in Legatis ad Pias Causas, aliaq; in Jure Canonico. Privilegia Principum & Imperatorum, quæ circa Immunitates & Exemptiones Ecclesiarum versantur & ss. Quæ suo loco relinquimus, Libertatem Ecclesiasticam non aliud esse rati, quam *Jus Ministrorum Ecclesiæ verbum DEI annunciandi & Sacramenta administrandi*: In qvibus siquis eos turbat, eum Libertati Ecclesiasticæ se opponere dicendum erit, quod prolixe demonstratum à Theologis & JCtis Venetis, cum A. MDCVI. Respublica Veneta cum Paulo V. P. M. contenderet; Nihil aliud enim tunc intonabant & Papa & Cardinales, quam

quam Libertatem Ecclesiasticam, quam Sanctionibus Reip. Venetæ violatam esse allegabant. At respondebant Veneti, peccare Pontificios in Libertate Ecclesiastica, hanc enim in eo consistere, ut habeant Ministri Ecclesiæ Libertatem potestatem concionandi & administrandi Sacramenta: Tantum vero absfuisse, ut hanc impediverint, ut etiam adversus Interdictum Papale, quo Potestas talis sufflaminata fuit, provida cura sua effecerint, ne Evangelii prædicatio & Sacrorum Administratio in Provinciis usqvam intermitteretur. V. *Scriptores ad A. MDCVI.* Et inprimis *Paulum Sarpium Servitam in Considerat. Cens. Pauli V. P. M. contra Seren. Remp. Venetam*, qva istam de Ambiguo Libertatis Ecclesiasticæ usu seqventibus accurate tetigit: Objicit Papa ambabus illis legibus, quod sint *sedis Apostolicæ auctoritati & Ecclesiasticæ libertati immunitatiq; contrariæ, tum generalibus Conciliis & sacris Canonibus, necnon Romanorum Pontificum constitutionibus repugnantes.* Ante omnia itaque opportunum erit, ut videamus, quid *Libertas Christiana* sit, & unde suam habeat originem. Nam certum est, quod nomen hoc sit plane novum, nec per duodecim integra secula Ecclesiæ unqvam cognitum. Facit quidem Apostolus Paulus in Epistolis ad Romanos & ad Galatas etiam Libertatis Christianæ plenariam mentionem, demonstrans ibidem, quod per peccatum primorum nostrorum parentum facti fuerimus Servi peccati, à qua servitute nos Christus proprio suo sangvine liberaverit, dum dicit: *Cum Servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ, nunc vero liberati à peccato, Servi autem facti Deo, habetis fructum quidem sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Et ad Galatas aliam Servitutem proponit, Ceremoniarum scilicet Legis Mosaicæ, à qua itidem à Christo sumus liberati. *Et*, inquit, *nunc, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate nos Christus liberavit.* Et hæc quidem gratia libertatis nulli alteri est data & concessa, quam iis, qui in Christum credunt, & ad ejusdem Ecclesiam pertinent. Quapropter si forte insurgent aliqui de Sanctis antiquis, qui Libertatem Ecclesiæ ad clericos saltem perstringere voluerint eis nihil aliud, quam ministros dæmoniorum & patrem inferni opponimus: nec dubitet, qui etiam minimum suis ipsius legibus derogare conatur, quin ab Ecclesia Catholica plane sit alienus. Nam de hac libertate hic non agitur, siquidem famosum illud & augustissimum nomen *Ecclesiæ*, quod ante hæc tum clericis, tum laicis erat commune, nunc quasi ad

Clericos tandem perstringitur, eosque fere solos comprehendit. Cum ergo aliquam peculiarem à supra dicta separatam libertatem habent, forte ea erit, cujus Honorius III An 1220. primus videtur mentionem fecisse: Quæ tamen nec ab illo ipso, nec ab Imperatore Friderico II. qui eandem eo ipso tempore nominavit, declaratur, nec à Canonistis etiam recte, &, ut debebat, deciditur. Nam in omnibus legibus Canonicis nusquam definitur, nec res sub eadem comprehensæ declarantur, nec regula etiam judicandi demonstratur. Ex quo sane sequitur, quod, quoties de re aliqua disputatur, nondum constet, an libertati Ecclesiasticæ adversetur, nec ne. *Libertas* à Jureconsultis definitur, *quod sit facultas naturalis faciendi illud, quod quisque vult*, quantum scilicet leges permittunt. Sunt itaque aliqui in ea opinione, hanc facultatem clericorum faciendi, quod illis libet secundum leges, esse libertatem Ecclesiæ, ut in hoc sensu illud ipsum, quod laicis simpliciter & absolute est libertas, sit in Ecclesiasticis libertas Ecclesiastica, & consistat in usu illius facultatis, quam lex unicuique concedit. Et hic videtur esse sensus *cap. Eos qui.* ubi inquit: *Si quis probibet Ecclesiasticis pinsere panes, molere frumentum, aut in aliis rebus necessariis inservire, is præsumitur, ac si libertati Ecclesiasticæ, aliquid derogasset.* Quidam vero hujus sententiæ non sunt, sed eas res sub hoc nomine comprehendunt, quæ Ecclesiasticis tantum ceu peculiaria privilegia à Deo, aut Pontifice in rebus spiritualibus, & à Principibus in secularibus sunt concessæ, ut ita nihil aliud significent, quam privilegia Prælationis Ecclesiæ in universum, & tum in secularibus, tum spiritualibus concessa. Tertio inveniuntur etiam aliqui, qui ambas illas opiniones conjungunt, præter quos nonnulli omne id, quod in gratiam & favorem clericorum fit & suscipitur, libertatem Ecclesiasticam nominari contendunt, & quod quicquid clericos timidos, laicos vero audaces & animosos reddit, contra illorum Statuta pugnet: quæ quidem definitio apud Bartolum existens ad exaltationem ordinum clericorum omnium maxime facere videtur. *Hactenus Sarpius.* Qv. Quid de *Libertate Apostolica*, quam Paulus tantopere prædicat *I. Cor. IX.* sentiendum? R. Ipsum totam Libertatem Christianam in exemplo suo proponere, qualiter sc. & quam sæpe jure suo in rebus mediis usus & non usus sit, & libenter illud remiserit, quoties Ecclesiæ & infirmorum ædificatio id postulavit, non ut quenquam in Errore confirmaret, sed ut plures Christo lucrifacere-

faceret. *Quamvis liber sim ab omnibus, omnibus meipsum servum feci, ut plures lucrifacerem.* ib. v. XIX. Vid. præter alios *Tossan. præl. in h. l. T. II. op. p. 71.*

X.

Opposita Libertati in excessu *Licentia*, h. *male dispensata Libertas*, uti Seneca Petulantiam describit *Lib. I. de Benef. c. X.* seu Ratio dicendi aut faciendi quicquid animo occurrit. Exempla ejus potissima sunt: I. In Civilibus Tyrannorum, quibus impune quælibet facere est Regem esse, quo sensu *Tacitus XIV. Annal. c. XIIX. Licentia usurpatur jus est*, Deinde Subditorum Rebellium, quorum universale refugium est prætexere Libertatem, revera autem quærere vitam licentiosam, quod in recentibus exemplis motuum Neapolitanorum Massanielli & Rebellionis Parliamentariæ Anglorum claruit, quorum requisita obedientia veluti ipsis Servitus videbatur, ita quæsita Libertas revera erat Licentia: Ideo & populi hi non poterant acqvisita Libertate magis frui, vel eandem conservare, quam olim Romani extinctis primis Cæsaribus: Cujus rationem reddidimus *Polit Pamll. Dissert. XXIV. §. IV.* II. In Sacris eadem peperit *Libertinismum*, dum prætextu Libertatis Christianæ omnium Legum Moralium observatione homines se exemptos autumant: Qua de malitia jam *singularis à Calvino scriptus extat Tr. Tom. II. operum ejus*. & inter Epistolas Ejusdem *Ep. XLV. ad Reginam Navarræ data.* Nec dissimilis error fuit Antinomorum, qui superiori Seculo in Ecclesiis Evangelicis hærebant, credebantq; *Bona Opera ad salutem Æternam esse noxia*, contra quos videndus Lutherus *Tom. VII. Jen. Germ fol. 292* wieder die Antinomer. Hunn. *Tr. de Lege & Evang. p 37.* Fr. Junius *T. I. operum.* In Universitate nostra singulariter eo nomine prolixis Scriptis disputatum fuit inter *Andream Musculum & Abdiam Prætorium*, *Musculo* Necessitatem, *Prætorio* Libertatem Bonorum Operum impugnante; Sed *Musculus* Necessitatem pro Coactione, *Prætorius* Libertatem pro Licentia accipiebat, unde sine causa erat, cur tantopere distraherentur. In Juvenibus *Licentia* peculiare nomen *Petulantia* habet, qvam accurate describit *Papinius Lib. V. c. II. n. 17.*

Quem non corrumpit Pubes effrena, novæq;
Libertas properata Togæ, ceu nescia falcis
Silva comas tollit, fructumq; expirat in umbras.

XI. In

XI.

In defectu Libertati adversatur *Coactio*, h. *Impulsio vi externa & cum reluctantia animi nostri facta*; Est *Impulsio*, h. Incitatio ad subeundum aliqvid: *Vi externa facta* h. 1. ut principium impellens sit extra agentem. 2. Patiens nil adjumenti afferat ad id quod subeundum est. *Cum reluctantia animi*, ut sufficientibus signis constet patientis aversio. Aristoteles elegans exemplum à vento velocissimo petit hominem nolentem, resistentem & repugnantem auferente & asportante. *III. Eth. c. I.* Concreta nomina sunt *Coactum* ratione impellentis, *Invitum* ratione patientis. Consequentia illis quæ ex Voluntate seqvuntur prorsus contraria. Sic Intellectus fons omnis malitiæ nostræ est; Ab iis ergo quæ coacti facimus, malitia omnis abest, fiunt enim cum reluctantia animi. Delicta ex voluntate æstimantur; Ad qvod ergo vi externa compellimur, id Del ctum non est. Et generaliter velut in volendi actibus id quod volumus est instar Conclusionis ex Intellectus probatione & approbatione, tanqvam Præmissis, illa majori, hac minori eductum, ita è contrario, quod Coactum est, qvia Intellectus ista probatione & approbatione utpote Præmissis caret, nihil inferre vel concludere, adeoq; nec quicquam nobis applicari poterit. Sic amici leguntur Lucretiam consolari *avertendo noxam ab coacta in autorem Delicti*: *Mentem peccare, non corpus, & unde Consilium abfuerit, culpam abesse* apud *Livium Lib. I. c. LIIX.* Dispar ratio est, si qua parte eorum quæ in Definitione dicta sunt, actio careat; Ideo in Qv. *An Satelles Coactionem causari possit, si jubeatur virum, quem ipse insontem novit, interficere, nisi ipse malit interfici?* Respondendum est N. Est enim Instrumentum Activum alienæ malitiæ, ut alter intereat, cui nullum Ministerium præstari fas est. Et licet forte pati possimus, vel etiam indirecte concurrere queamus ad necem alterius, ne ipsi intereamus, id tamen huc non pertinebit, & infra *c. IX. §. De Lege Charitatis* examinabitur: Hic satis est agnovisse Satellitem coactionem ad cædem non posse causari. Similis Qv. est: *An Carnifex jussu Magistratus possit interficere eum, quem certo scit Innocentem esse?* Quod verisimile videtur esse, peccat enim non Peccato proprio, sed Peccato alieno; Sed ratio negandi eadem est, qvæ ante dicta; Præbet se enim Instrumentum activum alienæ Improbitati, & id præstat, è qvo non indirecte, sed directissime mors alte-

rius

nius sequitur. Eodem pertinebit *Qv. An Subditus cogi possit, ut in Bellum proficiscatur, quod putat injustum esse?* Seu quod perinde est: *An Subditus Salva Conscientia possit jubente Magistratu in Bellum proficisci, quod putat injustum esse?* Pro cujus quidem Negativa itidem facere videtur, quod Subditus ita Instrumentum activum alienæ improbitati se præbeat. Sed pro Affirmativa militat, quod Subdito nec liceat, nec ille possit etiam judicare de factis aut Actionib. Reip. Incertum ergo est, utrum recte sentiat de Injustitia Belli nec ne; At e contrario certa Obedientia Reip. ab eo præstari debita. Certo ergo officio ob incertum metum suum se subtrahere non potest. In dubiis enim Præsumptio est pro Magistratu tanqvam Superiori. Conf. supr. *c. III.* §. *XXV.* & *Med. Pol. Disf. XXIII. §. IV.* Veluti autem à Peccato liberi sunt qui coacti faciunt, quod alias facturi non fuissent, ita è contrario à peccato absolvi non possunt, qvi qvod coacti facere debebant, sponte faciunt. Sic peccant suspendii rei, si sponte sua scalis desiliant, non expectata vi Carnificis; Pœnæ enim invitorum sunt. V. pluribus *Med. Pol. Disf. XV. §. III.* Distingvitur deinde Coactum, in *Coactum in se*, & *Coactum in se & in causa simul.* Coactum aliquid in se est, sed non in causa sua, quando quis in tali Statu versatur in præsens, ut vim illatam repellere neqveat, in culpa tamen fuit, ut in istum statum veniret. Coactum autem in se & in causa sua simul est, quando aliqvis etiam in culpa non fuit, ut in talem perveniret statum, qvo per vim & aliquid cogi posset. V. CL. Puffend. *de J. N. & G. Lib. I. c. IV. §. X.* Quibus tertium genus forte addetur *Coactum in causa*, quando Voluntas à malis judicio nostro insuperabilibus tam vehementer urgetur, ut in aliqvid suscipiendum consentiat, à quo extra illam necessitatem constituta maxime abhorrebat. Solentq; Actiones hæ Mixtæ vocari, tanqvam ex spontaneis & invitis conflatæ, quas idem CLar. Puffend. tractat *c. I. §. IX.* Sed Actiones hasce Coactas aut invitas non nisi in causa dicemus, revera enim Voluntariæ s. Liberæ manent, licet non eundem gradum Libertatis habeant, qua aliæ gaudent, quæ & in se & in causa sua Liberæ sunt. Videturq; hoc Actionum genus comparari posse Argumentis ab Absurdo vel Impossibili, aut Generalius ab Opposito ductis, qvæ licet non ex intrinseca rei quæ tractatur natura conclusionem suam eliciant, non eo minus tamen Conclusio vera manet, ex veris etiam præmissis formata, licet idem demonstrandi genus, aut eundem Claritudinis gradum

dum non habeat. Qv. *An inter Conjuges in Debito Conjugali intercedere posſit Violentia?* Reſp: Litem in Voce eſſe: Si ſimpliciter intelligatur Copula, negari: Si copula promiſcue & quovis tempore præſtanda, affirmandum eſſe; Hæc enim ne interveniat, ſubinde cauſis externis prohiberi, tunc vero nec Debitum eſt: Debitum enim quod eſt, id jus integrum præſupponit, quod hic ob cauſarum externarum interventum non ſublatum qvidem, ſuſpenſum tamen eſt. Qv. *An Sponſus Sponſam vi comprimens puniri poſſit?* Reſp. Aff. Quia nondum jus habet attingendi Sponſam, ac proinde invitæ vim affert; Sponſalia enim pactum ſunt de matrimonio, non matrimonium ipſum. *Covarruvias* negat *T. I. oper. P. II. c. VII. n. 16.* ſi Sponſalia de præſenti ſint. Reſp. Sponſalia de futuro non poſſe proprie talia dici, cum nihil aliud ſint, quam pactum de futuro pacto, ac proinde non ſunt pactum de Matrimonio. Mitiori tamen pœna afficiendum eſſe putat, quemadmodum & *L. un. C. de Rapt. Virg.* tam ſtricte haut obſervari volunt, ſi præceſſerit tractatus & promisſio matrimonii contrahendi. V. *Covarr. l. c.* Referenda huc ſpecialis Quæſtio: *Quid de Raptu Silonitidum Jud. XXI. ſentiendum.* Reſp. Divinitus quidem non punitum legi, atque adeo inter Excuſabilia, h. Delicta gradu minori repoſitum videri; Approbari tamen vel raptum vel conſilium raptus præſuppoſita Juramenti legalitate non poſſe. 1 Quia quicquid Conſilii Benjamitis ſuggeſtum fuerat, virgines tamen invitæ ipſis procul dubio nupſerunt metu Juramenti contra illos antea concepti. 2 Invitis Parentibus etiam auferebant, quos jure elocandi filias ita privabant. 3. Benjamitæ vel potius qui autores Conſilii ipſis fuerant, Silonitas ita in perjurium induxere, dum quomodocunque poſthac in retentionem filiarum conſenſere: Quas rationes V. ap. *Toſtat. in c. 21. Judic. Q. XLV.* Nec necesſitas innevitabilis perituræ Tribus Benjamin metuenda erat, quadringenti enim uxores acceperant, reliquos ſi ſine Conjugibus manere oportuisſet, infortunium fuisſet, non raptus peccato avertenda necesſitas. Contrarias rationes pro Affirmativa quidem affert *Senarius in c. l. Jud. Q. IV.* Sed debiles ſunt, nec iis recenſendis immorabimur. Juramentum ipſum hac de re conceptum examinavimus *Pol. Parall. Diff. V. §. VII.*

XII.

Seqvuntur Actus ita dicti ſeu partes Voluntatis, hoc ordine fere

interstincti, quod alii fini, alii mediis obtinendis destinati sint. Ad finem pertinent, *Volitio*, *Intentio*, *Fruitio*. *Volitio*, quando Voluntas simpliciter sibi rem proponit; *Intentio* desiderium efficax finem obtinendi; *Fruitio* quietem & Delectationem in fine jam obtento & præsente; Actus circa media itidem tres sunt *Electio*, *Consensus*, & *Usus*: Electio est acceptatio Boni alicujus ad finem obtinendum; *Consensus* quam & Complacentiam dicunt, Bonum acceptum comprobat; *Usus* Bonum comprobatum ad finem dirigit. Sed generaliter opponimus Voluntatem esse potentiam cœcam ac proinde nullos actus ejusmodi natura sua producere, & actus hos revera tales esse, sed non Voluntatis, verum Intellectus & qvidem practici, cujus ductum Voluntas seqvitur. Sic Electio actus Intellectus est, ut bonum aliquod constituatur, quam Voluntas non habet, sed sequitur. Consensus similiter vel ipsa Voluntas simpliciter considerata est, vel Judicium Intellectus bonum approbantis: Volitionem & intentionem non nisi gradus Voluntatis autumamus esse efficacius vel minus efficaciter in rem propositam tendentis: Intentionem in specie qvoqve actum Intellectus dixeris certum finem destinantis. De *Fruitione* & *Usu* vel ideo dubitamus, an ad actus voluntatis referri debeant, utraq; enim rem non amplius vult, sed volita gaudet, itaq; nec propositum re fruendi, h. Voluntatem amplius habere possumus, sed tantum facultatem rem productam retinendi. Fuerint ergo potius actus Intellectus Voluntatem sequentes, quam actus Voluntatis ipsius. De discrimine utriusq; hic paucis notandum, Fruitionem & Usum eo differre, quod *fruamur fine*, *utimur mediis*. Sic fruimur Deo tanqvam fine ultimo, utimur creaturis tanqvam mediis ad Dei gloriam & commodum nostrum destinatis. Secus si fiat peccatum fit, veluti avarus peccat, qvando fruitur divitiis, & in iis tanquam fine acquiescit, cum mediorum loco iis tantum uti debeat. Ipsum *Utile* ratione modo dicta à *Jucundo* differt, quod Utile *sit Bonum in mediis*, Jucundum *Bonum in fine*: Itaq; Creaturis merito applicamus usus, & cui usui sint quærimus, sed infra Divinam Majestatem est eam utilem dici, cum nulli rei loco medii inserviat, sed omnia in omnibus sit, & finis perpetuo sufficientissimus.

XIII.

Voluntas plurium circa rem unam eodem modo gerendam *Consensus* dicitur: Ut res eodem modo fiat & geratur, præcipue spectandum

est, secus si sit, non consensus sed dissensus est. Unde lucem fœnerámur noto Axiomati: *Idem velle & idem nolle esse demum veram Amicitiam*, h. ut rem eandem eodem modo iisdemq; circumstantiis velimus, quibus alter eam vult. Ideo si prædio potiri velis, & alter itidem vult, ut prædio isto potiaris, ea demum inter vos vera erit amicitia, qvia alter idem vult, & cum iisdem personarum circumstantiis, quibus tu volebas. Secus si sit, *Idem velle & idem nolle est causa perpetua dissensionis*, h. si alter idem velit, quod nos, sed cum aliis circumstantiis: Veluti Reges de Regno certantes idem Regnum quidem volunt, & ut alius eo potiatur, nolunt, sed non manentibus iisdem personarum circumstantiis, non enim ita Regnum ambo volunt, ut una eademq; persona eo potiatur, & alius qvicunq; excludatur. Diversitas Opinionum Consensui & consequenter Amicitiæ non repugnat; Non enim est diversitas Voluntatum, unde talis Pugna non obstat unitati Charitatis. *Cajet. in Thom. II. Sent. Dist. XI. Q. I.* Qv. *An Consensus plurium, seu ut alias loqvuntur, Pluralitas Votorum ad determinandas res sufficiat?* Resp. Vitæ humanæ ita expedire, & inter incommoda ejus esse, ut Veritas subinde numero succumbat. Argumentum tamen Demonstrativum nullum est, qvod singulos obliget, ut pluribus accedant, sed tantum morale hoc & persvasorium, ut qvia plures plus intelligere præsumuntur, qvam pauci, & si detrimentum aliqvod inde oriatur, id à volentibus quasi accersitum videatur, præstat etiam plurium, quam pauciorum singularem sententiam seqvi. Accedit, quod minus periculi sit ab hoc ordine, nisi enim ita consuleretur Vitæ Sociali ejusq; actibus, vix quicquam inter homines concludi posset, cum raro singuli ita consentiant, quin unus alterve sit, qui causam dissentiendi se habere opinatur, eoq; humanum genus infinitis turbis implicaretur. Distinctio inter ea quæ singulos, qua singuli sunt, attinent, & ea quæ ad communionem spectant, quodq; horum tantum, non illorum respectu obligemur, neminem latet.

CAPUT VII.
DE
AFFECTIBUS.

I. Affectus

I. Affectus esse modos Voluntatis; Doctrina eorundem necessitas?

II. Appetitus & Fugæ Descriptio: Quid Spes, Fiducia, Desperatio, Metus, Zelotypia, Terror Panicus, Ira, Indignatio, Vindicta? Cur Vindicta non sit, si Inferiores superiori se subtrahant? Natura Amoris, & Odii, Quid Contemptus?

III. Causæ Amoris & Odii generales & speciales singulorum istius generis affectuum, Causa Odii Nationalis.

IV. Quid Gaudium, Admiratio, Æstimatio, Gloriatio, Risus? Cur eorundem Jocorum crebra repetitio ingrata sit?

V. Quid Dolor, Demissio animi, Pudor, Erubescentia? Cur Erubescentia in Adolescentibus laudetur, in Viris culpetur? Quid Impudentia, fletus? Cur Fœminæ & pueri crebro fleant?

VI. Quid Misericordia? Cur erga sceleratos misericordia non ducamur? Cur non erga Damnatos in Inferno? Qui sint maxime misericordes? Quid Crudelitas, Æmulatio, Invidia? In qvibus hæc locum habeat? An Invidiæ cedendum sit?

VII. Affectuum numerum certum iniri non posse. Affectus depravatos esse Præcipitantiam Voluntatis? An subita Passio obliget? An excuset? An Juramentum Calore Iracundiæ factum obliget?

IIX. Affectus à rebus terrentibus natos plus movere, qvam eos qui à rebus delectantibus nascuntur. Cur Pœnitentia in fine Vitæ raro vera, Deoq; grata sit?

IX. An in Foro Conscientiæ allegari possit, Nos Affectibus abreptos fuisse?

X. An in Deum Affectus cadant? Qvos Servator habuerit? Philippi II. Regis Hisp. exemplum.

XI. Ingeniorum eorumq; varietatis brevis descriptio.

XII. Morum descriptio: Mores animi non seqvi Temperamentum Corporis, sed Temperamentum Corporis seqvi mores Animi.

I.

Doctrina de Affectibus nihil distincti est ab iis, quæ de Voluntate traduntur, neq; enim Affectus aliud sunt, qvam modi Voluntatis, & qvicqvid volumus vel nolumus, id omne ab Affectibus modum accipit, qvod in singulorum Definitionibus mox subjiciendis clarebit liqvidius. Necessitas ejus tamen maxima; Ab Affectibus enim h. Voluntate ita qualificata pendet qvicqvid boni vel mali nobis in hac

vita paramus, adeo ut ii qvos magis movere possunt, magis gustare possint vitæ dulcedines, prout etiam in ea possunt acerbissima & amara quæq; experiri, cum illis recte uti nesciunt. *Cartes. de Pass. An. Art. 212.*

II.

Primum & generalem ambitum Affectuum emetimur duobus Paribus, *Appetitu & Aversatione*, deinde *Gaudio & Dolore*. Hoc in Objectorum præsentia, istud in eorundem absentia versatur. *Appetitus est propositum fruendi Bono præviso, Fuga propositum declinandi Malum prævisum.* Ambo pro Objectorum modorumque varietate rursus magnopere variant, distinctaq; sortiuntur nomina. *Appetitus si conjunctus sit cum opinione obtinendi Bonum* Spes est; *Si Spes constans sit* est Fiducia; E contrario Desperatio est *continua Animi abjectio.* Iterum *Aversatio cum opinione Damni secuturi* est Metus; *Metus conservandi possessionem cujusdam Boni est* Zelotypia, Et *Metus sine conceptione periculi, unde & quale sit*, est Terror Panicus. *Aversatio cum opinione Damni per resistentiam superandi* dicitur Ira; Indignatio, *si sit Ira ex alterius læsione injusta; Si constans sit, & ea fieri velimus, ut injuria illata alterum pœniteat*, Vindicta vel Vindictæ cupido est: Qvemadmodum Vindictam non explet, si impotens potentiori aut inferior superiori se subtrahat. Illum enim absentiæ istius pœnitere non potest, qvia ipso non eget. Neq; explet Vindictam, qvi occidit illum, à quo injuria affectus fuit, nam mortuum nunqvam pœnitet. V. *Autorem Prospect. Vit. Hum. P. I.* *Amor & Odium* ab Appetitu & Aversatione seu Fuga non differunt, veluti perinde est Amorem Pecuniæ, Potentiæ, Scientiæ & Appetitũ earundem dici. Describitur qvidem Amor Desiderium Unionis cum re proposita, sed Desiderium est ipsa Voluntas, Unio ejus est fruitio, eoq; & hac ratione cum Voluntate & Appetitu à nobis descripto coincidit. Est tamen ubi fruitio non in nobis terminatur, sed in aliis, qvo sensu Amor in Benevolentiam abit, h. desiderium ut alius Bono præviso gaudeat. *Quæ neq; amamus, neq; odimus*, seu quod idem est, nec aversamur, nec appetimus ea dicimur *Contemnere*.

III.

De Caussis horum omnium tum in specie, tum generaliter Appetitus ac Fugæ, seu Amoris & Odii non semper quod sufficiat dici potest. Latent ea sæpe in abdito & arcano Dei Secretario, nihilq; superest, quod allegandũ sit, qvam antiqvum illud: *Totum Mundum componi ex Lite & Amicitia.*

Pru-

Prudentissimus Cominæus concludit Dissensiones veluti stimulum quendam in rebus humanis esse necessarias. *In rebus humanis ita comparatum est*, inqvit de suo tempore Comm. Lib. X. *ut nullus ferè sit populus, cui non æmulum aliquem & adversarium Deus excitarit. Gallis opposuit Anglos, & Anglis Scotos. Hispanis perpetua quadam simultas intercedit cum Lusitanis. Italiæ Principes magna ex parte retinent possessiones, nullo ferè titulo, & acerbe suis imperant. Iis adversantur reliquæ potentiores civitates, Venetiæ, Florentia, Genua, nonnunquam etiam Bononia, Sena, Luca. Arragoniæ reges oppugnantur ab Andegavorum Ducum familia. Mediolani & Insubriæ Vicecomites ab Aureliana domo. Venetis sunt infesti Principes Itali & Florentini. Senenses autem & Genuates oderunt Florentinos. Genuates laborant & sunt divisi civilibus factionibus Fregosiorum, Adornorum, & Auriorum. In Germania magnæ sunt inter Austriacam & Bavaricam domum æmulationes, & quæ sunt ex Bavariæ Ducum stirpe natæ familiæ, inter se ipsæ diffident. Austriacis Principibus magnum est & grave odium cum Helvetiis. Impugnantur à Clivensibus Geldri, & valde sunt iniqvi Juliacensibus. Qvæ sunt ad Oceanum Germanicum & Balthicum mare Civitates, bella sæpe gerunt cum Daniæ Regibus. In Germania plurimæ sunt arces atq; castella munita, quæ res licentius agendi multis occasionem præbet. Nam unus aliquis, famulo tantum comitatus Civitati cuipiam denunciare audet inimicitiam, confisus aliquo Castello, in quod receptum habet, & sociis aliquot equitibus. In hoc genus hominum, Germaniæ Principes non admodum animadvertunt, quoniam ipsorum opera nonnunquam utuntur: Civitates autem, ubi facultas eis datur severissimè puniunt, & facta conjunctione, circumvallant aliquando receptacula illorum, & demoliuntur, simul in eos usus aliquot equitum cohortes alunt. Atq; is est per Europam rerum status. Qvid per Asiam & Africam fiat, non habeo compertum: sed dicuntur inter se non minus quàm nos, imò turpius aliquantô diffidere. Nam in servitutem se pertrahunt ipsi, seq; invicem nostris hominibus venundant, & videmus, quam multi qvotidie ad Lusitanos deportentur. Apparet igitur, has dissensiones veluti stimulum quendam in rebus humanis esse necessarias.* De Causis formalibus singulorum in specie, h. Intellectus ad producendas hasce Actiones motioni-

bus

bus si qvid dicendum est, dicemus cum Cartesio *Spem nasci* ex dispositione Animæ ad sibi persvadendum id eventurum quod cupit, & si immobilis sit Dispositio nasci *Fiduciam*, In *Desperatione* exhiberi rem cupitam ab Intellectu ut impossibilem, *In Metu* esse Animæ Dispositionem, id qvod cupit, non eventurum: Zelotypiam nasci ex magno æstimio, in quo res est, vel eam esse concipimus, quod efficit ut examinentur vel minimæ suspicionis causæ & sumantur pro rationibus maximi momenti. *Ira nascitur* ab Intellectus agitatione circa rem noxiam depellendam, *Contemptus* ex Ejusdem actionibus quarundam rerum resistentis immobilitate seu Contumacia, idque vel qvod ab aliis Objectis fortioribus occupatus sit, vel qvod qvalia sint, quæ contemnit, non expertus fuerit. Plura vid. ap. *Cartes. de Pass. An. Part. III.*

V.

Alterum par Affectuum Generalium constituunt *Gaudium & Dolor*. Gaudium est *Voluptas à Bono præsenti orta*; Hoc si *fit à cognitione rei nobis nova est* Admiratio; *Si fit ad imaginem propria Virtutis* est Gloriatio; Quæ si inanis sit, consistit in fictione virtutis, qvæ nobis non inest. Eodem pertinet sui æstimatio, quæ est bona Hominis ex factis præteritis de se ipsa hausta opinio, de qua infra pluribus *c. XV. de Amore Suiipsius*. Elatio Spirituum ob gaudium subitaneum est *Risus*, Ridentisq; passio *subita sui ex indecoro alieno sibi facta commendatio*. Eadem res iidemq; joci sæpe recurrentes non semper ridentur, qvia subiti nihil amplius intercedit; Et amicorum vel Consangvineorum indecora non ridemus, qvia non sunt aliena.

VI.

Dolor est *Molestia à malo præsenti orta*: Quæ si nascatur ab Opinione propriæ impotentiæ est Demissio Animi; *Si oriatur ab eo, qvod indecorum aliqvod à nobis admissum putemus*, Pudor dicitur, idemq; in facie manifestatus *Erubescentia*. Impudentia est, *si nullius indecori à nobis admissi sensu moveamur*, seu brevius contemptus Bonæ æstimationis; Demissio animi si subita sit, Passio est, qvæ *Fletum* producit, eoq; Fletus demissio Animi magna spe aliqva, vel potentiæ nostræ aliqvo Statumine excidentis. Sic Pueri & Fœminæ crebro flent, qvia spem in se minimam habeat, eoq; auxiliis externis maxime indigent.

VII. Dolor

VI.

Dolor *ob calamitatem alienam* dicitur *Misericordia*, & *Condolere* seu *compati* dicimur, h. *malum alienum nobis accidere posse imaginari.* Hinc qui similibus malis assveti sunt, magis sunt misericordes, contra minus Misericordes, qui calamitati simili se non esse obnoxios judicant. Iterum calamitas ejus quam sibi scelere contraxit, minus ad misericordiam movet, meritum ejus enim est, quod calamitas dici non potest. Damnatorum in Inferno cruciatus nemo misericordia prosequitur, ob caussam eandem. Opposita Misericordiæ *Crudelitas*, *h. contemptus alienæ Calamitatis*, proceditq; à propriæ securitatis opinione. Dolor ob successum alterius æqualis, *si conjunctus sit cum conatu Diligentiam propriam augendi*, *Æmulatio* dicitur: Si conjungatur cum conatu alterum fallendi vel impediendi est *Invidia.* Hæc inter omnes Affectus est maxime importuna & assidua: Cum enim alii per vices tantum occasionem nanciscantur, hæc semper materiem se exercendi reperit. Pro fundamento habet desiderium æqualitatis, unde illud: *Qui invidet, eget, cui invidetur, is rem habet.* Invidus enim ideo alterum depressum vult, ut minor intercedat disparitas; Et si spes aut materia comparationis desit, Invidia locum non habet; quemadmodum Inferiores Principibus non invident, ob defectum comparationis, & quia Dignitas eorum ex Debito nasci, & Debiti qvasi Solutio esse præsumitur. Locum habet 1. in hominibus pravis & indoctis, quia enim illi non sperant, se ad Virtutem pervenire posse, Fortunam alterius depressam cupiunt, ut in æqualem secum sortem compingant. 2. In deformibus, & in universum iis, qui defectu aliqvo laborant, qvia enim conditionem suam emendare non possunt, alterum etiam labefactare & sibi similem reddere conantur. 3. In Senibus, qui Juniores aut novos homines raro ferunt, putant enim res suas retrocedere, aliis se promoventibus. Qv. *An Invidiæ cedendum sit?* Resp. Aliqvid ipsi dandum esse, ut acies ejus retundatur, sed ut plane cedamus ei, fieri non posse; Ita enim Fortunam insimularemus, quasi ipsimet nobis conscii essemus Indignitatis nostræ. *Contentius Invidiam à se removent, qui segnius evitarunt.* Conf. supr. *c.IV.*§.*XX.* Vid. plur. *Verulam.Serm.n.IX.*

VII.

Hactenus de Affectibus, quatenus modi Voluntatis sunt, eoq; ipsam Voluntatem spectant. Eorum longe plures differentias speciales reddi posse perspectu facile est, quoties enim circumstantiæ rerum cognitionem,

toties Intellectus Voluntatis exercitia variat, eoq; alios Affectus producit. Idem nomen, sed non eandem naturam retinent, qvi itidem & communius Affectus dicuntur, sed non modi Voluntatis sunt, verum *Voluntatis qvædam Præcipitantia*. Sic enim vulgo dictos & à ratione discrepantes Affectus vocandos ducimus, *Voluntatis* nim. *Præcipitantiam*, quando non id volumus quod naturæ rerum congruit, sed quod Bono Privato nostro conveniens esse judicamus. Unde & non minus ac Præcipitantia Intellectus Malum Morale involvunt: Præcipitantia enim est violenta & subitanea rerum agendarum Determinatio, Affectus subitanea rerum ita Determinatarum executio; Utrinq; ergo vitium est, utrinq; etiam casus iidem. Hincq; porro omne id pendet, quod in specie de singulis Affectibus, eorumq; obligationibus, excusationibus, extenuationibus dici solet. Qvoties scilicet præcipiti Intellectui remora poni potuit, toties obligationi nihil decedit, nec excusationi aut extenuationi locus est; Sin minus remoræ ponere potuimus, eodem gradu Obligatio quoq; minuetur & excusationem merebimur. Sicq; generaliter respondebimus Qvæstioni, *An subita Passio obliget?* Obligare, si rationem illa non obruat, si secus, Obligationem cessare, vel certe minui. Qv. *An excuset?* Responsio est eadem, si nimirum Intellectus officium suum adhuc facere potest, negari, si non possit affirmandum esse. Sic contractus per Iracundiam factos non valere dicunt, si certum sit, calorem iræ tantum fuisse, ut contrahentem à judicio suo prorsus alienaverit; Extra hunc casum valere non desinunt, quia licet Intellectus nonnihil vacillaverit, non tamen desiit, sed tantum gradu minori officium suum fecit. Eadem ratio est, *An Donationes Bonorum valeant tumultuario sive turbato judicio facta?* Respondent nempe, Donatorem animum obligandi habuisse tunc non præsumi. Qv. *An Juramentum calore Iræ factum obliget?* Responsio rursus eadem est, cui tamen addendum erit, I. Jurantem ejusmodi, licet aliquo casu Juramenti obligatione liberetur, nunquam tamen præcipitantiæ culpa liberari posse. Vid. *Pol. Paul. Diss. V. §. VII.* II. Ipsum licet ab intrinseca obligatione servandi Juramenti immunis esse queat, non tamen peccaturum, si Juramentum servet, nisi rem vere illicitam juraverit. *Azpilcueta* non valere ob Iracundiam, sed ob aliam rationem recte dicit: Qvod explicamus, servandum esse non vi intrinsecæ obligationis à re, quam juravimus, natæ, sed in honorem Divini Numinis: Quo quidem Responso etiam *Cl. Puf-*

fendor-

fendorsius Juramenta Latronibus facta servanda esse statuit: Sed disparem hic causam esse credimus; Juramentum enim per Iracundiam factum rem alias licitam præsupponere potest, Latro autem totus in re illicita est, eoque Juramentum non magis pro ipso facit, quam si ad occidendum, adulterandum &c. Juramento obligandi simus. Plures ejusmodi casus passim offerentur. Referenda huc vero erit querela Casuistarum Catholicorum, à Confitentibus raro declarari modum Affectuum, eoq; vix dici posse, utrum Ordinati an Inordinati, rursusq; quo gradu Inordinationis fiant, svadentq; proinde specialissima interrogandos esse, nisi Confessarius ex Qvalitate personæ vel modo confitendi tacite conjiciat parvitatem vel magnitudinem malitiæ & vanitatis Passionum.

IIX.

Porrò in comparatione Affectuum etiam considerandum est, Passiones s. Affectus, qui ab Objectis terrentibus & molestis manant plus movere, quam passiones à delectantibus & blandientibus natæ. *Azpilcuet. in c. ult. de Pœn. Dis. VII. n. 7.* Ratio est, 1. quia passiones Terrentium concernunt conservationem, adeoq; ipsum esse nostrum, Blandientium perfectionem nostri, eoq; tantum bene esse: Jam vero sicut esse semper amplioris curæ est, quam bene aut commode esse, ita etiam illud magis movet, quod esse nostrum concernit. 2. Quod terrorem incutit, id nos extra potestatem nostram ponit; Blanditiæ verò nos potestati nostræ relinqvunt & spontaneum consensum arguunt. Sic quod promisimus dum vehementi rei desiderio tenemur, præstandum nobis est, consensum enim retinuimus; At contra quicquid metu probabili extorqvetur nobis, id Obligationi nos non subjicit, causa rursus manente, quia potestati nostræ relicti non eramus, & conseqventer non consensisse præsumimur. E qua hypothesi etiam elicimus, *Cur raro vera Deoq; grata sit in fine Vitæ Pœnitentia?* Quia ab Objectarum rerum terrore nascitur, quæ si abessent, Pœnitentia nulla duceremur; Sine consensu ergo est Pœnitentia, cum liberam esse oporteret, æque ac in omnibus virtutum actibus, quæ Libertas in extremis istis aut non habetur, aut impeditur. *Azpilc. l. c. §. VI.* Solent tamen & Passiones Delectabilium allegari, quæ Rationem absorbeant, qvemadmodum Glossa Procemii Regulæ Cancellariæ Gratias à Romano Pontifice Electionis suæ die intra Conclave factas non valere dicit, quia nimio gaudio judicium ejus absorptum videri possit. *Azpilc. l. c. §. IX.*

IX.

Præterea quam maxime discernendum est, qvid in Vita Sociali, qvidve in Foro Conscientiæ usu veniat? Unde licet nihil eorum, de qvibus diximus, actionem contra nos institui non patiatur, in Foro Conscientiæ tamen ideo nos non absolvunt, vel malum esse desinit, si quid Affectuum excessu admiserimus. 1. Nunqvam enim tam alienos à Ratione nos reddunt Affectus, quin Homines nos esse adhuc meminisse sinant. 2. Licet Affectuum respectu excusari possemus, causa tamen, per quam in eos prolabimur, in nobis manet. Repet. quæ *preced. cap. §. XI.* de distinctione coacti in se & coacti in causa sua diximus. 3 Si etiam intimos recessus nostros omnes exploremus, dubium tamen semper manebit, annon recursuris iisdem Circumstantiis idem facturi essemus. Itaq; minime omnium in Foro Conscientiæ præsidio nobis erit exceptio: *Nos Affectibus abreptos esse*, Wir wären übereilet worden. Namq; & Jacobus Apostolus jam olim hanc Instantiam amovit. *Epist. c. IV. v. 3. Unde Bella*, inqvit, *& Pugnæ inter vos?* Ac respondet: *Nonne ex concupiscentiis, quæ militant in membris vestris?* Intra nos ergo est, quod nos abripit, & nisi cupiditatibus odii, Iræ, Invidiæ obnoxii essemus, Affectibus nos haut abreptum iri certum est. Sic Aqua limpida vitro pellucido immissa, qvantumcunq; moveatur, limpida esse non desinit; At limpida qvæ est, sedimentum vero in fundo habet, si vel paululum moveatur, è vestigio tota turbida redditur. Nihil ergo proficimus allegatione Affectuum, sed alio tantum modo, quam alias consueveramus, nos peccasse profitemur. Conf. *Dan. Duck.* vom Selbst-Betrug *c. XIII.*

X.

De Subjectis Affectuum, quæ dicenda sunt, huc transferenda duximus, in quibus *de Servatore* qværi solet *an Affectibus fuerit obnoxius*? Qvod qvi affirmant non male sentiunt, sed Affectibus eo sensu acceptis, qvo naturam, non depravationem eorum expressimus, talesque in vita ejus etiam apparuere: Ideo *desideravit* Calicem, si fieri posset à se auferri, *Flevit* miseriam Hierosolymorum, *Objurgavit* Incredulitatem discipulorum, *Infremuit spiritu & turbavit seipsum Joh. XI. 33.* Solius Risus nulla in vita ejus fit mentio, nascitur enim ex Gaudio subitaneo, quale in perfectissimam Animam ejus non poterat cadere. De Amore & Odio Divino tanqvam modis volendi in Deo simile dici poterit. Inter veteres Stoici leguntur Sapientem suum seu Virtuosum ab Affectibus va-

cuum

anum requisivisse, sed Affectibus posteriori sensu nostro acceptis, ideo ἀπαθῆ, Apathem quando dicunt *Imperturbabilem* reddunt. *Non educo Sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente submoveo. Memini ex duabus partibus illum esse compositum, altera est Irrationalis, hac mordetur, uritur, dolet. Altera Rationalis, hac inconcussas opiniones habet, intrepida est & indomita.* Senec. Ep. XXXI. Et Augustin. *de Civ. Dei L. IX. c. IV. Aut nihil, aut pene nihil distat inter Stoicorum aliorumque Philosophorum opinionem de Passionibus & perturbationibus animorum. Utrique enim mentem rationemque Sapientis ab eorum dominatione defendunt. Et ideo forasse dicunt Stoici, eos in Sapientem non cadere, quia nequaquam ejus Sapientiam, qui utique Sapiens est, ullo errore obnubilant, aut labe subvertunt.* Accidunt autem animo Salva Serenitate Sapientiæ, *propter ea, quæ commoda vel incommoda appellant.* Propius nostro tempori exemplum eluxit in Philippo II. Hispaniarum Rege, quem speciem Stoicæ talis indolentiæ præ se tulisse Scriptores vitæ ejus commemorant, veluti rebus humanis altius impositum, ab iisque quæ mortales capiunt vel vexant, fortuna vel infortuniis inaccessum. Ideo nunquam rebus in prosperis conspicua lætitiæ signa edidisse visus fuit, sola Antwerpiæ deditione excepta, quam cum percepisset, ad Filiam Isabellam Claram Eugeniam ivit, & subridens, *Antwerpia*, dixit, *nostra est.* Et cum Cladem *Classis invincibilis suæ* audivisset, stante vultu, *Ego vero*, inquit, *ago ex animo gratias Divinæ Majestati, cujus à liberali manu tantum potentiæ circumdatum mihi video, ut aliam rursus in mare Classem educere non dubie possim, &c.* His dictis calamum resumit, nuncius enim literas scribentem repererat, & eadem qua cœperat tranquillitate vultus ad scribendum redit. *Scio*, inquit hac de re Strada, *Responsum hoc Regis visum fuisse nonnullis Stoicæ cujusdam indolentiæ imitamentum. Verum hanc ipsam firmitudinem mentis, vel in speciem ut libet inconcussa, tam facile præ se ferre; tantumque imperare animo suo potuisse, ut in maxima clade, in tanto opum impendio, in summa suorum consternatione, æmulorum lætitia, hostium triumpho; nihil inde in se motum, turbatumque nihil, seu verbis seu fronte protulerit; profecto aut solide armatum fuisse oportuit animum illum, ex quo tela tam valide conjecta, nullo vulnere inflicto, resili[...]ent: aut*

nimis quam potentem, arbitrumque sui, qui quos vellet affectus, æque vultu promeret, ac sub præcordiis premeret, nulli quantumvis repentinæ malorum aggresſioni ſubjectus, nusquam imparatus. Vid. Strad. *de Bell. Belg. Dec. II. L. IX.*

XI.

Addenda his nobilisſima de *Ingeniis & Moribus* doctrina, quam Verulamius *Georgica Animi* appellat, eamque à Scriptoribus Ethicis ac Politicis utplurimum neglectam aut prætermisſam eſſe merito dolet. Ingen'a dixeris *Inclinationes Intellectus*, Mores *Inclinationum harum exercitia*, adeo ut ab his Intellectus æque ac ab Affectibus Voluntas videatur qualificari vel modos ſuos accipere. Varietas Ingeniorum pendet (I) *à Naturæ impresſione:* Sic in Lingvas diſcendas propendent, quorum felix memoria eſt, in Poeſin, Pictoriam, Muſicam, qui Imaginatione prævalent; Et qui Judicium felicius, h. Intellectum ab impedimentis corporis liberiorem habent, Conſiliis & indagine rerum ſublimium excellunt. Quodque veluti contrarietas quædem ſit inter facultates iſtas, ideo raro in una perſona eas concurrere videmus. *Scholaſticos propterea minus terſe loqui* opinatur *Huartes*, quia rebus intenti ſunt, quod Judicii opus eſt, cum verba ſpectent ad memoriam; Et *Hiſpanos itidem communiter male Latine loqui dicit*, quia Ingenia Speculativa habeant, eoq; verbis minus intenti ſint. Qv. *Cur in Poetis ſæpe aliqvis exceſſus aut defectus Rationis deprehendatur?* Reſpondet, Imaginationem apud eos prævalere, trahitq; huc Ariſtotelis dictum *Probl. Sect. 30.* Marcum Civem Syracuſanum Poetam fuiſſe præſtantiorem dum mente alienaretur. *Cur Amantes in Verſificatoriam inclinant?* Quia imaginationibus abundant. *Pictores etiam ſubinde Eclipſin Rationis ſentiunt*; Crebra Imaginatio enim Rationi obducitur. Eodem *Sexus diſcrimen* referendum erit; Et *Fœminarum Ingenia* Virilibus molliora haberi ſolent, ob teneritudinem Sexus [illegible] *à Ætate* etiam diſcrimen pendet; Sic Juvenes calor & mobilita[illegible] ..tuum, Senes eorundem fixio eoq; major conſtantia commenda[illegible] ..los iterum melior Phantaſia, hos melius judicium; Ideo & hi co[illegible], ſed illi executione valent, meliusq; novis negotiis adhibentur, quam [illegible] npletis, qvia Imaginationes in mentes illorum melius illabuntur. [illegible]) *A Conſuetudine*, quæ cum altera Natura ſit, etiam altera vel[illegible] geniorum mater eſt. Ideo opiniones, quas à prima pueritia hauſi-

hausimus, plerumq; in senectute retinemus, naturam enim fatigant & ferre se primo, mox etiam amare cogunt. Vulgus Ingenio pertinaci est, rebus enim ad rem familiarem suam pertinentibus assvetum est, in naturam veri & falsi penetrare neqvit, ex suis ergo judicium formar, sicq; ex parvis magna æstimat. Qvi Sangvini tractando assveverunt crudeles habentur, Ingenia eorum enim consvetudine velut efferari creduntur: Ideo Laniones in Anglia à Juratis Judicialibus excludi solent, ne crudelius in captivi causa consulant. Carolus IX. Rex Galliæ ferarum cruori manus intingere assvetus indeq; ferocior redditus perhibetur *à Thuano Lib. LVII.* cui alteram causam idem adjungit, in crudelitatem propensum fuisse incalescente nimirum per violenta exercitia sangvine: *Nam cum à Venationibus cessabat, aut Ascobolo aut Saltationibus immodicis, aut deniq; fabricandis armis & ferro malleo ac forcipe versando desudabat*, cit. Lib. LVII. *Eo minus in venerem mollis*, pergit iterum Thuanus, conversationi huic enim feritas haut congruit, *nam raro sævit, qui amat*, qva excusatione Henrici IV. Amores tegit *Gramond. Hist. Lib I.* (III) *A Temporibus*, quorum singulorum suus genius est, qui hominum animos in certa studia solet inflectere: Quædam ætates præcipue armis exercitæ, mox omnia in qvietem composita, iterum homines in feritatem ac tandem stuporem dantur, rursus mansvescunt & ad pristinum florem redeunt. Sic Græciæ rebus olim nihil ad humanitatem defuit, sed concedente in terras alias fortuna, tota, qvanta est, Barbara evasit. Roma primũ armata apparuit, sub Cæsaribus deinde inertia consenuit, tandem exteræ Gentes ei Barbariem obduxere, ex qua stupor natus, qvi universæ Europæ æque incubuit: Causam tamen non in solo tempore, sed in ipsa natura humana recumbere recte docet *Seneca de Consol. ad Helviam matrem c. VI. Mobilis & inqvieta mens homini data est, nunquam se tenet, spargitur & cogitationes suas in omnia nota atq; ignota dimittit, vaga, & qvietis impatiens & novitate rerum lætissima. Quod non miraberis si primam ejus originem aspexeris. Non est ex terreno & gravi concreta corpore, ex illo cœlesti Spiritu descendit, cœlestium autem natura semper in motu est, fugit & velocissimo cursu agit. Aspice sidera mundum illustrantia, nullum eorum perstat, labitur assidue & locum ex loco mutat, quamvis cum universo vertatur, in contrarium nihilominus ipsi mundo refertur, per omnes signorum partes discurrit, perpetua ejus agitatio*

gitatio & aliunde aliò commigratio est. Omnia volvuntur, semper in transitu sunt, & ut Lex & naturæ necessitas ordinavit, aliunde alio deferuntur. Cum per certa annorum spacia orbes suos explicuérint, iterum ibunt per qva venerant. I nunc & animum humanum ex iisdem quibus Divina constant compositum seminibus moleste ferre pum transitum ac migrationem &c. (IV.) *Patria* quoq; & Spiritus singulis Regionibus veluti proprius hominum animos rapere solet, certisq; Affectibus subjicere: Nam ut iidem cibi pro condientium arte saporem qvidem mutant, interna autem vis alendi aut nocendi nullis blandimentis intercidit: Ita in omni gente per æstus succedentium seculorum mores animosq; mutantium hæret quædam vis inconcussa, qvam hominibus in conditione terrarum in quibus nasci contigerit, sua fata diviserunt. Videnda Vitia & Virtutes Nationales passim apud Autores. Comparationem qvatuor Nationum Europæ, Germanicæ, Gallicæ, Hispanicæ, Italicæ jamdudum instituit *Hieron. Turlerus de Peregrin. Lib. I. c. IV.* Sed in Germanos paulo iniqvior, cui si quid veri subest, id tamen non nisi in superiora secula per injuriam temporum quadrare videbitur. In genere vero de vitiis Nationum dicendum erit, quod apud Lansium Epicriseos loco habetur in *Consult. Orat. ult. pro Germania*: Quemadmodum omnia animalia plumas aut pilos habentia infestantur pediculis; præter asinos & boves, qui sunt immunes: ita nulla natio vitiis omninò caret, nisi sit planè asinina & bovina, in quam nec boni nec mali vis aliquid possit. Et ut nullum magnum sine venia placuit ingenium: sic nullus unquam populus, Respublica, aut Imperium, sine mixtura fuit dementiæ. Perpetua in rerum natura & hominum moribus est quædam quasi mellis & fellis conjugatio. *Ubi uber, ibi tuber. Casparum Schlickium* in simulatores & hypocritas contumeliosè multa loquentem, & affirmantem, abiturum se se aliquando in loca, quæ illis hominum monstris vacua essent, sapienter coarguit Imperator *Fridericus IV. Ultra Sauromatas ergo*, inquit, *& glacialem Oceanum tibi eundum est. Sed cum eò veneris, non omninò carebit hypocrisi locus: si modò & tu homo, non DEUS es. Inter mortales enim nemo est, qui non ex aliqua parte fictus fucatusque sit*, & *VITIA ERUNT*, dixit Cerialis, *DONEC HOMINES*. Quare, ne dum vitia odimus, etiam homines oderimus; fragilitatis humanæ & nostri memores, aliorum errores ne petulanter exagitemus.

temus: dum inter homines ſumus, mutuæ facilitatis conventione humanitatem colamus: non timori cuiquam, non periculo ſimus: detrimenta, injurias, convitia, vellicationes contemnamus, & magno animo brevia feramus incommoda. Vix reſpicimus, quod ajunt, verſamusque nos, jam adeſt mortalitas. (V.) Formæ Bonitas ſeu Pulchritudo ſæpe Juventutem inducit diſſolutam, Senectutem vero ſero pœnitentem: Ratio eſt, qvia formoſi utplurimum non tam excelſos Spiritus gerunt, qvam converſationibus ſtudent, quarum non æqualis ſemper ſuccesſus; Et Fœminas formoſas aliqvando exorbitare videmus, qvia initio ipſas puduerat oblatæ converſationi ſe ſubducere, cum interea talia ſeqvantur, qvorum eas necesſario pudere oportet. Fuere tamen, quorum magnis animis etiam pulchritudo accesſit, ut Auguſtus Cæſar, Titus Veſpaſianus, Philippus Pulcher R. G. Eduardus I. Rex Angliæ, Alcibiades Athen. Iſmael Perſa &c. *Verulam. Serm. Fidel. n. XLI.* Deformes ferme naturam ulciſcuntur, & ſicut natura illis minus fuit propitia, ita hi naturæ vicisſim adverſantur. Hinc audaces ſunt, contemptum enim quem natura illis impresſit ita vindicare ſtudent; Etiam induſtrii ſunt, ob cauſam eandem, quia graviter contendunt ſe ab ignominia liberare, quod aliquando fit per virtutem; Sic n. Ageſilaus, Æſopus, &ſ. licet deformes esſent in viros egregios evaſere; Aſt ſæpius per malitiam, dum aliorum defectus & infirmitates ſedulo rimantur, ut habeant, quod rependant. Vid. plur. *Verulam. l. c. n. XLII.* (VI.) Deniq; & Bona Fortunæ, ut Divitiæ, Nobilitas Generis, Potentia Civilis, & in univerſum Honores Ingenia faciunt ſuperbiora, 1. qvia enim plus posſunt, plus etiam ſibi licere volunt. 2. Qvia volunt inæqvalitatis ſuæ, qua alios antecellunt, ſignum aliquod extare. Cur iidem ad injurias inferendas magis propenſi ſint, ratio ſimilis eſt, quia ſe plus posſe autumant. Nobilitas antiqva ingenium facit come, in tribuendo honore enim tuto largi & benigni esſe posſunt, cum debiti ſibi honoris ſatis ſint certi: Eadem ratio cum iis, qui in aliis honoribus diu verſati ſunt, quod ſupra indicatum. Nobilitas nova, aliiq; etiam honores novi Ingenium ſuſpicax faciunt, qvia nondum ſatis certi ſumus, qvantus honor nobis tribui debeat. Hinc tales verſus inferiores ſæpe nimis auſteri, verſus æqvales nimis verecundi ſunt. Vid. plur. *Hobbeſ. de Hom. c. XIII.* cujus verbis & aliis locis hujus capitis pasſim uſi ſumus.

XII.

Mores ſunt veluti Exercitia Ingeniorum, unde ab iis etiam men-

ſuram accipiunt. Alio ſenſu à vulgo Mores vocantur, comendi, veſtiendi, ſalutandi ritus, aliaque quæ pueri docentur, ſed hos Mores nobis in præſens curatio non erit. Varietas Morum totuplex eſt, quotuplex Ingeniorum, atque ex iis ſpeciminum loco allegari ſatis ducimus, *Ingenia ambitioſa* Mores contentioſos & ſi publica vi armari poſſunt in bella propendentes habere; Competitorem enim vincere, interficere, & quocunque modo repellere, Competitori alteri ad obtinendum quod cupit via eſt. *Ingenia Jactabunda* meticuloſa ſunt; Fictio n. qua nituntur, illos tantum ad oſtentationem non ad aggresſionem urget, qvia cum ad vera pericula ventum eſt, nihil expectant, quam ut vanitas eorum detegatur. Sic principes adulatione deceptos ad inchoandam rem quidem acui, ſed in mediis periculis deficere videmus, quia ſentiunt rebus ſuis non niſi mendacio conſuli potuiſſe, eique nullum nunc amplius locum eſſe. *Ingenia Voluptuaria* & quæ natura meticuloſa ſunt in otium inclinant ob metum difficultatum occurſurarum. *Literiones* etiam meticuloſi ſunt, quia dum quisquiliis ſuis incumbunt, reipſa otio ſe mancipant, quod ſine protectione potentiæ alienæ haberi non poteſt. *Ingenia Punctualia* gerendarum rerum tempora plerumque perdunt; Dum enim modos modorumque circumſtantias omnes æque prenſant & penſitant, res ipſa dilabitur. *Ingenia Tenacia* rebus magnis gerendis apta non ſunt, ob cauſam eandem, modum rerum gerendarum enim nimium penſitant, unde conatus debilitatio: *Ingenia Simplicia* ſequacia ſunt, quia enim nihil habent, quod è propriis opponant, aliis ſe accommodant. De vulgari axiomate: *Mores animi ſeqvuntur temperamentum corporis*: Opinamur, illud niſi congruis intelligatur Terminis, ita ſe non habere, ſed contrarium potius verum esſe adeo ut Temperamentum corporis ſequatur Mores animi, non hi Temperamentum corporis, qvippe qvod non niſi inſtrumentum eſt iis exeqvendis, quæ ab animo propoſita ſunt. Exempla hujus rei ſuggerit *Voëtius T. I. Diſp. de Creat. Append. 2. p. 849.* Animam ſanctificatam uti ſangvinea complexione ad promptitudinem, alacritatem & gaudium in bonis operibus & officiis pietatis, Melancholica ad profundam rerum cœleſtium contemplationem & ſeriam praxin pœnitentiæ, Cholerica in Zelo, fervore & Sancta contentione pro cauſa Dei, omniumq; expeditionum ſpiritualium executione celerrima: Contra animam perverſam uti temperamentis tanquam armis injuſtitiæ

justitiæ & complexione sangvinea ad facilem prolapsum in securitatem mundanasque oblectationes, Melancholica ad solitarias Machinationes, hæreses, superstitiones, Cholerica ad rixas &c.

CAPUT VIII.
DE
FATIS ET FORTUNA.

I. Cur Deus Nobis adversa evenire patiatur? Causa Calamitatum Publicarum: Cur Malis bene & Bonis male sit in hac vita? Distinctio Providentiæ Dei in Manifestam & Arcanam.

II. Fatorum & Fortunæ natura & differentia.

III. Specimina Nominum Fataliũ.

IV. Specimina Temporum Fatalium: Annorum Climactericorũ consideratio.

V. Specimina Locorum aliarumq; Circumstantiarum Fatalium: Generalis epicrisis rerum hujusmodi.

VI. De Prodigiis: An Prodigia semper præmittantur magnis calamitatibus? An ex præsenti Prodigio calamitatem secuturam colligere liceat? Quid de Divinatione ex hujusmodi Prodigiis sentiendum? Quid in casibus dubiis Prodigiorum faciendum?

VII. An Præsagia mortis observari fas sit? Eorum exempla; Quid de Apparitione Spectrorum in hujusmodi casibus? Quid de Spectro Berolinensi?

VIII. Fortunæ plenior Descriptio; Nominis abusus: Sapientis esse in negotiis suis Fortunam potius causari, quam virtutem propriam.

IX. Sortis explicatio.

X. Sortium Divisoriarum usus. Quid de exactione Pœnarum per Sortem, ut Decimatione &c. sentiendum? Utrum Rei Sortem ducere, an passive tantum se habere debeant? An in communi periculo constituti, ut in Naufragio, Sortem ducere liceat?

XI. Sortium Consultoriarum consideratio: Sortes Homericæ.

XII. An ludere liceat?

XIII. Ludorum Aleæ & Chartarum speciale examen, item Ludi Latrunculorum. An LL. Civiles de

Ludo Aleatorio abrogata sint? Quid faciendum ei, qvi Potentiorum Familiaritate irretitus non audet se expedire lusibus ob crebram ad eos solicitationem?

XIV. *Quid de Contractibus Sortium, quas Loterias vocant?*

XV. *Sponsionum natura & Legalitas. An qui certo scit rei eventum, possit adhuc Sponsionem facere? An qui in Ludis Chartarum Supremum Punctum habent possint Sponsionem facere, & totam Summam Lucro expositam capture? An si contestemur nos certo scire eventum, & alter nihilominus contendat ac Sponsionem offerat, eam acceptare possimus?*

I.

VIdimus Interna Actionum Moralium in Homine Principia. Inter Externa earundem præcipue collocanda qva omnia maxima, minima diriguntur, *Providentia Dei*, ejusq; efficax cum Actionibus nostris omnibus & singulis concursus. Ejus existentia in Theologia Naturali demonstranda. Nunqvam ad Mala se extendit, contraria enim non miscentur: Ad Adversa tamen; Hæc enim sunt veluti exercitationes Animorum nostrorum: Qvemadmodum ipsæ Calamitates Publicæ sæpe hanc causam habent: Ut homines nempe Providentiam Divinam manifestius sentiant, qvod subtiliter urget *Joh. d'Espagne de Err. Vulg. Cogita Filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia; Illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de DEO liqveat: Bonum Virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat.* Senec. de Provid. c. I. E qvo etiam pendet *cur Bonis male, malis autem bene esse videatur?* Quod Argumentum ejusdem Aurei *Senecæ Libri est.* Ait primo Deum amare Bonos, nec immittere igitur iis mala, instar parentis enim castigare & coercere: Deinde non videri ea mala Bonis, nec vinci iis, sed exerceri & per aspera indurari, Deumque velut Agonothetam esse & robustis his Athletis suis delectari. Porrò distincte quinq; rationes, cur mala Bonis eveniant exeqvitur. E qvibus selectiores sunt. I. Pro ipsis esse quibus accidunt, esse medicinam pro ægris; Confirmari etiam sic à Deo, qui se dignos producit in pugnam, alios viliores in ocio & umbra habet. II. Pro omnibus esse, ut viri boni sic habiti clament aliis & ostendant, non esse Bona aut Mala, qvæ vulgus putet, ad vera igitur illa spectent & illa petant, hæc fugiant. III. Volentes excipere, Deo

enim

enim se præbere &c. Dn. repetit mala hæc non esse & Deum inducit pulcherrime adhortantem & ad robur excitantem: *Quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi, & animos inanes, velut longo fallacique somnio lusi. Auro illos, argento & ebore ornavi: intus boni nihil est. Isti, quos pro felicibus aspicitis, si non quà occurrunt, sed quà latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida & sincera felicitas: crusta est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi, nitent & imponunt: cùm aliquid incidit, quod disturbet ac detegat, tunc apparet quantum alta ac fera fœditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura: quanto magis versaveritis, & undiq; inspexeritis, meliora majoraque. Permisi vobis metuenda contemnere, cupienda fastidire: non fulgetis extrinsecus: bona vestra introrsus obversa sunt. Sic mundus exteriora contempsit, spectaculo sui latus. Intus omne posui bonum. non egere felicitate, felicitas vestra est* Quæ summa est, qua Lipsius hunc Librum exhibet initio Notarum in eundem. Ad propositum nostrum v. inprimis facit Providentiam Divinam vel cum Actionibus earumque causis & consequentiis manifesto cooperari, vel efficacissime nos dirigere quidem, per modum tamen & causas nobis incognitas, qvam ideo & *Providentiam Dei Arcanam*, veluti istam *Providentiam Manifestam* nuncupamus. Manifestam ad Theologiam Naturalem remittimus; Arcanam autem Fatorum ac Fortunæ nomine ἔργον nostrum hic faciemus; Doctrina Moralis enim manca foret, nisi omnia Principia Latentia æqve ac Patentia, è qvibus Actiones nostræ manent, eâ exhibeantur. Peperit utiq; ipsa illa apud Gentes famosa *Fatorum ac Fortunæ* nomina, quorum interpretationem tamen unusquisque pro Ingenii sui modulo cœptis suis accommodavit, quamvis eo ipso inter omnes consensum est, esse aliqvid quod præter Intellectum & Voluntatem nostram actionibus nostris intercedat, easq; etiam nobis insciis & non volentibus aliqvando gubernet: Neq; repugnare Providentiæ Divinæ hujusmodi Terminos jam olim à Seneca animadversum: *Vis illum* Fatum *vocare? Non errabis: Hic est, ex qvo suspensa sunt omnia, causa causarum.*

II.

Ambo igitur *Fata & Fortuna* sunt Arcana Dei Providentia, modo agendi

 gendi

gendi tamen varia, ac proinde veluti gemina apparens. *Fata sunt Arcana Dei Providentia per media incognita in finem certum nos ducens*; Fortuna *eadem Arcana Dei Providentia per media cognita in finem incertum nos dirigens*. Utrinq; aliqvid est, quod Intellectum nostrum fugit, ac proinde in Arcana Dei Providentia causa ejus quærenda. Sic cernimus sæpe diei certæ eventus singulares alligari, vinculum tamen seu quibus mediis id fiat nobis incognitum est. Rursus Sortium aliarumq; rerum quas à Fortuna dependere agnoscimus, media probe novimus, & tamen quo fine potituri simus, plane ignoramus. Et *Fata* quidem, quia ratione mediorum Arcana sunt, ideo non nisi externis circumstantiis innotescunt, quales Nominum, Dierum, Temporum, Locorum, similiumve rerum, qvæ tanqvam maxime sensualia in hoc negotio, hoc nomen inprimis acceperunt, quanquam sine dubio alias etiam & Actiones & Actionũ circumstantias invenire sit, sed quæ defectu necessariarum Observationum adhuc laborant, perstante interim ubivis etiam hoc generali defectu, quod connexionis ratio æq; in occulto maneat, ideo & ipsa Fatalia ista non tam evidentibus argumentis, qvam freqventi historiarum omnis ævi expositione nituntur, quibus melior & plenior lux futuris seculis forte accessura est.

III.

Nominum Fatalium in Imperiorum initiis, desitione aut notabili mutatione observata cernere est in Imperio Constantinopolitano, cujus primus & ultimus Imperator Constantini nomen habuit, Matribus quoq; eodem Helenæ nomine appellatis. Similiter Imperium Romanum Occidentale, quod cum Augusto emersit, cum Augusto desiit. Item Regnum Portugalliæ, quod ab Henrico fundatum est, sub Henrico superiori Seculo intercidit. Similia de Balduinis Latinorum in Imperio Orientali Imperatoribus, Yngis Peruviæ Regibus, Chilpericis è Merovinorum familia Galliæ Regibus notat *Horn. Diss. XXX.* Ferdinandi nomen Hispanis auspicatissimum accidit; Sic Ferdinandus I. Consalvus primo Castiliam sub titulo Comitatus à Sanctio Legionis Rege accepit: Ferdinandus II. Castiliam in Regnum evexit, eoque primus Rex Castiliæ exstitit: Ferdinandus III. Castiliæ Legionem adjunxit: Ferdinandus IV. ex Andalusia & Corduba Mauros ejecit, illaque regna sibi subdidit: Ferdinandus V. Granatam, Navarram & Neapolim adjecit Imperio Hispanico, deinde Castiliam & Arragoniam

niam junxit, nomen Catholici meruit, &c. Sic & ſub Ducibus Ferdinandis Hiſpani res ſuas feliciter geſſere: Veluti ductu Ferdinandi Conſalvi Cordubenſis, Granata & Neapolis ſubducta fuere: Ductu Ferdinandi Corteſii Regnum Mexicanum; Et per Ferdinandum Bizarum Regnum Peruanum Hiſpaniæ acceſſit: Ferdinandus Toletanus, etiam Albæ Dux, licet Belgium ab eo occaſionem ſumſerit ſurgendi adverſus Hiſpanicum Imperium, Portugalliam tamen eoque totum Imperium in Aſiam & Africam litoralem Regi ſuo acquiſivit. Contra *Juliani* nomen Hiſpaniæ Regibus infauſtum judicatur maxime ob memoriam Juliani Septæ Comitis, quem in finem & Olivariæ Comes Caſpar de Guſman Anno M DC XLII. Filio ſuo naturali nomen Juliani abrogavit, & Henricum Philippum vocavit, ac ſimul legitimatum reddidit. *Victorio Siri T. II. Mercur. L. I. fol. 73.* Auſtriæ *Leopoldis regnantibus* ſemper bene recteque fuiſſe peculiari oratione coram Leopoldo Imperatore A. M DC LVIII. habita demonſtravit *Johannes Baptiſta Suttinger* inferioris Auſtriæ Cancellarius. Leopoldum I. qui & Illuſtris dictus fuit terras Auſtriacas ex manibus Paganorum primum extorſiſſe & Ovone Rege infideli amoto Regem Chriſtianum Petrum nomine in Hungaria ſubſtituiſſe; Leopoldum II. Fortem dictum Pannoniæ Regem Auſtriæ limitem ad ſe denuo rapere molientem ingenti clade affeciſſe. Leopoldum III. ſ. Pulchrum unum & viginti annos, cum Hungaris, Bohemis & Moravis bellâ maxima exercuiſſe, hoſtibus ſemper victis Auſtriam tutatum fuiſſe. Leopoldum IV. nomen Sancti meruiſſe, & Pannoniæ Regem Stephanum debellaſſe. Leopoldum V. ſ. Mitem Bavariam omnem cum Reginoburgo ſ. Ratisbona ſuæ ditionis feciſſe & eo tempore ad Auſtriam adjeciſſe. Leopoldum VI. Familiæ Auſtriacæ ſangvinis ſui contra infideles profuſione novum Inſigne promeruiſſe, ut Alba Linea rubenti ſolo induceretur, eundem Richardum Angliæ Regem captum detinuiſſe, & redemptionis pretio Viennam Neoſtadiumque mœnibus cinxiſſe, ac vallis firmaſſe. Leopoldum VII. cognomine Honeſtum in Ægyptum penetraſſe, Damiatam urbem cepiſſe, ac remunerationis loco ab Imperatore Henrico Iridem Cæſaream ArchiDucali pileo inductam accepiſſe. Leopoldum IIX. Alberti I. Imperatoris Filium Henrico VII. Imperatori ob auxilia præſtita tam charum fuiſſe, ut Sueviæ Ducatum ab eo Feudi nomine rurſum obtinuerit; Leopoldo IX. ob heroica facinora titulum Equeſtris Ordinis Gloriæ

gloriæ atq; Diadematis datum. Leopoldum X. f. Magnificum constanti Pace Austriam ac Tyrolenses terras rexisse, & castrum in urbe nova à fundamento excitasse. Totam Orationem vid. ap. *Thulden. p. III. Lib. IX. p. 329.* *Jacobi* nomen Regibus Scotiæ semper infaustum fuit, & omnes Reges hujus nominis in Scotia violenta morte periere, Jacobus I. à Conjuratis 28. plagis, earundemq; aliqvot recta in cor directis in curriculo suo trucidatus est, *Buchan. Lib. X. Hist. Scot. pag. 371.* Jacobus II. à Machina Tormentaria quæ in obsidione arcis Rosburgensis adversus mœnia directa fuerat, exanimatus corruit. *Idem Libr. XI. p. 411.* Jacobus III. à subditis arma adversus illum moventibus in ipso prælio interfectus fuit, ejusq; morti illa inusta est ignominia, ut in proximo conventu omnium Ordinum decreto jure cæsus judicaretur, caveretúrq; diligenter omnibus, qui adversus eum arma tulerant, ne ea res ipsis eorumq; posteris fraudi esset. *Idem in fin. Lib. XII. p. 454.* Jacobus IV. in pugna contra Anglos occisus *Id. Lib. XIII. p. 487.* Jacobus V. veneno sublatus fuit, mœroris vi tamen periisse indicat, *Id. Lib. XV. fol. 330.* Qvam comparationem ita instituit *Petrus Matthæus Hist. Henric. IV. Lib. II. Narr. II.* & ex eo *Sesqvi-Seculum Anglicanum* haut procul initio. In Gallia *Henrici* nomen infelix esse nemo non credidit, qui trium Henricorum Tragicos exitus consideravit, cecinitq; apposite in horum pariter ac Jacoborum Scotiæ Fata, quisquis fuit è Poetis Gallicis apud *Lansium Orat. contra Galliam p. 205.*

Il ne faut plus nommer Henrys les Roys de France
La mort par deux cousteaux et un esclat de lance
A tué trois Henrys! L' un joustant à Cheval,
L' autre en son Cabinet, le tiers en sa Carosse,
Cinq Roys du nom de Jacques ont fait croire à l' Escosse,
Qu' il y a dans les nom quelque secret Fatal.

In Anglia omnes *Richardi* violenta morte perierunt, ut Richardus I. Cor Leonis dictus in obsidione arcis cujusdam cecidit. Richardus II. ab Henrico IV. depositus & fame necatus fuit. Richardus III. ab Henrico VII. prælio occisus est. Ibidemq; durante Stuartorum familia maximas mutationes evenisse in recenti memoria est; Sic Scotia sub Jacobo accessit, Sub Carolo I. Regnum mille qvingentorum & amplius annorum in Rempubl. Liberam abiit. Idem sub Carolo II. præter eum opinionem instauratum

tum

tum fuit, sed medio regiminis ejus tempore peste & igne afflictũ, quibus gravius quid Anglia nunquam vidit. Sed hæc in continuatis similibus aliisve eventibus melius judicabit & considerabit posteritas.

IV.

Tempora Fatalia loqvuntur dies, menses, anni Rebuspubl. æque ac personis fatales, docentq; Deum exactissimum esse ad ipsas usq; horarum circumstantias: In Sacris duo Illustria exempla sunt, unum Abrahæ cui prædicit Deus, post qvadringentos annos posteritatem ejus egressuram è Servitute Ægyptiaca, id factum nocturno tempore postqvam stellæ ortæ fuerunt; *Gen. XV. v. 5. 12. & 17.* Eodem tempore finitis quadringentis annis Servitus Ægyptiaca expiravit de nocte, eademque ex Ægypto emigravit: Secundum est mortis Christi, quæ prædicta fuerat Danieli CCCCXC. annis antequam compleretur, & quidem *hora oblationis vespertina, quæ erat tertia pomeridiana.* Annis istis eoque 70 Septimanis, quas Angelus prædixerat finitis, *hora tertia pomeridiana,* Servator obiit: Quæ observat *Jean d' Espagne in exemplis dierum fatalium Tom. 2. oper. fol. 83. & seqq.* Ex historia antiqua idem allegat *diem VI. April.* fuisse fatalem Alexandro M. Hâc enim natus fuit, eademque conflagravit templum Dianæ Ephesinum in præsagium incendii ab Alexandro per totam Asiam excitandi: Eadem vicit Darium; Eadem mortuus fuit: Quodque præterea notabile fuit, eadem Græci antea vicerunt Persas ad Plateas, aliamq; victoriam navalem obtinuerunt *ap. Ælianum L. II. variar. Histor.* Pompejus M. natus fuit, XXX. Sept. eadem triumphavit de victoriis Asiæ & Conquestu Hierosolymitano, eadem interfectus fuit in Ægypto ap. *Plin. L. XXXII. c. 2. & L. XXXVII. c. 2.* Plura vid. ap. *Jean d' Espagne c. l.* Carolo V. *Festum Matthiæ*, h. XXIV. Febr. crebro memorabile accidit, quippe qua Anno MD. Gandavi natus fuit, Anno MDXXV. eadem Franciscum Regem Galliæ captivum duxit. Eadem à Clemente Septimo Bononiæ corronatus Anno MDXXX. Eadem Anno MDXLIIX. Electoratu Saxoniæ Mauritium investivit, dn. & Imperio se abdicavit Anno. MDLVI. Nec prætereundum etiam aliis exemplis hanc diem Austriacis memorabilem extitisse; Et Ferdinandus Caroli frater eadem Rex Bohemiæ renunciatus fuit, Anno MDXXVII. item Rex Romanus Anno MDXXXI. ex Thuani sententiâ: Eadem Matthias nepos Ferdinandi Anno MDLVII. natus fuit: Quæ similiave ad dies fatales Fa-

miliæ Auſtriacæ pertinentia prolixe exhibita vid. à *Leonhard. Wurffbain in Relat. Hiſtor. præfat. p. 8. 9. & ſeqq.* Judæis olim X. Auguſti fatalis fuit, quâ die templum ipſorum bis conflagravit. Anglis III. Sept. infelix vel certe notabilis eſt: Eâ enim Cromwellus bis exercitum Regium profligavit; Eadem ille obiit, & incendium Londinenſe Anno MDCLXVI. d. 2. 3. 4 5. & 6. ejusdem menſis duravit. Eadem Caletum olim obſeſſum ab Anglis Anno MCCCXLVI. & ſequenti anno circa idem tempus occupatum, poſtquam diutisſime inde moleſtias experti fuerant. Vid. *Thom. Walſingham hiſt. Angl. ad Anno 1346.* Thornacenſibus *S. Andreæ* lux fatalis fuit, nam quo die urbem victor intravit Alexander Parmenſis Princeps, uti ad Philippum Regem ſcripſit; Eodem olim Carolus Imperator, eodem ante Carolum Maximilianus Cæſar Philippi Regis Proavus, eodem duobus ante Maximilianum annis Henricus Angliæ Rex Thornacum expugnavit. *Strad. de Bell. Belg. ad Ann. MDLXXXI. pag. 210.*

II. Præterea Annorum Fatalia agnoſcunt, qui obſervationes Ann. MDLXXXVIII. MDCLXVI. & ſimilium reſpiciunt, incertitudinis loco tamen allegamus, non conſtare ſatis ex ſupputationibus Chronologicis, an Anni iſti qui numeros tales ferunt vere ſint ii, & annon in alios annos potius numeri hi transmittendi ſint; Pro temporibus fatalibus Rerumpubl. allegamus quintum ſeculi noſtri decennium ab Ann. MDCXL. ad Ann. MDCL. *Quam malignum aſtrum Regnatum paſſim afflabat*, inquit Priolus Lib. 2. c. 47. *Vides eodem tempore fata Galliæ, Vides Angliæ, Neapolis, Luſitaniæ, quæ rupta fide hactenus Philippis ſervata, inſtinctu, impetu Bragantiæ Du em in Regem elegit ſpretis Caſtellanis.* De Periodis Fatalibus Rerumpubl. videndus *Bodinus Lib. de Rep.* & alii pasſim. Qvibus ſi quid addendum eſt, dicemus, Respublicas recta cervice imperium ſuum vix ſemper ſuſtinere poſſe, inclinareq; non decurrere ad metam vi naturalis inconſtantiæ rerum humanarum: Cui prorſus ſimile eſt, qvod poſteri raro iisdem virtutibus conſervent Imperia, qvibus acqviſita fuère; Si qværas cur non medio tempore elangveſcere videantur? Reſpondemus langvorem illum jam præſto eſſe, ſed ob memoriam rerum antegresſarum nondum ſenſibilem: In Belgio utiq; ob has cauſas fatalis illa Cardinalis Bentivolii prædictio, de periodo C. annorum eventu Anni MDCLXXII. tantum non comprobata fuit.

II. Re-

III. Referendi huc dn. *Anni Climacterici*, quorum observationem antiqvissimam esse indicio est, quod Græci, Ægyptii, Chaldæi de illis jam olim verba fecerint, qvos vide apud *Codronchum de Annis Climactericis c. I.* Seriem eorum magno numero recenset Doctiss. Vir idemque Pro-Rex Regis Daniæ in Holsatia, *Henricus Ranzovius in Tr. de Annis Climacter.* è qvo veluti compendium contexit *Codronchus l. c. c. II.* Nostrumque ex iis hoc unicum facimus, complures è Patriarchis annis Climactericis obiisse: Sic Adam vixit 930. annos, atque adeo mortuus est Ann. ætatis 931. qui fuit annus ejus Climactericus, nam continet in se septies centum triginta & tres annos. Kenan quartus post Adamum vixit annos 910. mortuus anno Climacterico, qvi continet in se septies centum ac triginta annos. Mahalaël qvintus post Adam, mortuus est Ann. 895. cum annum Climactericum 128. ingressus esset; Enoch septimus post Adamum, sublatus est transacto anno Climacterico 52. cum attigisset annum 365. Omnes anni Lamech fuerunt 777. & mortuus est, *Genes. V.* qui anni sunt plane Climacterici, h. e. tempus ipsius vitæ numero Septenario terminatur, ac incidit annus ejus obitus in 771. post mortem Adami: Et Lamech fuit primus mortalium qui ante obitum patris naturali morte defunctus est. Sala vixit annos 433. h. e. septies sexaginta duos. Pelec & Rehu mortui sunt anno ætatis 239. cum supervixissent annum Climactericum 238. qui continet in se septies triginta qvatuor. Abraham mortuus est anno ætatis 175. qui itidem est Climactericus continens septies viginti quinque. Sara mortua est anno 127. cum annum Enneaticum & Climactericum superasset maximum, pl. Vid. ap. *Ranzov. p. 161. & seqq. Codronch. p. 11. & seqq.* Sed rationes annorum hujusmodi ita observandorum nec dum ambiguæ esse desierunt: Illæ quas à recursu Planetarum, à perfectione Numeri septenarii & quam in specie *Ranzovius* urget *pag. 35.* Saturnum præcipuam esse hujus rei causam, qui plerumq; sit peregrinus & à vita hominum alienus, valde debiles sunt, & in casibus aliis jam dudum ab eruditis examinatæ. Maxima dubitandi ratio est, quod totidem numerentur eventus humani, qui extra annos Climactericos positi sunt, in quorum tantâ multitudine, disparitatis ratio nec dum reddita est. Allegatis observationibus respondere potest, elucere quidem in iis variam annorum seriem in variis hominibus repetitam, sed per accidens, & non Annorum Fatalium

 bene-

beneficio, sed quia dies, annos, tempora posteri æque reqvirunt ac majores, neq; majorē rationem hic videri subesse, quam siquem hydrope, peste, phthisi, vel alio affectu Ano. XXX. extinctum videamus, idemq; alii & tertio & qvarto deinde ex simili morbo decumbenti evenisse observamus; ubi nulla vel morbo vel anno imputanda culpa, sed naturæ similitudini in eventus hosce pronæ. Neque dubitamus, quod etiam ex parte à viris eruditis præstitum est, quin si aliorum extra Climactericos annorum series in viris Illustribus numeretur, æque numeri in posterum duci possint, vel jam tum duci potuerint; Rationi huic à nobis allegatæ altera prorsus similis est, Climactericos annos non semper esse morborum causas, quæ jamdudum pressit adversam partem, ideo respondent, mutationem tamen his annis certò intervenire: Semper habent vim mutandi vel alternandi qvamvis hi effectus non sint semper manifesti, inquit *Codronchus c. X. p. 108.* Resp: Vel manifestiorem mutationem allegandam esse, sed quam ipsi negant, vel minus manifestam & tum mutationes Climactericis solis falsò adscribi, cum mutationes non annis tantùm, sed vitæ nostræ diebus omnibus patiamur pro rerum internarum & externarum nobis occurrentium varietate; Opponi etiam solet, numerorum nullam esse efficaciam, sed huic rei *Codronchus* videtur solide satis respondere: *c. X. pag. 103.* Septenarios annos non prout sunt septenarii agere posse, sed quoniam in ipsis natura suas moliatur actiones, & hanc esse annorum horum veram doctrinam.

V.

De *Locis Fatalibus* & quicquid præterea Fatalium nomen accepit, breviter adhuc dicendum: De Mülbergâ ad qvam Joh. Fridericus Saxo à Carolo Cæsare captus fuit, ita *Thuan. Lib. IV. Hujus loci nomen Viris Principibus male ominosum semper fuisse à viris curiosis rerum Germanicarum observatum est; Siqvidem ad Mülbergam in Bavaria Ludovicus IV. Imperator Fridericum Ducem Austriæ & Henricum fratrem An. MCCCXXIII. Robertus item Imperator centesimo circiter anno post Bernhardum Badensem Marchionem ad Mülbergam supra Nemetes cepit.* In Scotorum historia singulare est, Edvardum III. Anglorum Regem devicta Scotia *Lapidem Marmoreum* rudem, *in quo Fatum Regni contineri vulgo persuasum erat, Londinum misisse. Buchan. rer. Scot. Lib. VIII. p. 266.* scribuntq; Lapidi antiqvum hoc distichon appositũ fuisse:

Ni fal-

Ni fallat Fatum, Scoti hunc quocunq; locatum
Inveniunt lapidem, regnare tenentur ibidem.

Qvod adimpletum volunt, ex qvo Jacobus VI. natione Scotus idemque Scotorum Rex Angliæ simul initio hujus seculi imperare cœpit; Simile est, qvod Petrus Bizarrus refert de Lapide Fatali invento, cum in urbe Orangiæ fundamenta cujusdam ædificii jacerentur, in quo qvatuor versibus Gallicis summatim comprehensa fuit omnis ista calamitas, quæ post Fata Henrici II. Galliarum Regis in eo regno exorta fuit, apud *Camerar. Hor. Succis. Cent. II. c. XI.* Sepulchri Fatalis *Cuspinianus* meminit in *Historia Wilhelmi Regis Romani*: Reperisse Wilhelmum miro opere exornatum sepulchrum atq; à civibus istius loci, cujusnam id esset qværsivisse, Cives respondisse neminem hactenus ibi sepultum, sed occulto qvodam Fato id Regi cuidam Romano reservari, ac Wilhelmum paulo post à Frisiis cæsum ibidem sepultum fuisse: Cui ferme similis est *Beli Urna Fatalis* apud Veteres Historicos decantata; Et in Hispania olim famosum Palatium Toletanum validis vectibus ferroq; munitum. Qvæ omnia generali hac epicrisi concludimus: Arcanam Dei Providentiam in hisce talibus nō qvidē diffitendam, cum timore etiā spectari posse, at singulis haut temere applicandam esse. Deest enim sæpe fluxio, seu successio continuata rerū. Unde si v.g. non neganda olim fuerunt fata Domus Æacidarum, qvæ se agnoscere Alexander Magnus questus fuit, cum circa XXXII. ætatis annum se mori sentiret, & Fata Regum Galliæ è Capetinorum familiâ, ut ultra annum LX. non vivant, qvibus indoluit Ludovicus XI. *apud Cominæum* in vita ipsius: Innumera alia tamen à fluxu tali prorsus destituta videre erit. Ipsaque superius à nobis allegata exēmpla hiatus suos non obscurè produnt, ut inter Jacobos Reges Scotiæ in Jacobo V. & VI. qvorum hic senio confectus, ille ex mœrore qvidem, non tamen ideo violenta morte obiit; De Henrico I. Rege Gall. simile dubium; Sub Ferdinandis infelicem fuisse Hispaniam urget *Hornius in Dissert. Historico-Polit.* In temporibus etiam quis non hiatus agnoscat evidentissimos, dum multorum annorum spacio demum in eandem diem, rem memorandam recurrere cernimus: Si roges interim, cur notabilius eædem circumstantiæ se sæpe exhibuerint, id ipsum qvod paulo ante dictum fuit, reponimus: Ex longa nimirum serie facilius id deduci, quam causis Fatalibus, ut contigerint

 quidem,

qvidem, ſed qvia poſteros itidem locum, tempus, nomen habere oportuerit, eoq; per accidens reſpectu antegresſorum, non ob cauſæ alicujus ſingularis interventum.

VI.

Partem Providentiæ Divinæ Arcanæ faciunt *Prodigia, h. Signa inſolita, ad Judicia Dei eorumq; effecta & eventus relata*: Ita Ammianus Marcellinus Lib. XXI. *Amat Benignitas Numinis, ſeu quod merentur homines, ſeu quod tangitur eorum affectione, hic qvoq; rationibus prodere, qvæ impendent*; Neq; ſpernenda prorſus eſſe, eædem rationes evincunt, qvæ afferuntur pro cognitione Dei & teſtimonio ex libro naturæ *Rom. I. Act. XIV. Pſal. XIX.* ac proinde cum reverentia & admiratione Dei miſerentis & minitantis ſuſcipi posſunt, à conſternatione tamen & ſuperſtitionibus evacuanda: Quam in rem aureum dictum fudit Ludovicus Pius qui conſpecto ingenti Cometa, cum Egmundus Aſtrologus ei ſuggerent ex *Jerem. X. v. 1, Nolite timere à ſignis &c.* pie admodum reſpondit: *Timeamus conditorem hujus Cometa, non Cometam, & laudemus clementiam ejus, qui noſtram inertiam, cum peccatores ſimus, talibus admonere dignatur Judiciis.* Quam hiſtoriam Faſciculus temporum refert de Carolo M. & Egmundo Richardum ſubſtituit; Fatendum tamen eſt, multa prodigiis admiſta eſſe, & admiſceri, qvæ fidem non merentur; Et magnam partem eorum quæ à *Plinio, Julio Obſequente, Valerio Maximo*, atq; ex illis aliisq; Scriptoribus Ethnicis à *Lycoſthene, Zwingero, Fincelio* referuntur inter Figmenta Poëtarum, aut Sacerdotum Gentilium, aut pesſimorũ adulatorum referre auſimus; Hinc tamen non ſequitur omnia mendacii arguenda eſſe; Et *Jeremiæ* iſtud *c. X. Nolite timere à ſignis*: Reſponſo Ludovici jam expedivimus: Cui addendũ, non agi hic proprie de extraordinariis Signis, nec de Prodigiis in cœlo, aëre, terrâ, aquis, ſed de conſtellationibus & influentiis Aſtrorum perpetuis atq; ordinariis, nec etiam omnem obſervationem Aſtrorum ſed magicam & ſuperſtitioſam prohiberi. Qv. I. *An Prodigia ſemper præmittantur magnis calamitatibus?* Reſp. Peucerus de *Divinat. Tit. Teratoſcop. p. ult.* Quæ inſolita prorſus ſunt, eaq; vel maxime quæ ceu picturis cœlo illatis futura præfigurant, nunquam non ſingulares attulere caſus &c. nec nova & inſolentia conſpecta unquam aut obſervata, quin attraxerint præcinuerintq; novum aliquod & ſingulare. Quæ tamen de eo, quod ut plurimum fit, accipienda duci-

ducimus. Qv. II. Cum priori affinitatem habet, *an ex præsenti Prodigio seu dum Prodigia fiunt, calamitatem secuturam colligere liceat*? Resp. Theologi I. dubium esse posse, num Prodigia sint Divina, an Diabolica, nec certi quicquam ex Diabolicis affirmari posse de secutura calamitate; Est enim Diabolus mendax & versipellis, cujus profunda non novimus, quique adversa & judicia Dei prædicere potest, cum prospera & Dei beneficia per foribus sunt, & contra prospera ac Dei beneficia ostentare ac præcinere, cum maxima mala impendent. (2.) De Divinis prorsus infallibiliter sciri non posse, an classicum de cœlo canant tantùm ad communem cautionem, monitionem & comminationem æque ac Jonas prædicabat Ninivitis: An vero immissa sint ad solius gloriæ Divinæ illustrationem & suorum explorationem, quomodo de Abrahami & Jobi tentatione statuendum & cæcitate illa *Job. IX. v. 3.* An dn. divinitus certo futura prænuncient? Esse autem quædam Prodigia, quæ tantùm sunt Judicia Dei super illis, qui manu Dei percussi sunt, cum insuper aliis in cautela & exemplum proponuntur, ut *Luc. XIII. v. 1. 2. 3. 4. 5.* & alia quæ proprie dici nequeant Judicia, sed tantùm explorationes ex modo notatis Scripturæ textibus analogice videtur colligi posse. V. *Voët. Vol. II. Disp. de Signis. P. II. Probl. XL.* Qv. III. *Quid de Divinatione ex hujusmodi Prodigiis sentiendum?* Resp. Ex Responsione ad *Q. II.* liqvere, in Divinationem specialem haut facile involandum esse, h. ut interpretemur prodigia de certis calamitatibus, certis locis, temporibus, singularibus personis, familiis, Ecclesiis, Politiis, qvamvis qvantum in ipsis est, flagella Dei satis promeruerint. Inst: *Ergo Prodigia illa susq; deq; haberi*: Resp. Distingv. inter pium metum, aut prudentem conjecturam, aut justam præsumtionem & inter Divinationem & Prophetiam. V. *Voët. c. l.* Qv. IV. *Quid in casibus dubiis Prodigiorum faciendum?* Resp: Manere tanqvam monitoria de rebus nostris seu futuris seu possibilibus, qvod si plane in ambiguo simus, sintne Diabolica an Divina, saltem manus Divinæ operatio & concursus qvoad actum istum & promissio qvoad malitiam ipsius in iis attenditur, Deumq; tanto magis timere discimus, qvod benigna Providentia sua & hæc in gloriam suam vertere possit. Huc referenda *Augustini* verba, qvæ citat *Hyperius Lib. II. Meth. Theol. Tit. de Creatur.* Ad monstri conspectum omnes plerumq; subito exhorrescunt, veluti conscientiam stimulo peccati vulneratam agnoscentes, atque de ira Dei

Dei vel in antecedentibus animadversa, vel in futuris negociis metuenda cogitantes: Huc faciunt ista Virgilii *IV. Æneid.*

-- -- An Te Genitor cum fulmina torqves
Nec quicquam horremus, cæciq; in nubibus ignes,
Terrificant animos. &c.

Conf. *Balduin. Cas. Consc. Lib. III. c. VI. cas. IIX.* De remediis prodigiorum inde itidem judicium formandum: Deum nempe examinata conscientia & renovata resipiscentia orandum, ut omnia mala avertat aut mitiget, aut qvicqvid tandem evenerit, in eo spiritu suo nos firmet, & in salutem nostram id convertat; Specimen meditationum & orationum ejusmodi dare voluit *Arnoldus Sorbinus Tr. de Monstris.* Sed pleraq; perverse detorsit & applicuit; Gentilium Superstitiones hâc in re notæ sunt, Catholicorum etiam in eadem conatus, processiones, amuleta rerum consecratarum &c. Vid. ap. *Delrio Disqv. Magic. Lib. VI.*

VII.

Qv. *Quid de Præsagiis mortis sentiendum?* Resp: Ea, quæ in homine sunt, esse veluti præsensiones & specialia privilegia, ad transitum nos excitantia, & quidem quo magis definita, eò melius. Nos ex iis inprimis memoratu digna afferimus exempla Virorum vitâ & rebus gestis Illustrium, qvi annos, menses, dies mortis suæ præsensere nec frustrati sunt; Sic Ambrosius diem mortis suæ prævidit & fratribus indicavit, teste Paulino in vita ejus. Christianus III. Rex Daniæ Ecclesiastæ suo Paulo Noviomago diem mortis Cal. Jan. prædixit, eademq; obiit. Melanchthon sibi mortem prædixit & expectavit eo anno, qvo obiit. Vid. *Conf. ejus. p. II. pag. 387. 391.* Leonhardus Turnheiserus cum certo sibi præsagiret diem mortis IX. Julii An. MDXCVI. Testamentum condidit & locum sepulchri Coloniæ ad latus Alberti M. præscripsit, sicque dicta die obiit. Daniel Chamierus etiam dudum ante diem mortis suæ prædixit, in eaque prædictione ipsa die jam præsente, licet sanus adhuc & integer viribus, qvaqve Sacrum Sermonem publicè habuerat, perstitit, vesperaq; ingruente, globo ictus periit; Similes sunt illæ præsensiones intellectuales, dum morti vicini insolitis & cœlestibus spectaculis se recreari sentiunt; Specimen earum legere est de literatissima fœmina *Olympia Fulvia Morata*, quod refert maritus ejus *Andreas Gruterus in Epistola ad Cælium Curionem*, quæ cum Olympiæ operibus edita *Lib. II. pag. 183.* Qv VI. *Quid de appari-*

apparitione spectrorum in ejusmodi casibus sentiendum? Resp: Determinationem non liqvere, ac in spe & silentio Deo potius committenda esse, quam temere aliqva prodenda. Qv. *Quid de Spectro Berolinensi?* Resp.1. Non videri animam: Operatio enim ista non congruit quieti & tranqvillitati animarum Beatarum; Nec Angelum: Terriculamenta enim subinde injicit. (2.) Dubium vero non esse, quin permissu Domino appareat; Et (3.) in bonum finem ut securitatis suæ unumqvemq; admoneat. (4.) non necessaria tamẽ, licet probabili conseqventia, casus mortis ideo secuturi; Sed (5.) Ut exemplo Regis Hiskiæ vel instans periculum avertamus, vel ad id experiendum paratiores simus, (6.) Locus tamen & hic erit effato Abrahæ: *Habent Mosen & Prophetas &c.* Qvibus adjungimus verba Magni *Joh. Bergii* nostri in Sermone Funebri Johannis Sigismundi Marchionis Brandenburgici: Nach Mittage fragten endlich S. Fürstl. Gn. ob man auch die weiße Fraue wieder gesehen; Und zwar es hatte nicht allein dieselbe Tage/ sondern auch die gantze Zeit her/ in welcher der Höchste GOtt das Hauß Brandenburg mit so manchen Todesfällen heimgesucht/ ein solch Gesichte in weiß-leidtragender Gestalt/ auff dem Churfürstl. Hauße zu unterschiednen mahlen allerhand Standes und Alters auch Fürstlichen Personen/ jedoch ohne schädlichen Schrecken oder jemandes Verletzung sich sehen lassen/ also daß man nicht mehr daran zu zweiffeln/ wiewol auch unter dem gemeinen Volck viel dazu getichtet und hin und wieder ohne Grund spargiret worden; Was aber davon zu halten/ ob es ein Gesichte eines guten oder bösen Engels oder vielmehr einer verstorbenen Seelen (wie man im Pabstthumb fürgegeben) oder ob es nur sonst ein merum phantasma sey/ leidet itzt die Zeit nicht/ daß ich meine Gedancken erkläre; So viel mögen wir versichert seyn/ daß solches Gesichte nicht ohne Verhängniß Gottes geschehe/ daß es auch GOtt nicht zum bösen sondern zum guten Ende verhänge/ zur Warnung denen/ die sonst offters nur allzu sicher dahin leben/ und folget doch nicht/ daß eben ein Todesfall darauff erfolgen müsse/ sondern wann GOtt solche Warnung zuschicket/ so thut Ers zu dem Ende/ daß wir nach dem Exempel des Königes Hiskiæ durch embsiges Gebet und zeitliche Buße/ das gedrohete Unglück entweder abwenden/ oder ja desto besser uns darzu bereit halten mögen; Aber es wird auch hierin wahr gemacht/ was Christus saget: Wer Mosen und die Propheten nicht

hören will/ der wird auch nicht gläuben wann jemand von den Todten aufferstünde; Als nun aber dennoch Se Fürstl. Gn. darnach gefraget / habe ich geantwortet: Sie hätten sich wegen der weißen Frauen nicht zu fürchten / Sie würde Deroselben nicht schaden können / Ich wäre gewiß/ daß letzund die lieben heiligen Engel Gottes bey uns wären / Die hätten dem armen Lazaro auffgewartet / Sie würden S. Fürstl. Gn auch nicht verlassē / deñ wo man betet/singet/zu Gott seufftzet/ da darff kein böser/sondern allein die heiligen Engel Gottes herzunahen. Qv. *An Observatio præsagiorum mortis sit licita?* Resp. Justo gradu certitudinis si observentur, vana non esse; Qvidni enim instinctu aliquo æqve ac medica aut vulgari prædictione, quæ experientia nititur & habet *Io* utplurimum, utamur tanquam stimulo meditandi mortem & res necessarias ad migrationem componendi. Sic *Hugo de S. Victore Lib. II. de Claustro animæ*, tres facit nuncios mortis, Casum, Infirmitatem, Senectutem. *Casus*, inqvit, *dubia*, *Infirmitas gravia*, *Senectus certa denunciat*; *Casus denunciat mortem latentem, Infirmitas apparentem, Senectus præsentem*. Vid. plur. *Voët. c. l. App. de præsag. mortis. pag. 958. & seqq.*

VIII.

Seqvitur ut de *Fortuna* agamus, cujus descriptio jam superius reddita: Ei addendum, abusiva significatione vocis sæpenumero pro Fortuna haberi nostram de arcanæ Providentiæ Divinæ rigore persvasionem. Et vulgo quidem Machiavellum reprehendunt, qui *cap. XXV. Principis* sui præter humanam prudentiam agnoscat aliud quicquam à quo rerum prosperitas aut infelicitas suspensa sit principium, illudq; Fortunæ nomine appellet, quæ altera sit rerum humanarum valida moderatrix: Quod si de Idolo aliquo, quale Gentilinm imprudentiores finxerunt, accipiatur, reprehensione non vacat, neq; vacaret, si ipsam arcanam Dei Providentiam indigne persequeretur. Neutra tamen ejus intentio est, & cum de Fortuna toto isto capite loquitur, vero tamen sensu sumtam, h. arcanam Dei Providentiam non irreverenter tractat, altero vero sensu acceptam prolixè quidem insequitur; *Fortunam fœminam esse, coërcendam esse, ei obviam eundum esse*, & sim. At phrasi hac non posse peti Divinam providentiam argumento est, quia in eam vires naturæ nihil possunt; Vanam istam v. de provideutiæ hujus rigore persvasionem indeq; prognatam

So-

Socordiam meritò impedire judicat, ne dum nimium Fatorum ordinationi ineluctabili inhæremus, arbitremur causas secundas & ordinaria Prudentiæ media omnia negligi debere. Estque huic prorsus simile egregium dictum Ferdinandi I. adhuc Regis Romanorum ad *Fridericum II. Palatinum*; Cui cum objecisset, circumferri Proverbium de Palatinis: *Ipsos Fortunam ad januas eorum pulsantem semper repellere, neq; recipere velle*, & nihilominus Fridericus Fortunam incusare pergeret: *Profecto*, inquit, *Fortuna nullum Numen habet, sed nos homines facimus eam Deam, ut quidam inquit, Cœloq; locamus: Adsit Prudentia, & nihil esse eam prospicies.* Leodius *in Vita Friderici Lib. II, pag. 189. 190.*

II. Neque alienam ab opinionibus hominũ hanc sententiam esse in communi vitæ nostræ cursu elucet, dum Fortunæ adscribere amamus res æque in natura obvias, ac in genere humano & societatibus privatorum, publicorumq; statuum sese exserentes, quæ omnia tamen fiunt, non quia Divina Providentia homines inevitabili cuidam termino ita alligavit, ut modo incognito & sine omnibus mediis nostris ad eum ducamur, sed quia negligentiores sumus in causis causarumq; connexione inquirendis & connectendis: Hincq; ratio pendet dicti Aristotelici Lib. II. Magn. Moralium c. XXXVIII. *Ubi plurimum mentis ac rationis ibi minimum Fortuna est, ubi autem plurimum Fortunæ, ibi minimum mentis*: Nimirum quanto quisq; in rebus gerendis negligentior est, tanto plus cum Fortuna expostulat, non quod extraordinario quodam modo feratur, sed quod ferri se ita putet, cum ordinarium fluxum rerum suarum ipse animadvertere potuisset: Contra qui rebus suis intenti sunt, Fortunæ parum transcribere possunt, quia vident ex tali rerum suarum administratione non potuisse alios, quam quos vident, eventus fieri: Quam quidem rem usque adeo veram putamus, ut ipsas aleas ludosve non prorsus fortuito fieri censeamus, sed cur jactus hic aliter, aliusq; iterum aliter se habeat, causam esse per se à natura jactus s. ut hominis manu jacitur, s. ut à causa assistente dirigitur; Contra infelicem jactum, tantum à pravâ jacientis administratione dependere: Eadem ratio sine dubio dicti Comici est, *Fortunæ suæ unumquemq; Fabrum esse*; Et dn. non ignoti apud Politicos proprii: *Fortunam Juvenum amicam esse*; Non quod horum actiones causis suis careant, sed quod non per causas, licet nihilominus præsentes juvenes agant.

III. Interea non postponendum est Virorum Prudentem monitum: In

vita communi hominum magis è re esse, ut Fortunam & Providentiam in rebus nostris causemur, quam ut virtutibus propriis eas tribuamus: Rationes sunt, 1. Quia Fortunæ nomine tanquam superioris alicujus veneratio adversaturæ parti tacite objicitur. 2. Extra curam impedimentorum ponimur; Sic referunt Timotheo Atheniensi postquam in reddendis rationibus Præfecturæ suæ hanc clausulam ad ravim usque inseruisset; *Atq; in hoc nulla erant Fortunæ partes*, nihil cessisse prospere, qvia facile fieri potuit, ut alii invidia excitati obices & impedimenta progressibus ipsius ponerent: Contra viri prudentes dum providentiæ & fortunæ res suas imputant, invidiam suarum virtutum amoliuntur, decentius & liberius rebus suis fruuntur, & dn. in veneratione sunt, cum Majestatem homini addat, si Numini videatur curæ esse: Sic Cæsar cum animaret Gubernatorem navis: *Cæsarem portas & fortunam ejus*, dixit. Et Sylla nomen *Felicis* elegit, non Magni.

IX.

Fortunæ subjacent *Sortes, Ludi & Sponsiones*: Sortes naturam ejus habent: Ludi similitudinem referunt; Sponsiones cum ea cognationem habent. *Sors est actus quo veritas facti humanitus inexplicabilis per eventum improvisum inqviritur: Actus* est, juxta communem negotiorum vitæ humanæ indolem: Versatur circa *veritatem expiscandam*, quod cum Judiciis aliisve actibus commune habet: *In facto humanitus inexplicabili*, in discrimen à processibus ordinariis, qui res explicabiles tractant; Et *factum* quidem singulariter exigitur; De jure enim Sors non potest institui, quippe cujus medium est sana ratio & verbum Dei, nec unquam quid juris sit, Deus sorte revelasse legitur, sed tantùm facta, de quorum ad jus applicatione res in incerto erat: Denique *eventus improvisus* requiritur, ad indicandam connexionem cum causa superiori h. extraordinaria ista Dei Providentia ad finem incognitum nos dirigente, quo intuitu & à Theologis communiter Divinæ voluntatis in Sorte definienda fit mentio; Sic *Borrhaus in Num. XXVI.* Sors Sacra est *periclitatio alicujus eventus sub Dei ductu.* Aretius *Problem. Tom I. Est modus consulendi Deum rarior quidem, attamen in his eventibus, ubi nec ratio nec consilium hominum commode adhiberi potest.* August. *in Psal XXX. conc. II.* Sors non est aliquid mali, sed res est in dubitatione humana Divinam indicans voluntatem. Confirm. *Prov. XVI. v. 33. In gremium conjicitur sors,*

Sors, à Deo autem est totum judicium ejus; Adeo ut Sors omnis sit veluti appellatio ad verum Deum & dependentiam ab illius speciali atq; immediata Providentia, per quam solam eventus f. casus sortis determinetur, licet homines mittentes sortem de eo sæpe nec cogitent, nec petitionem Divini Judicii intendant. A contingentia mera cur sortes non possint expectari ratio est, quia (1. non potest consistere, ut agens certo consilio finem & scopum suum certum certa ratione intendens contingentiæ meræ, quâ talis est, actionem suam subjiceat: Sic enim consilium esset sine cognitione & indifferentia indeterminata medium esset causæ determinantis; Cui accedit (2) quod talis sit ordo progrediendi in inqvisitione humana, ut cum homines cupiunt determinari quæstionem aliquam & determinationis hujus certa media non habent in sua potestate, eandem quærant à potestate aliqva superiori, cui progrediendi modo plane convenit Sortiendi ratio: (3.) Id ipsum in ante citato loco Prov. elucet, ubi actionem omnem hominis circa sortem in contingentia mera finiri affirmatur; *In gremium conjicitur sors*, & accurata discretiore judicium totum ad Deum refertur, *à Deo autem est totum judicium illud*. Ames. *Medull. Theolog. Part. II. c. XI. § 12. & seqq.* Inst I. *Omnia ad Providentiam divinam referenda esse.* Resp: Sed cum tali discretione nihil ad eam referri, nisi habeat singularem quendam ad eum respectum. Inst. II. *Sortem sæpius iteratam varium eventum habituram.* Resp. 1. Sortem vel rite non fuisse administratam, sicq; in natura sua ipsius deficere, vel non posse iterari: In eventum istum enim semel compromissum fuerat, unde veluti Judex humanam sententiam semel latam non patitur denuo per processum eundem elici: Sic tanto minus à Deo istud peti potest, sine insigni temeritatis nota, atq; adeo repetitio Sortis non Sors est, sed simpliciter jactus quidam aut simile quid eoq; Sortis materiale. (2.) Nec omnem appellationem ad Divinam Providentiam necessario secum inferre singularem ejus operationem, quanquam Deus etiam extra ordinem variè respondisse negatur iis, à quibus importune tentatus fuit. Vid. *Num. XXII. v. 12. & 20.* in Histor. Bileami. Inst. III. *Deum non posse à nobis pro arbitrio nostro ad extraordinariam hanc Providentiam exerendam adduci?* Resp: Posse tamen cæteris paribus cum tremore adiri, de eventu tunc demum cogitari non posse, si Sortem prætexuerimus rebus nostris, qvæ vel Sorte opus non habuerint, vel eadem fuerint indignæ.

X.

Sortibus distinctim perpendendis indicandum est, Scriptores trium generum Sortes afferre, divisorias, consultorias, & divinatorias: Sortes divisoriæ sunt, cum quæritur quid cuilibet dandum sit, ut in hereditate, bonis, honoribus, oneribus, laboribus, periculis easque licitas esse Theologi pariter ac JCti ad *C. Sors. c. XXVI. qv. II.* statuunt; Præstat enim in dubiis, quæ propter sui ambiguitatem aut prærogativæ utriusque paritatem Juris decisiones respuunt, quamcunque innoxiam arripere conciliandi rationem, quam indecisam relinqvere controversiam, cum vitæ humanæ intersit, ne lites in immensum extrahantur; Semper tamen præsupponendus respectus ad Divinam Providentiam, qvo uno bene se habente, cæteris in Sorte omnibus bene erit. Doctores hanc in rem reqvisitis pluribus sortientes solent instruere, ut (1.) ne temere eamus ad Sortes, (2.) ut ad Sortes religiose accedatur, (3.) Ut absit superstitio. (4.) Ut materia Sortis sit res justa & licita & quidem seria, & alicujus momenti, & sim. Vid. *Angelum de Clavasio in Summa Angelica* voc. Sors. *Voët. de Sortiu aliisve Divin. Nom. abusibus P. III. Disput. Select.* Sed unico respectu Divinæ Providentiæ omnia hæc aliave ejus generis expediri facile est; Hoc enim præsupposito nec temere venietur ad sortes, nec superstitiose, nec in materia vel injusta vel frivola, nec cum abusu Divini Numinis. Hinc vero seqvitur (1.) *Posse Principes, Magistratus, Judices per Sortem eligi*; Reqvirit enim status & necessitas publica sæpe, ut ad Dei hoc Judicium confugiamus: Conf. Rationes paulo ante adductæ. Observandum tamen qvod suppeditat *Cajetanus* & ex eo *Summistæ*, ne promiscuè Sorti Functiones hæ subsint, vel personæ etiam quæcunq; de populo s. bonæ s. malæ, sed ut super certos quosdam hoc munere dignos Sors cadat. Et sic olim Regnorum divisio per Sortes facta, item Judicum constitutio, de quo complura observavit *Dempsterus ad Antiq. Rosin. Lib. II. c. XIII. & Libr. IX. p. 376.* (2.) *Eidem etiam usum esse posse in distributione functionum Ecclesiasticarum.* Sic enim & Matthias ad functionem Apostolicam electus fuit. *Act. I.* Canonistæ tamen & Casuistæ Catholici negant, rati Sortium usum ad sola negotia temporalia restringi, idq; propter Jus Canonicum, à quo hoc absolute prohibitum putant; Consulendus pro sententia nostra plur. Rivetus *in Decalogo*, Balduinus *Cas. Consc. Lib. III. c. VI. & L. IV. c. V.* Qv. *Quid de exactione pœnarum per Sortem h. decimatione similibusq; modis*

modis sentiendum? Resp: Non improbandam eam esse, si omnes paris criminis rei sunt, ita enim pœnam ad paucos, metum ad omnes pervenire. Qv. *Utrum rei sortem ducere debeant, an passivè se tantùm habere, h. ut non committant Sorti vitam, sed tantùm expectent à Judice aut immunitatem aut supplicium?* Resp. Affirm. prius. Unicuiq; enim incumbit omnia servandæ vitæ media studiose sectari, jam vero si Sortem non ducat, ipsi absolute pereundum erit: Si ducat, latitudo aliqua & spes adhuc superest. Inst. *Reum in conscientia sua ita salvum non fore, cum sciat supplicium capitale se promeruisse.* Resp: Nec reum per Supplicium capitale in Foro conscientiæ tutum fore, nisi gratia miserentis Dei accedat; Supplicia ejusmodi ergo inprimis institui, ut satisfiat vitæ sociali, cui si Magistratus per sortitionem satisfactum esse putet, reus etiam facile acqviescet. Qv. *An in communi periculo vitæ constituti ut in naufragio &c. Sortem ducere possint?* Resp. Neg. Nec enim nobis in nos ipsos, nec sodalibus vel in singulos vel etiam in omnes aliqvod jus est tale qvid statuendi.

IX.

Sortes Consultorias vocant, *cum qværitur qvid sit agendum?* Quorum tamen magnam partem ad Sortes Divisorias seu Decisorias referri posse opinamur. *Sortes divinatoriæ sunt, cum quæritur quid futurum sit*: Tales in Sacris occurrunt de facto præterito Jos. VII. De futuro in Consilio Regis Babyloniæ. *Ezech. XXI. v. 21. 22.* Sed utrumque hoc Sortium genus, nisi Deus eas extraordinarie præscribat, absolute illicitum censemus; Aut enim Judicium expectamus mere contingens, quod sapiente indignum, aut â fortuna fictitia, quod vanitatis & superstitionis, aut â Diabolo, quod est Magiæ, aut â Deo, quod est præsumtionis & nihil aliud quam Deum tentare: *Angelus de Clavasio* alique Casuistæ Sortem consultoriam in causa necessitatis adhiberi posse opinantur ut si civitate obsessa dubitet Clerus, quis debeat fugere vel remanere: Sed in hoc casu Sors non Consultoria verum Divisoria periculi est, ac proinde nobis non adversatur: Referendæ ad hoc Sortis genus, ne aliis allegemus, quas vocant *Sortes Homericas*. Dum apertis libris ex prima sententia occurrente quod factu opus aut futurum sit, colligunt. Sic Imperator Severus evoluta Virgilii Æneide obvium habuit:

Tu regere imperio populos Romane memento.

Indeq; collegit se Cæsarem futurum. Gordianus Junior initio Imperii sui occurrentem versum habuit: *Osten-*

Ostendunt terris hunc tantum fata.

& citò interiit: Quibus successit seu accessit apud Christianos Bibliorum apertio, quam notabili blasphemiâ vocant *Sortes Apostolorum*: Sic de Chramno Arvernorum Regulo exqvisitum fuit à Clericis Divionensibus positis tribus libris super altare, i e. Prophetarum, Apostolorū atque Evangeliorum, oraveruntque ad Deum, ut Chramno qvid eveniret, ostenderet, aut si ei felicitas succederet, aut certe si regnare posset, divina potentia declararet: Aperto ergo primo omnium Prophetarum libro reperiunt; *Auferam materiam ejus & eris in desolatione, pro eo quod debuit facere uvam, fecit autem labruscam.* Reseratoq; Apostolico libro inveniunt: *Ipsi enim diligenter SCtis fratres, quia dies Domini, sicut fur in nocte ita veniet: Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus illis superveniet interitus: Sicut dolores parturientis & non effugient*: Sicq; per Evangelium ait: *Qui non audit verba mea, assimilabitur viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam: Descendit pluvia &c. & cecidit & facta est ruina ejus magna.* Gregor. Turon. Histor. Lib. IV. c. XVI. Factumq; mox seqventi anno D LVII. ut post pugnam cum parente captus ejusq; jussu cum Uxore & filiabus igni consumtus fuerit: Vid. Eundem *Gregor. Turon. c. l. c.* XX. Similiter Franciscum Assisium laudant Scriptores vitæ ejus, quod sortito sententias Scripturæ aptaverit easq; pro regula vitæ assumserit, cumq; in trina libri apertione semper passio Domini occurreret, intellexit vir Deo plenus quod sicut Christum fuerat imitatus in actionibus vitæ, sic conformis & esse deberet in afflictionibus & doloribus passionis, anteqvam ex hoc mundo transiret &c. Ita *Bonaventura in vita ejus c.* XXII. Plura exempla vide apud *Delrio Disqv. Magic. Lib. IV. c. II. qv VII. Sect. III.* Sed cunctis hisce casum præsumtionis & temeritatis adversus Deum opponimus: Ac si ab hominibus non malis usurpentur nihilominus notas hasce non declinaturos opinamur; Si urgeant, non adhiberi instar Sortis, sed instar selectioris regulæ præsenti statui nostro congruæ, partem excusabilitatis quidem habebunt, sed quidni eandem ex communi jure divino decerpunt? Cur sortito regulas captare malunt? Securius itaq; omnibus æque abstinemus.

XII.

Ludi similitudinem sortium referunt: Ludicrorum nomine ab aliis rebus omnibus distingvuntur, quæ ludicræ non sunt, sed seriæ: *An licitè fieri*

fieri posʃint, dum quæritur, vel generaliter quæritur, *an ludere liceat* vel in hypothesi, an lusus aleæ aut chartarum ʃit licitus? Posterius graviores Practici Theologi pleriq; ʃimpliciter negant. Vid. *Mart. Loc. Comm. Lib. II. c. XII.* Danæus ʃingulari *Tr. de Ludo alea.* Taffinus *de Emend. vit. Lib. II. c XIX.* Amel. *Medull Theol. L. II. c XI.* & ʃs. *& Caʃ. Conʃc. L. IV. c. XXIII.* Voët. *de Sort. aliüve Divini Numinis abuʃibus Vol. II. Diʃput.* Ex Anglis quidem *Gatakerus* ʃingulari Tr Sortes ludicras defendit, tanqvam ex ʃe non malas, ʃed rationes ejus conterraneus ipʃius *Jacob. Balmfort.* itidem Tract. peculiari impugnavit. Priori tamen complures hominum faciliores ʃe præbent; Humanæ imbecillitati aliquid donandum esʃe, eoq; homini Chriʃtiano interdici non posʃe, ne aliquando ludo animum recreet, quin hoc ipʃum ʃapientis esʃe hominis, animum & corpus nimiis gravibusque laboribus fatigatum reficere & interpoʃitis ad tempus ʃeriis ludendo ʃe recreare quaʃiq; ex onere reʃpirare, quo posʃit & aptiori & alacriori animo opus munusq; priʃtinum repetere: In ludo itaque tanquam re adiaphora verʃari nos posʃe, ad tempus tamen illudq; brevisʃimum, diuturnam vero in ea re occupationem asʃiduumq; uʃum damnandum esʃe: Itaque quod ait ille vir militaris de Philoʃophia: *Philoʃophandum quidem eʃʃe, ʃed paucis*, id & meliori quidem jure de ludo à nobis dici poteʃt, *ludere qvidem nonnunquam licere, ʃed pauco tempore*, nam omnino ludum de vita tollere acerbius & durius eʃt, quam ut facile humana natura pati posʃe videatur; Neque ʃane minus permittendum eʃt homini Chriʃtiano longis jam laboribus fatigato animum recreare ludo, quàm eidem defesʃo concedendum eʃt, ut dormiat, ʃitienti ut bibat, eʃurienti ut edat. Hæc *Danæus de ludo aleæ c. I.* Nos (1.) præmittimus exercitia, quæ humana arte nituntur, licet caʃui ex parte in progresʃu ʃubjiciantur, multis modis differre ab alea & ʃs. eoq; mitiorem in partem hic forʃan accipi posʃe. (2.) Securius tamen omnibus ludis abʃtineri, idque non tantùm ex circumʃtantiis & per accidens inde natis malis, ʃed & in ʃe & per naturam ʃuam internam. 1. Tentamus enim Divinam Providentiam actu non necesʃario. 2. Eadem abutimur quippe ad rem ludicrum tractâ. 3. Tempus melius collocari poteʃt, in tanta vitæ humanæ anguʃtia, & rerum agendarum multitudine. Inʃtant. I. *Ludos haberi posʃe inʃtar Recreationis.* Reʃpondemus: Falʃo præʃupponi recreationes nullas esʃe niʃi in rebus ludicris, posʃe eas in rebus ʃeriis æque occupari, in colloqviis honeʃtis, lectione frugi librorum, obambulationibus iisque adjunctis con-

templationibus naturæ, exercitiis corporis, quorum omnium amplissimus campus est, ut ad ludicra confugere neutiqvam opus habeamus. Inst.II. *Sortis usum in controversiis civilibus minoris momenti legitime usurpari, cur igitur non etiam in aliis rebus ludicris?* Resp. Amesius, qvamvis controversiæ illæ civiles ex se non sint graves, ex conseqventibus tamen conjunctis vel adhærentibus admodum graves reddi, quod de ludicris contentionibus per se non possit affirmari.

XII.

Ludo Aleæ & Chartarum in specie opponimus dejerationes, execrationes & blasphemias, quæ crebræ sunt in his exercitiis & creduntur quidem per accidens ludo accedere, sed nos à natura ipsius ludi provenire opinamur, quia quotiescunq; dejeramus, id fit, quia sors expectationem nostram fefellerat, eoq; superiorem istam potentiam, quæ in sorte est, inculpamus, id verò ex ludo per se fluit, non per accidens: Eadem etiam ratione fit, qvod hujusmodi ludis modum aut finem imponere ægre possint, qui iis utuntur, quia illi qui in contentione sunt inferiores nullam rationem sentiunt de sorte sua desperandi, licet inculpent eam, atq; adeo persistunt in optati successus pertinaci expectatione *Ames. c. l.* §. *XXXIII.* Quibus addimus Cypriani hanc gravem sententiam tract. de aleator. in fin. *Esto non aleator, sed Christianus: Pecuniam tuam assidente Christo spectantibus Angelis & Martyribus præsentibus super mensam Dominicam sparge: Patrimonium tuum quod forsitan sævo studio perditurus eras, pauperibus divide, divitias tuas Christo vincenti committe. Servus cum Domino tuo vocare, studio Deifico obseqvere, Artem Domini imitare, qva non perdit sed potius acqvirit. Desine ab illis tuis furatissimis moribus: Cohibe præcipitem neqvitiam tuam. Sit cum pauperibus qvotidianus tibi lusus &c. Alea ne luseris, ubi lusus nocivus est, & crimen mortale, ubi dementia sine consideratione, ubi nulla veritas sed mendaciorum mandra,* qvem citat *Taffinus de emendat. vit. L. II. c. XIX.* Qv. *An leges civiles de ludo aleatorio abrogatæ sint?* Casuistæ complures affirmant, sed non potuisse abrogari Comitolus docet *Resp. Moral. L. III. Qv. X. n. IV.* (1) Qvia causa qvæ impulit Imperatorem ad legem illam condendam adhuc durêt, ob scelera nimirum complura qvæ ex ludo nascuntur. (2) Qvia nulla consvetudo tam efficax sit, qvin legem Divinam aut naturalem illæsam cogatur relinqvere, Ludos hosce v. iis adversari &c.

Qvær.

Quær. *Quid de Ludo Latrunculorum sentiendum?* Resp. Jacobus R. A. *Don. Reg p. 172.* Esse nimis consultam & Philosophicam stultitiam. *Cum etenim omnes Ludi inventi sint, ut tantisper animos avocent à negociorum molestiis, hic ludus operoso nugarum apparatu magis intendit animos, quam priores cura.* Qv. *Quid de contractibus illis sortium quos Loterias vocant & Riffas sentiendum?* Resp. Pro iis facere videtur, qvod nihil aliud sint, qvam implicita qvædam venditio respectu exponentis merces illas, & Sors Divisoria respectu emptorum: Sed privatas Loterias plerique repudiant; Homines enim ad illicita media rem faciendi per aleas & sortes alliciuntur spe lucri proposita, cum certiori ratione rem nostram procurare possimus; Accedit qvod eodem colore omnes lusus aleæ qvibus proximi substantiam intervertimus, defendi possent: Ex qvibus etiam pendere arbitramur, qvæ responderi possunt ad rationem initio propositam. Qv. *Quid faciendum ei, qvi potentiorum familiaritate irretitus non audet se expedire à lusibus ad eos sæpe sollicitatus?* Resp. Voëtius, Consilium expeditissimum esse, ut voto Deo præstito simul ac semel ab illâ ludendi servitute se absolvat: Qvod votum ubi apud illos constanter professus fuerit, nulla non tantum religionis sed ne civilitatis qvidem specie ipsum ultra molestiâ affici posse. *Aula Noverca est, Philosophia Mater; Illam cole, & tamen crebro recipe Te ad Matrem, ac in hac acquiesce, quæ efficit, ut & res Aulicæ Tibi tolerabiles videantur & Tu, dum in iis verseris, ferri queas. Imp. Anton.* ap. Besold. *Axiom. Philos.*

XIII.

Modus experiendi fortunam est *Sponsio*: Ea fit, *dum pignore deposito contendimus, ut qvi ex certamine superior discedat, rem depositam auferat.* In objecto Sponsionum singulare est, reqviri rem intellectui nostro parem: Unde quicquid intellectus clara & omnibus æque apparenti apprehensione accipere nequit, illud Sponsionibus nullis subjici valet: Sic de veritate discrepantium in disciplinis opinionum nulla Sponsio fieri potest, ut de motu Terræ aut motu Solis aliisve omnium generum Quæstionibus: Licet enim alterutra dissentientium pars veritatẽ sustineat, clara tamen & ab omnibꝰ æque visa demonstratione nõ nititur, unde Sponsionum capax non est: Similia de aliis dicentur, adeo ut vix alia qvam singularia & res facti, non juris videantur huc trahi posse. Qv. *An licita sint Sponsiones?* Resp: Affirm. Sunt enim veluti præmia veritatis ei data,

penes quem mansit defensio, nec quicquam in iis reperitur, quod à ratione dissonum sit; Opponi solet *L. Solent 2. & seqq. ff. de Aleator.* sed clara *L. 3.* determinatio videtur dubia expedire, & illas tantùm illicitas statuere, ubi pro virtute certamen non fit: Quibus rite intellectis Sponsio non nisi per accidens illicita esse poterit, ut ratione scandali vel periculi alius peccati, vel alius circumstantiæ contra rationem. Qv. *An qui certo scit rei eventum, possit adhuc Sponsionem facere?* Resp. Neg. In Sponsionibus enim utrumq; oportet esse dubium, alias contractus non foret æqvalis: Limitant tamen Doctores, excluduntq; tantum scientiam vel experientiam certam, non talem, cui probabiliter dubiũ inesse possit, nisi enim aliqva certitudinis specie caperemur, vix Sponsionem subituri essemus: In hypothesi examinant hanc ipsam Quæstionem, qui laxiori circa Ludos conscientia sunt & de Ludo chartarum, qværunt, *An is qui habeat primum locum & supremum punctum possit augere Sponsionem & totam Summam lucro expositam captare?* Et respondent affirmando, quia illius Ludi natura periculum sic certo lucrandi & perdendi faciat omnibus ludentibus commune & omnes voluntariò se illi exponant: Addunt non posse opponi ignorantiam excessus alterius, quia absq; ea ignorantia non fieret lusus: Vid. *Dian. Tom. VI. Tract. IV. resol. LXXII.* Sed Resp. (1) Ludum rem esse per se illicitam, de quo antea actum. (2.) Præsuppositā legalitate ejus nihilominus æqvalitatem hic lædi, & (3.) nostra sponte proximos temere agere nos pati. Qv. *An qui contestatur se certo scire, altero nihilominus contendente & sponsionem offerente, eam acceptare possit?* Negat *Cardinalis de Lugo de Just. Tom. II. d. XXXI. Sect. VI. n. VIII. & seq.* Justitiam Sponsionis enim debere imitari justitiam venditionis quâ venditur pretio moderato Gemma, de qvâ uterque contrahentium dubitat, an vera vel falsa sit, & ideo venditur cum vitio intrinseco, si forte illud habeat, quia uterque se exponit periculo in illo dubio: Sicut ergo qui sciret Gemmam illam esse falsam non posset etiam petente & non credente emptore accipere pretium quod offert; Ita etiam in Sponsione, qui sciret Jus illud & spem falsam esse, non posse pro illa accipere Jus certum & lucrum etiam petente & non credente adversario, nisi aperte constet de animo spontaneo donandi. In contrarium opinatur *Diana* fieri posse; in tali casu enim nullam fraudem esse spondentemq; ita sibi temeritatem suam imputari debere: Resp. (1.) Inde tantùm

tantùm sequi acceptantem in foro externo impunitum mansurum, (2.) Amorem Christianum vetare, ne quem temeritatis discrimen incurrere patiamur.

CAP. IX.

DE SUBORDINATIS PRINCIPIIS ACTIONUM MORALIUM.

I. Angelorum Bonorum Custodiam Indefinitam esse.

II. Quid de Angelis Præsidibus & Divis Tutelaribus Rerumpp. sentiendum? An Angelus Angelo resistere possit?

III. An in Delictis nostris allegari possit, nos à Satana seductos esse? An Satanas potestatem in Cogitationes nostras habeat? Unde constat Suggestionem aliquam esse Diabolicam? An Diabolo maledicendum sit?

IV. An Magia Benefica excusabilis sit? An liceat petere à Mago Malefico ut destruat Signa maleficii ad recuperandam Sanitatem? An Diabolus veritatis cognoscendæ causâ consuli possit?

V. An Carnis nostræ Seductionem allegari fas sit?

VI. An Mundi?

VII. An Occasionis?

VIII. Tentationis Illustratio & Natura. An appetendæ sint? Insigniorum Tentationum Specimina.

IX. Cur Deus tentandus non sit? Quid de Achasi facto Jes. XII. 13. sentiendum? Quid de Christi responso Satanæ dato: Ne tentes Dominum Deum Tuum. Cur Christus Pharisæis signum petentibus annuere noluerit?

X. Casuum Necessitatis explicatio. Quod Objectum requirant. An Innocenti liceat invasorē interficere? An Innocentes qui justam Defensionem aut fugam nostrā impediunt obteri possint? An Virgo Stupratorem violentum interficere possit? An in periculo extremæ famis sociis liceat unum è medio sui mactare? An pauperes, Fœminæ, Pueri expelli possint ab Urbibus obsessis?

XI. An ædes vicini dejici possint tempore Incendii? An Resp. in

casu Necessitatis Virgines Stupro tradere possit? An in casu Necess. liceat mendacium committere? An is qui ob extremam necessitatem rem alienam accepit, si ad pingviorem fortunam redierit, restitutione ejus teneatur?

XII. *Legis Charitatis Illustratio: An Reus à Magistratu interfici possit, antequam Peccati pœnitentiam egerit? An Amicum, quem letaliter jam afflictum non amplius vivere posse videmus, interficere possimus declinandorũ majorum cruciatuum ejus causa?*

I.

PRincipiorum Subordinatorum nomine comprehendimus qvicqvid extra Nos sub Deo in actiones nostras influit, eoq; principii partes explere potest. Referendumq; huc, quod de Angelis utriusq; generis, Astris, Mundo, Carne nostra, exemplis aliorum, consuetudine & similibus dici potest, nos movisse, aut direxisse, vel etiam impulsivæ aut Instrumenti nomine nobiscum egisse. Et primo qvidem ex Doctrina de Angelis bonis huc pertinet, quod de custodia eorum, qua non tantum singuli singulis hominum, sed etiam singulis provinciis rebusq; destinentur, Christiani magno numero credunt; Videatur *Thomas. P. I. Summ. Theol. Qv. CXIII.* & post eum Commentatores in *h. l* passim. Quibus non dissimilia sunt, qvæ ex Theologia Gentilium de Geniis circumferunt, de qvibus Vid. *Censorinus de die Natal, c. III.* It. Vossius *Theol. Gent, c. XI. & XII.* Unde forsan fluxerunt etiam Magorum hodiernorum Paracelsicorum similiumve de spiritibus commenta: In quibus ne multi simus, Agelos deputari ad custodiam hominum, & Custodiam hanc esse qvandam executionem Divinæ providentiæ circa homines cum Christianis omnibus merito fatemur: Indefinitam tamen esse opinamur, Definitam vero, qua singuli singulos & certi Angeli certos homines custodiant, negamus. Scriptura enim communiter tantum Angelis adscribit nostri custodiam, singularem vero nullam allegat: Absurdum quoque foret Angelum custodem impiis ad horam mortis adesse. Argumenta in contrarium sunt I. Gen. XLIX. *Angelus qui vindicat me ab omni malo, benedicat pueris istis.* Resp. Non fuisse creatum Angelum, sed Angelum fœderis Christum, nec ab alio qvam hoc benedictionem pro nepotibus Jacobum rogare potuisse. Confirm. Angelum hunc enim Deum vocant

Jacobus

Jacobus v. 15. Inst. 2. Exod. XXIII. v. 20. *Mitto Angelum meum ante te ad ducendum te in via.* Resp. 1. Inde tamen non seqvi definitam Angelorum custodiam. 2. Angelum hunc fuisse illum, qui Dux viæ Israelitis erat. *Exod. XIII. v. 21. Deus antecedebat eos interdiu in columna nubis & noctu in Columna ignis.* Inst. 3. Psal. XXXIV. 8. *Castrametantur Angeli Dei circa timentes eum.* Resp. Ne hinc quidem aliam seqvi, qvam indefinitam custodiam. Inst. 4. *Matth. XIIX. v. 10.* Angeli puerorum semper cernunt faciem Domini in cœlis. Resp. Cardinalis Cajetanus notis in h l. *Bene nota*, inqvit, *qvod non dicit Angeli singuli eorum, sed dicit Angeli eorum. Ex hoc enim textu non habetur singulos homines, aut etiam singulos pusillos credentes in Christum habere singulos Angelos, sed solum eos habere Angelos beatos: Ad cujus verificationem non exigitur singulos singulorum esse Angelos, sed sufficit multos esse Angelos multitudinis eorum.* Inst. 5. Act. XII 15. *Pulsante Petro dixerunt Judæi, qui erant in domo Mariæ, Angelus Petri est.* Resp. 1. Illorum hanc opinionem fuisse, an vera fuerit, Scriptura silet. 2. Inde tantum sequitur, Angelum tunc Petri ministerio addictum fuisse, non autem Angelum eundem perpetuo cum eo egisse. V. pl. *Richardum Cmcantborp. defens. Ecclesi. Angliæ.* contra *Marcum Antonium de Dominis c. LIIX*, ubi & loca Patrum huc facientia pluribus examinat.

II.

De *Angelis Præsidibus* Provinciarum ac Rerumpublicarum duo illustria loca sunt, primus *Josua V. 14.* Sum Princeps *Exercitus Domini, jamq; huc veni;* Et *Dan.* X. *12. 13. & 20. 21.* ubi qveritur Angelus Gabriel, restitisse sibi Principem Regni Persiæ XXI diebus, & solum Michaëlem, qvem Principem Judæorum vocat, sibi auxilio fuisse indicat; Exstantq; hanc in rem prolixa Autorum commentaria: An Angeli Præsides hic intelligi qveant, an non Diaboli etiam Rerumpp. sint, qvalis hic Princeps Persiæ. Ex Evangelicis Junius homines fuisse, ipsamq; Aulum Persicam opinatur, neq; videtur à textu alienum esse, homines obsistere posse consiliis Angelicis; Nos interim autumamus idem Respondendum esse, quod ad priorem thesin dictum fuit: Angelorum nempe indefinitam custodiam etiam Rebuspubl. destinari, certos autem singulis earum omnibusq: ipsarum actibus perpetuo allegari ex neutro allegatorum locorum elici posse. Unicum obstat, Michaelem dici Angelum Judæorum.

Nemo

Nemo mihi auxilio fuit præter Principem vestrum Michaëlem. Sed Michael hic ipse filius Dei fuit, Angelo enim in auxilium virtutis creatura nulla venire potest, cum æque sint potentissimi; Sola itaq; Divina potentia iis major accedere potuit, qvod probe observavit *Junius ad h. l.* Parallelum locum explet materia de *Patronatibus Sanctorum* s. Divis Tutelaribus, quam magni faciunt Christiani Catholici, occasione sine dubio ex Alligantiis apud Magos & Diis Deabusq; apud Ethnicos sumpta, quibus solenne erat singulis Montibus, Sylvis, Vallibus, Numen aliquod præficere. Seriem Historicam ejusmodi Sanctorum vid. ap. *Voetium Vol.* III *Disp.* nosq; partem eorum, qui *Tutelares Rerumpublicarum* sunt, exhibuimus *Not. Dignit. Illustr. Disput. VI. c. ult.* §. XII. Sed opponimus ei 1. Nullum ejus rei mandatum haberi in Sacris. 2 Solius Servatoris Patrocinium sufficientissimum esse. 3. Sanctos non videre necessitates nostras. 4 Si etiam videant, nulla certa fides est, qvæ persuadeat nos ab iis exaudiri. Plures ejusmodi Rationes vid. apud *Voet. c. l.*

III.

Ex Doctrina de malis Angelis hujus loci inprimis erit vulgatissimum Principium, quod pravis actionibus nostris omnibus præteximus, à *Satana nos seductos esse*: Quod licet aliquomodo verum sit, justam tamen excusandi causam nobis haut præbet; minimè omnium causam universalem. Rationes sunt 1. Ingenium humanum sua natura satis ferax est malitiæ, adeò ut si Satanas ne esset quidem, nihilominus in præsenti statu suo absurdos foetus abunde editurum esset. 2. Etiamsi Diabolus suggerat peccata, non tamen aliter qvam Patris instar se habet, cum animus noster foecundæ matris vices expleat, qui nisi semen à Satana projectum conciperet, suggestio ejus facile irrita foret, neq; enim unqvam tantopere prævalet, ut arbitrum cogitationum nostrarum se possint constituere: Ideo David etiam, de quo ipsa Scriptura testatur, eum à Satana incitatum populum numerasse, nuspiam culpam in Satanam rejicit, sed se in culpa fuisse agnoscit. 3. Augustinus respondet, tunc demum excusationi huic locum fore, si Satanæ soli relicti essemus, jam vero medios nos positos esse inter suggestiones Satanæ & Divina avocamenta, ac proinde merito à nobis rationem posci, cur Satanam potius, qvam Deum seqvi maluerimus. Vid. pluribus *Remigius Dæmonolatr. Lib.* III *c.* XII. *haut procul fine.* Qv. *Qvam potestatem Satanas habeat in cogitationes nostras?*

ſtrat? Reſp: Directam nullam habere, cum ſolius Dei ſit cogitationes moderari. Indirectam tamen aliquam eſſe non diffitebimur, h. ut ex inclinationibus noſtris de nobis judicet, eoq; objecta congrua proponat, qvod tamen ſagacem potius conjecturam ejus dicemus, quam poteſtatem in animum noſtrum; Et ne hanc quidem certam eſſe non ignobili exemplo Magi de cogitationibus aliorum docet *Bodinus Theatr. Naturæ Lib. IV. pag. 532. 533.* Qvær. *Unde conſtet ſuggeſtionem aliquam eſſe Diabolicam*? Reſp. 1. Si repugnet ſolitis inclinationibus intellectus noſtris. 2. Si non exurgat ſicut cogitationes vulgares, ſed ſubito & ad modum fulguris vibrati in animũ potius intrudatur qvam immittatur: Qvæ conjecturæ ſunt *Ameſ. Caſ. Conſc. Lib.* III. *c.* XIIX. *§. 20.* Non dubitamus tamen Chriſtiano dignum eſſe penitius hoc thema examinari.

IV.

Atq; huc porro pertinebit univerſus de Magia illicita locus, qvem tanqvam paſſim obvium carptim tantum attingemus. Ejus illegalitas ex eo pendet, qvod Creatura ita tranſeat à Creatore ſuo in caſtra Hoſtis ejus, quod peccatum omnium enormisſimum eſt. Diſcrimen inter *Magiam Noxiam & Beneficam* ab effectu eſt, licet fons utrinq; idem ſit, cooperatio diaboli, unde & Benefica illa non minus quam altera improbanda eſt: Non quod Bonum quod quæritur per eam malum ſit, ſed quod homines male illud asſeqvi deſiderent: Ideo & Tatius Asſyrius eos pœna dignos ſtatuit, *non ſecus ac qui cum Latrone fuerit, etiamſi latro non ſit, ut ſocius ſceleris punitur*, apud *Tholoſan. Synt. Lib.* XXXIV. c. XIIX Sed an *licebit petere à Mago Malefico, ut deſtruat ſigna maleficii ad recuperandam ſanitatem*? Aff. recentiores Caſuiſtæ Catholici *Svarez, Lesſius* &c. Sed ne hic qvidem videmus, qvomodo id non ſit aliqva participatio alicujus peccati, prout iſti eam definiunt, aut qva ratione magis prohibeant uſum atq; opem Medici, qvem novimus Periaptis, Amuletis aliisq; Magicis atq; illicitis mediis in re medica uſurum: Qvemadmodum propter ſuſpicionem aut periculum conſtitutiones Pauli IV. & Gregorii XIII. Judæis Medicis praxin inter Chriſtianos prohibent. *Voet. Vol. III. Diſp. de Mag. Append. I. p. 622.* Non disſimilis Reſponſio erit ad Qv. *An veritatis cognoſcendæ cauſa Diabolum conſulere liceat*? Nihil enim poteſt eſſe purum, qvod ex ore & arte Satanæ proditur, *Tholoſ. l. c.* Et Diabolus licet vera dicat, non tamen niſi materialiter talia ſunt, quæ di-

cit non formaliter, nunqvam enim animo vera dicendi, sed fallendi ab ipso proferuntur. Estque inter alia hujus generis complura inprimis notabile P. Cotoni celebris Doctoris Catholici exemplum: Quod quia varia huc pertinentia continet, verbis Thuani licet prolixiusculis subjiciendum duximus. *Piget hîc addere rem in speciem ludricam, quæ tamen quia in vulgus jactata in varios sermones incurrit, omitti non potuit. Venerat in urbem spectaculorum omnis generis plenam puella nomine Hadriana Fraxinea Gerbiniaco pago in Ambianis nata, sex à Samarobrina milliaribus, paupere loco, quâ parentes habebat labore diurno vitã tolerantes; In Bernardinorum vico, ubi hospitium sumpserat, ostentabatur, tanquam à maligno spiritu possessa, & crebro ad S. Victoris nobile in suburbio proximo cœnobium deducebatur; haut minore frequentia, quam ad Martham Brosseriam, concurrebant undique omnis conditionis homines, quorum illa aut impurus, qui eam habebat, Spiritus per bimestre curam & industriam exercuit. In iis fuit Petrus Cotonus, qui excantandi spiritus fiducia fretus ad Energumenã accessit, & ut erat curioso & excellenti ad omnia ingenio, hinc occasionem sumpsit ab Hadriana sive Spiritu sciscitandi multa, quæ aliunde cognoscere spes non erat. Is commodato librum exorcismorum ab amico viro docto & pio acceperat, cui, ut memoriam adjuvaret, indicem quærendorum inseruerat, manu propria & Latina lingua exaratum, quem post peractum exorcismorum ritum per obliviosam imprudentiam, amico, à quo acceperat, cum libro restituit. Ille, qui Cotoni manum ignoraret, neq; à Cotono scriptum profectum crederet, alteri amico tradidit, & ita scriptum per manus multorum volitavit, donec ad Ronij Marchionem pervenit, qui illud Regi ostendit. In eo quærebat ab Hadriana sive Spiritu maligno Cotonus, quid se vellet Deus scire circa R.R.? quid circa commorationem in Curia? quid circa admonitiones privatas & publicas? qvicquid circa viam & iter? qvicquid circa confessionem ejus generalem? quicquid circa commorationem cum Patribus? qvicquid circa Comitem Lavallum? circa vota, sacrum, casus conscientiæ? circa conversionem animarum? quicquid circa canonizationem, utrum urgere se velit? quicquid circa Bellum cum Hispanis & hæreticis? circa missionem in Franciam novam, & totam oram adversæ Americæ? circa viam, quam tenere debet, ut*

suadeat

suadeat efficaciter? viam, ut abstineat à peccatis? Erant, & quæstiones eruditæ, an Lingua à Deo? quis evidentissimus Scripturæ locus ad probandum Purgatorium & invocationem Sanctorum? quomodo animalia in Arca Noë capi potuerint? Qui filij Dei filias hominum dilexerunt; Pedibusne incesserit serpens ante Adæ lapsum? Quamdiu in cœlo ipsi & in Paradiso terreno parentes fuerint? Qui sunt VII Spiritus ante thronum Dei? Archangelorumne Rex? quomodo insulæ animalia acceperunt, & eò homines post Adamum pervenerunt? ubi Paradisus terrestris? quota pars conciderit Angelorum? quæ adoratio Dei in Cherubin? Quod majus periculum nostrum? Cui restitutioni Rex sit obnoxius? an expediat matrem Pasitheam venire? quid de D. R. conversione sperari possit? qui haretici ad fidem accessuri facilius in aula? quicquid periculi creatur in societatem à Dæmonibus? quicquid contra se? quid utilissimum ad conversionem omnium hæreticorum? quis Schola Pictavensis fundationem maxime impediat & quid? quid ut firma pax cum Hispanis? si quid se velit scire Deus de tempore, quo Calvini hæresis extinguetur: circa Genevæ plagiarium, quid se scire velit Deus per ipsum spiritum? quid circa profectionem patris generalis in Hispaniam? qua ratione converti Rex Angliæ, Regina & Regnum maxime & facile queant? Turcus qua supplantari ratione, qua converti infideles? Quid circa Genevæ conservationem tam sæpe? quid circa Regis sanitatem? quid circa compositionem animorum inter Regem & magnates subditos? quid circa urbes obsidionales? quid circa Lesdiguerium & ejus conversionem? Quid Ambianensem scholam impediat? quid Trecensem? circa durationem hæresis? Quærebat & qua ratione juvari possit D. de Viroduno, qui jam tum ad Ecclesiasticam, quam postea adeptus est, dignitatem aspirabat? Hæc alii ridebant, & mordaciter carpebant: Nam si veritatis amore ducitur, cur à patre mendacii eam sciscitatur? dum vero loca indagat Scripturæ probandis iis, quæ Ecclesia tenet, quid aliud agere, quam aut se de iis dubitare, aut ab eo, qui Scripturam ex proposito calumniari amat, eorum probationem frustra petere. Alii omnino damnabant, nam expresso Dei verbo prohiberi, nequis sciscitetur ariolos, & observet auguria & somnia, neque sit maleficus, atq; incantator, neq; qui Pythones consulat, nec divinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim

 nim

nim abominari Dominum, & propter ejuscemodi scelera gentes delaturum. Cui autem opus esse perscrutari super Regis salute, nisi à quo adversus illam cogitatur, aut post illam speratur? non oportere nec licere, ut de statu reip. nefaria curiositate quæratur. Nam qui de Salute Principis vel Summa Rep. mathematicos, ariolos aruspices, vaticinatores consulunt, cum iis, qui responderint, capite plectendos esse; Et scitum est, quod à B. Thoma Aquinate dicitur, non licere Dæmones adjurare per modum deprecationis, quia hoc ad benevolentiam pertinet, & Deus prohibet ne socii Dæmonum simus; sed licere per virtutem divini nominis eos adjurando ejicere, ne noceant, non autem ut per eos aliquid discamus aut consequamur. Pauci deniq; excusabant, & quod inconsiderato pietatis studio excogitatum & factum fuerat silentio sepultum malebant. Sane Rex, qui rem in occulto minime probabat, & Ronio, ut autographum retineret, neq; alii daret, enixe imperaverat, cum evulgatum indoluit, quod provideret futurũ, ut apud bonos prudentesq; multum Petri Cotoni existimationi ex ea occasione detraheretur, cujus ipse opera, & industria, ut sibi videbatur, in multis rebus utiliter utebatur. Imo, ut os aulicis obstrueret, rem quantum poterat, verbis elevabat, & de ea aliter sentire, quam revera sentiebat, præ se ferebat. Histor. Lib. *CXXXII.* ad An. MDCIV.

V.

Caro nostra etiam in numerum venit Principiorum impellentium actiones nostras: Nos nimirum nobismetipsis displicere, carnem nostram vero prævaluisse, eamque adhuc prævalere, non minus ac in Paulo, cujus dictum huc referri posse videtur *Rom. VII. 20. Se non amplius peccare, sed peccatum in ipso habitans.* Resp. 1. Dictum Pauli non loqvi de externis peccatis, qvibus speciem hanc præteximus, nam ab his Paulus immunis fuit; sed de interioribus defectibus qvibus regeniti etiam sentiunt se à termino perfectionis sibi proposito adhuc retrahi. 2. Nemo carnem à se ipso distingvere potest, nisi sentiat simul in se Spiritum Dei, carni reluctari, aut si luctam talem non sentiat eo ipso, qvi carnem tantopere inculpat, fatetur se totum qvantus qvantus est, meram carnem esse. 3 Ne Regeneratis qvidem hæc Instantia inservit, qvia caro ipsis in servitutem data, cui si obediant, peccata sua augent non minuunt, plus virium enim habent contra peccata, eoq; carnem, qvam irregeniti: Ideo

& Scri-

& Scriptura qvoties à malis nos avocat, toties Regenerationem nobis opponit, qvippe per eam confirmatis. Nova Instantia est à corrupta natura nostra; Nos in peccatis conceptos & natos esse, naturalem malitiam nostram nos pervertere &c. Sed Aristoteles jam olim ex hoc capite Ebrios duplici pœna dignos esse docuit, primo qvia Ebrietati se submiserint, deinde qvia per Ebrietatem deliqverint: Similiter prorsus & præsens Instantia non minuit, sed geminat pœnas nostras subeundas tum ob delicta à nobis commissa, tum ob ipsam corruptam naturam nostram eoque & hac ex parte nosmet-ipsi in culpa sumus, non aliud qvippiam extra nos. *Dyck.* Selbst-Betr. *c. XIII.*

VI.

Sed mundo etiam maledicimus & ab eo nos seductos esse qverimur, Sed respondet *Dyck. cit. c. XIII.* rem perinde esse, ac si viam salebrosam incuset, qvi festucam in pede habet: Hæc si exesset & pedibus integri essemus, salebrosam viam progressibus nostris haut impedimento fore: Sic etiam se habere avocamenta mundi, qvæ facile superando assemus, nisi in nobis esset, qvod nos moraretur. Ejusdem rationis est excusatio ab exemplis aliorum petita. Resp. Nos ideo etiam gemini peccati reos esse, unius qvod peccatum commiserimus, alterius qvod peccantes alios secuti fuerimus. Instantiæ à Consuetudine respondimus, eo ipso nos agnoscere nos diutissime in delictis versatos fuisse, ac proinde tanto temporius iis abstinendum esse.

VII.

Occasiones deniq; etiam prætexi solent, sed illis nunqvam locus daretur, nisi causas apprehendere constituissemus, eoque non major hic culpa, qvam in potu, dapibus &c. quibus si abutamur, non vitio rerum id fit, sed nostro abutentium. Cui similis est excusatio ab objectis petita. Nisi hic, ille, iste intervenisset, nos peccaturos haut fuisse, qvæ etiam prima omnium peccatorum excusatio fuit: *Mulier qvam adduxisti mihi præbuit mihi pomum* dixit Adamus *Gen. III.* Sed immemor erat sibi non licuisse persvasionibus mulieris aures dare. Sic Aaron populum inculpare conabatur *Exod. XXXII.* Sed Scriptura solum Aaronem culpæ hujus Autorem constituit. Saulus agnoscebat se peccasse in Dominum, sed qvia populum metuerat *1. Sam. XV. 24.* Et tamen ideo gratia Dei excidit; Neqve enim vel ille tunc debuisset, vel nos adhuc deberemus objectis talibus moveri.

T 3 VIII. Fi-

VIII.

Finimus ita recensionem principiorum Moralium, eorumqve simul qvæ principiorum loco vel metuimus vel fingimus. De modo influxus singulorum v. breviter addendum est; Is *vel plenus & cum effectu est*, h. ut admittamus influxum, qva ratione vera fit actio, vel *semiplenus & in affectu est*, ut non admittamus quidem, sollicitemur tamen ad rem peragendam, qui persvasio, suasio, in Moralibus, v. in specie phrasi Sacra *Tentatio* dicitur. Omnibus hujus generis actibus, eoq; & Tentationibus, de qvibus hic in specie pergendum ducimus, commune est, *influxum ostendi non exeri*, eoq; efficacem non esse nisi nobis volentibus & consentientibus, qvo tamen in casu verus qvidem influxus & vera actio surgit, Tentatio tamen non amplius manet, qvæ non efficit, sed sollicitat, non exigit sed pungit æqve ac svasiones & dissvasiones etiam necessitatem agendi nobis non imponunt, sed rem arbitrio nostro subjiciunt, nec jussorum instar ad agendum nos obligant, verum per modum consiliorum rem eligendam nobis tantum proponunt, ut proinde nec novi qvicqvam in toto Tentationum ambitu expectari opus sit; Sed omnia illa qvæ alias per intellectum & voluntatem eligimus & approbamus, recurrant, modo tantum dispari, h. non per modum influxus alicujus, sed per modum Consilii pro virium valore à nobis amplectendi vel reprobandi. *Tentatio* itaque est *solicitatio ad rem faciendam vel omittendam*. Modus peragitur svadendo & dissvadendo: Objectum sunt res in potestate nostra sitæ, eæqve vel extra nos, cujus generis sunt omnes Tentationes, qvæ Sensibus Externis objiciuntur, qui veluti Portæ sunt, per quas inimicus ingreditur, ut deprædetur animam; Vel intra nos, vi Imaginativâ, Memoria, aut vi Intellectiva cogitationes incongruas suppeditante, quarum delineationem V. ap. *Binsfeld. de Tentat. c. I. pag. 7. & 8.* Finis est experimentum sumere de Qualitate alterius, quod ne ab ipso Deo qvidem alienum est, qvi suos Examini subjicit, non quidem qvod ignoret ipse qvid in iis sit, sed ut sibi ipsis innotescant, qvantum in vera Pietate profecerint, ac ita humilientur coram Deo, & lucem ac gubernationem ab eo petant: Idem aliis nos ita spectandos vult proponere, ut agnoscant, quæ alioqvin ignorassent, indeq; vel confirmentur in Bono, vel avocentur à malo. *Casman. Schol. Tent. c. I.* E qvibus etiam 1. Lux accenditur Quæstioni: *An Tentationes appetendæ sint?* Quam respectu Divinarum Tentationum affir-

affirmamus; Sunt enim experimenta Ingeniorum nostrorum, ideo David precatur *Ps.* CXXXIX. *Proba Domine & tenta cor meum*; Sed de cæteris negandum est; Inimici nostri enim fortes sunt, nos fragiles & propositæ nobis occasiones lubricæ: Quas ob causas etiam Servator Tentationes in Oratione Dominica nos deprecari jubet. Quod pluribus ex Scholasticis illustratum V. ap. *Binsfeld. de Tent. c. II.* Et 2. cum tot Tentatores nos solicitent, tot Tentationum occasiones horis singulis nos obsideant, sic ut tota Hominis vere Christiani vita nihil aliud sit, qvam unum in perpetua hac militia constantiæ nostræ Experimentum, ratio profecto exigit ut nos ipsi semper excubemus, omnia facta nostra, omnesq; cogitationes severe observantes, frustra alias Deum orabimus, ne nos inducat in Tentationem, si nosmetipsos interea qvæcunque se offerat occasio inducamus, similes illi, qvi volens in Luto hæret & prætereuntis auxilium invocat. *Jacob. R. Angl. Medit. in Or. Dom.* Qva Divisionem ex Vocis Usu *Tentatio* vel *est Activa* eorum à quibus proficiscitur, tribuiturque omnibus iis, quæ Principiorum Titulo antehac insignivimus; Vel *Passiva* h. Lucta in Homine cum rebus objectis à Tentantibus. Ex natura Tentationum est, qvod *Bonæ vel Malæ* sint: *Tentationes Bonæ* Probationes dici solent, iisq; vel Deus tentat homines ad manifestandum virtutes vel infirmitates eorum, vel homines tentant seipsos; *Tentationes Malæ*, vel homines tentant Deum, qvæ vocatur *Tentatio Præsumptionis*, vel homines ipsi à Satana & seipsis tententur ad mala, qvæ est *Tentatio Seductionis.* Quibus omnibus ac singulis ut immoremur instituti ratio non patitur; Pervagantur enim universum ambitum rerum moralium, & qvicqvid svasionis, Causæ probabilis, Boni apparentis, Dubii nomine venire potest, id omne inter Tentationes locum habet, unde etiam ex singulis partibus Doctrinæ Moralis petendum est, qvomodo iis obvium iri debeat. Si quid tamen generalis Consilij adversus eas præberi potest, ejusmodi erit, qvale Serenisf. *Rex Angl. Jacobus I. ante cit.* suppeditat. Tentationes vel nasci in nobis vel extrinsecus venire; Si in nobis nascuntur, seriis precibus & sacris Meditationibus crebro utendum; Antidota etiam peccatorum venenis, qvæ in nobis sentimus germinare, adhibenda: Nam contraria contrariis curantur: Per magnum qvoqve esse in bonis libris subsidium; Permagnum in sani Theologi consilio, talis tamen, qui integræ vitæ testimonio insignis sit. Quod si ab externis causis veniant

tenta-

Tentationes nostræ, ut si aliqvis è sensibus nostris illicita capiatur voluptate, subtrahendam esse illi periculi materiam. Si rebus prosperis, aut adversis in Tentationem ducamur, idonea applicanda remedia: Contra adversas nos in desperationem trahentes, patientia qvantum fieri potest armatis solitudinem vitandam esse, & à prudentibus, piis, honestis & integris amicis consilium petendum. Sin prosperis tentemur, quod genus periculosius esse solet, ut prius illud asperius ex minima qvam patimur ægritudine & molestia, naturæ nostræ fragilitatem cogitandam, sæpeqve animis nostris objiciendam mortis necessitatem & ss. Pleniorem seriem earum vide apud *Casmannum* in Scholis Tentationum & Appendicibus ad easdem: E qvibus etiam ne prorsus sine specimine materiem hanc relinqvamus, excerptam partem earum Tentationum, quas Satanas nobis circa certitudinem Salutis directe vel indirecte movere solet, subjiciendam duximus. 1. *Deum peccatores non exaudire.* Resp. Opponere nos intercessionem Mediatoris svavissimumq; DEI Patris nomen. 2. *Qvid si Deus Te nolueris gratia donare.* Resp: Augustinus si nondum me electum esse sentio faciam DEI me non destituente gratia ut me electum esse sentiam, tum cognitione fidei per Spiritum Sanctum, tum cognitione Experimentali per Electionis fructus & opera. 3. *Te non esse certum salutis tuæ, cum Cor tuum sæpe de ea dubitet.* Resp: In corde nostro si non sufficientem apprehensionem, saltim applicationem Christi & promissionem Evangelij præsto futuram, & apud infirmos etiam velle credere est credere. 4. *Quoties orasti de veritate promissionum perplexus & num Deus te exauditurus sit necne prorsus ambigens, sicq; fidei loco ostendis Deo dubitationes, hæsitationes & animi perplexitates.* Resp: Spiritum DEI sublevare infirmitates nostras, & quomodo orandum sit, docere. Iterum Augustinus: *Christus nobiscum orat ut frater noster, orat in nobis ut caput nostrum, orat pro nobis, ut summus sacerdos noster, Oratur à nobis, ut verus & omnipotens Deus.* Oratio nostra itaqve vires fidei acqvirit eundo. 5. *Et tu sæpiusculè dubitas de salute animæ tuæ.* Resp: Nos non posse immunes esse ab omni infirmitate, qvi carnem adhuc gestamus & in nobis sentimus peccatum inhabitans: Satis esse, si non dominetur in corpore nostro. Quæ omnia aliaque hujus generis complura fusius deducta Vid. ap. *Casmann. cit. Schol. Tentation. 3. app. pag. 401. & seqq.*

IX.

IX.

Ex iis vero qvæ hactenus dicta sunt, porro seqvitur (1.) Deum tentandum non esse, præsupponit enim ignorantiam & dubium de Divinâ perfectione, cum nemo præsumat tentare eum, de cujus excellentia certus est. *Angel. de Clavas. Summa Angel. Voc. Tentatio.* Dispar tamen ratio est, si Deum tentemus vel probemus non ex incredulitate & malitiâ, sed infirmæ nostræ fidei gratia, ut *Judic. VI, 39.* vel ut aliis demonstremus divinam perfectionem, qvemadmodum Apostoli petierunt in nomine Christi facere signa *Actor. IV.* ut infidelibus innotesceret virtus Christi. Qvær. *Qvid de Achasi facto Jes. VII. 11. 12. sentiendum?* Resp. Deum ipsi medium confirmandi fidem suam obtulisse, Achasum vero ideo peccasse qvod ex merâ incredulitate & malitiâ id respuerit. Qv. Qvid de Christi responso Satanæ dato: *Ne tentes Dominum Deum tuum?* Resp. Rationem connexionis in eo consistere, qvod Deum tentent, qvi mediis ordinariis neglectis & spretis extraordinaria respiciunt: Sicq; Christus tentasset Deum, si ad suggestionem diaboli è pinnis Templi se dejecisset, cum in templo gradus essent, per qvos descendere potuisset. Similes casus sunt, qvibus Providentiam divinam ocio nostro alligamus, de qvibus supra *c. IIX. §. IIX.* Also wenn man in Gefahr nur beten / nicht aber erlaubte und von GOTT verliehene Mittel gebrauchen wil / so versucht man GOTT. *Scultet.* Psalm Postill *Part. II. pag. 332.* Deus enim nihil extraordinarii faciat, nisi in casu necessitatis. Estque hujus generis Tentationis hæc qvoq; pars, si sæpè peccatis nostris Deum offendamus; Iram Dei enim provocare non desistimus, qvod præsumamus nos à Deo misericordiam consecuturos: Qvale responsum est eorum, qvi apud Paulum dicunt *peccandum esse, ut gratia auctior sit: Rom. VI.* Qv. *An signa divinitus petere pars Tentationis sit?* Responsio ex prioribus patet, explorando enim Dei potestatem, aut dictorũ ejus veritatem tentamus Deum. Instructionem tamen circa particularem casum ex aliis non dependentem peti, ad Dei tentationem non pertinet. Conf. qvæ de Prodigiis dicta sunt *c. IIX. §. VI. VII.* Qv. *Cur Christus Pharisæis signum petentibus annuere noluerit?* Resp. Qvia tentatio erat ex incredulitate nata, in qvâ perstitissent, etiamsi Christus signa edidisset.

X.

Nondum vero omnia huc pertinentia diximus, nisi & *Casus Necessita-*

cessitatis attigerimus. Nam & hi Principiis suis nituntur, licet extraordinariis, atq; adeo varietatem qvandam actionibus nostris addunt transferendis à principio particulari, qvo videbantur comprehendi ad principium universalius. De his itaque dicendum: I. Scholasticos Necessitatem triplicem formare (1.) *Primam seu Extremam*, qvæ cum inevitabili vitæ discrimine conjuncta est, de qvâ putant loqvi Johannem *1. Joh. 3.* Si qvis habuerit substantiam hujus mundi & viderit Fratrem suum necessitatem pati &c. & de hac potissimum hic agitur. (2) *Necessitatem opportunam*, qvam occasio suppeditat, adeo ut hac neglecta, re ipsâ etiam haut potituri simus. (3.) *Necessitatem proficuam*, sine qva utiliter vivere non possumus: Sic libri studiis nostris necessarii sunt &c. Vid. *Summ. Angel. Voc. Necessitas.* II. Objecta Casuum Necessitatis sunt *Res Intellectui humano insuperabiles*, h. ut nullum consilium nobis supersit, qvo aliis mediis nos uti posse autumamus. *Grotius* eodem sensu periculū præsens & qvasi in puncto dixit *J.B.& P.L.II.c.I.§.V.* h. ut nullam viam ordinariā, qva inde elabi possimus, amplius videamus; Aut si minimam extra necessitatem agendi occasionem videamus, necessitaté allegari fas non sit. *Sic cùm omnes Judices, urbanaq; plebes & cunctarum Artium officia venerabili die Solis qviescunt, Ruri tamen positi Agrorum cultura liberè licenterq; inserviunt, qvoniam freqventer evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis aut vineæ scrobibus mandentur*, ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa. *L. III. C. de Fer.* Plura exempla congessit *Tholosan. Synt. L. II. c. XVI.* Qvorum communis ratio est, qvod periculū tunc veluti in puncto sit, nec via superesse illo tempore videatur, qva illud superari possit. III. Est tamen puncti hujus aliqva Latitudo Moralis, ex naturâ rei ipsius, personarum aliisq; circumstantiis æstimanda. *Grot. ibid.* h. Casus Necessitatis apud unum esse potest, qvi apud alterum non est, qvia hic Intellectus sui viribus superando erat, qvod alter superare non poterat; Et Necessitatem Extremam ideo Covarruvias ex cujusq; recto & sincero arbitrio opportunè ac piè definiri posse rectè scribit. *Covarruv. T. I. Rel. Reg. Peccatum § .I.n.III.* IV. Neq; etiam alio qvam dispensationis titulo vel à publico factæ, vel publico saltem non repugnantis Casus Necessitatis nituntur, h. non ideo, qvia Casus Necessitatis sunt, boni esse incipiunt, sed declarantur LL. ordinariis non comprehendi eoq; boni esse, non qvia præter istas Leges fiunt, sed qvia ab hisce veluti translati

ad aliam

ad aliam Legem universaliorem eidem congruunt & inde Bonitatem suam accipiunt; Æque ac in omnibus Dispensationibus ita se habet, ut ordinariæ causæ inhibendi prævaleat causa universalior eademq; potior, quemadmodum nec ulli Dispensationi commode locus est, nisi Casum Necessitatis illa præsupponat. Unde & Communem Regulam interpretamur, *Necessitas frangit Legem*, h. non tollit, sed ad eam non pertinere judicat, perinde ac lumen majus revera lumen minus non tollit adeo, quam tegit. V. Hincque iterum sequitur, res quidem Intellectui humano sæpe insuperabiles esse, at nihilominus casum Necessitatis præbere non posse, nisi alias à causa universaliori Bonitatem accipere possint. Sic veram Religionem abjurare nullo casu necessitatis licitum est, nulla causa enim tam universalis est, qua Creatura Creatori se subducere posit. At ob necessitatem famis aut nuditatis absq; furti vel rapinæ vitio licet res alienas accipere ad sublevandam eam necessitatem; Res omnes enim in Dominos distinctæ cum benigna quadam receptione primitivi juris videntur, quod illis casibus veluti reviviscit, & primi divisores si interrogati fuissent, quid de ea re sentirent, id ipsum responsuri fuissent, *Grot. J. B. L. II. c. II. §. VI. n. 4.* Conf. *Covarruv. l. ante cit.* Cujus iterum ratio, quia veluti universum Jus Sociale, ita Divisio rerum ex ratiociniis necessitatum & commodorum humanorum nata fuit; In hisce vero casibus Divisio necessitatum & commodorum humanorum ratiociniis adversatur. Cessat ergo & universaliori causæ, ut nempe rei humanæ bene sit, locum relinqvit. VI. Deniq; & hoc addendum, non peccare, qvi ejusmodi Casu necessitatis sibi consulit: Animum lædendi enim non habet, aut si etiam læsio alterius inde sequatur, directe tamen illam nullatenus intendit: Unde & qvicqvid Delicti hic superesse videbitur, id materiale Delicti tantum erit, Formale neutiqvam, propositum delinqvendi enim nullum adest.

XI.

Itaque *Innocenti in periculo vitæ versanti licet* occupare facinus & *Invasorem sui interficere*: Non tenemur enim pati, quod alter intentat, cum Natura sibi quemq; commendet non ex injustitia aut peccato alterius, unde periculum est. *Grot. Lib. II. c. I. §. III.* *Licebit etiam interpositum Innocentem tertium qvi justam Defensionem aut fugam nostram impedit obterere.* Apud naturam enim multo minus est So-

cietatis respectus, quam propriæ salutis cura, *Grot. c. l.* Neq; Lex Dilectionis quæ alterum nobis æqvat id impedit, quod *Grotius ib.* videtur sentire, Præceptum enim de singulis diligendis implendum qvidem est, sed nisi major & justior dilectio impediat; Et jubemur proximum amare juxta nos ipsos, non præ nobis ipsis: Quorum utrumq; ipse Grotius suppeditat. *Lib. I. c. II. §. VIII. n. 10. & c. III. §. III. n. 3.* Accedit Innocentem illum non occidi ex intentione, s. mortem ejus non eligi, ut quiddam primario intentum, sed quæri tantum salutem nostram, mortem ejus vero indirecte inde seqvi: *At Adulter à marito in adulterio deprehensus & ab eodem letaliter impetitus periculum præsens & necessariam sui Defensionem allegare non potest*: Quia enim in causa illicita versatur, tenetur etiam omnium eorum, quæ inde seqvuntur, adeoq; mortis in maritum commissæ reus est. *Qv. An innocens Defensor fugere teneatur?* Resp. N. Ob periculum quod à fuga sibi imminere possit. *Card. Tusch. Concl. 134. CXXXIV. n. 21.* Rursus licebit sine furti nota re aliena famem sedare aut nuditatem tegere, de quo modo dictum fuit. Sed *an in periculo extremæ famis sociis licebit unum è medio sui mactare?* *Cl. Puffendorf.* profitetur se judicium suum hac in re suspendere *J. N. & G Lib. II. c. VI. §. 3.* Nobis dicendum videtur, vel incertum esse, an è periculo evasuri simus, & tunc negandum videri: Nam veluti ob incertum metum non licet alteri vim inferre, ita ob incertam spem quoq; alteri injuriam inferri fas non est. Vel probabile est, periculo præsenti socios evasuros esse, ut in obsidionibus, à quibus obsessi se intra statum tempus liberatum iri sciunt, & tunc affirmandum opinamur; Neq; enim cædem alterius illi intendunt, sed communem tantùm omnium salutem: Quam in rem & tutissime sortem eligere possunt, non tamen quasi universi in necem unius vel qvisq; etiam in seipsum conspiraverit, id sane enim sine peccato non esset; Sed sortiuntur non in mortem, sed in salutem omnium, & indirecte tantum mors unius inde sequitur, adeoq; materiale Delicti quidem, sed formale neutiquam committunt. Iterum in Navigatione, si quando defecerint cibaria, quod quisq; habet in commune conferri debet; Et defendendi mei causa vicini ædificium orto incendio dissipare possum; Et funes aut retia descindere, in qvæ navis mea impulsa est, si aliter explicari neqvit. *Grot. Lib. II. c. II. §. VI. n. 3.* Quo referendi & Casus Politici: *An Reip.*

servan-

servandæ causa Innocentem subditum Hosti dedi fas sit? An fœminæ, pueri, pauperes urgente obsidione urbe expelli possint? An Dominium alienum invadere liceat, ne quid damni Resp. propria patiatur? Quæ omnia ex Dominio eminenti quidem, sed simul natura Casuum Necessitatis derivanda; Namque ipsum Dominium Eminens nihil aliud est, quam *Potestas Reipubl. in casu Necessitatis.* Vid. plur. *Medit. Polit. Dissert. XXI. & Polit. Parall. Dissert. ead. At Virgines Resp stupro tradere non potest.* Actus enim est extra potestatem Reipubl. positus, adeoque casibus Necessitatis non comprehensus est. *Nec virgo stupratorem violentum interficere potest.* Nam licet videatur 1. Extrema Necessitas hic præsto esse. 2. Vita & fama pari passu ambulare. 3. Non tantum communis æstimatio, sed ipsa Lex Divina pudicitiam vitæ adæquare, quam rationem Grotius urget *Lib. II. c. II. §. VII.* Autumamus tamen 1. Extremam Necessitatem vitæ hic nullam esse, ideoque nec ipsam in Defensionem sui stupratorem in periculum vitæ inducere posse. 2. Vitam & famam pari passu quidem ambulare, sed vitam civilem & famam, non vitam naturalem. Et Virginis famam qvod attinet, illa vel consensit in Stupratoris intentionem, & tunc non amplius vim sibi illatam qveri potest; Vel non consensit, & tunc injuriam sibi illatam queri quidem potest, sed non amissionē famæ, cujus eo ipso, quia non consensit, nihil amisit, animum enim retinuit integrum; Et negandum qvidem non est virgines ejusmodi innuptas manere solere, sed infortunium hoc est, nec vitæ alterius æquiparandum. 3. Legem Divinam de raptu in via publica agere, non de quavis violentia, is vero ex alia causa capitalis est, non simpliciter ob violatam pudicitiam. *Nec Principem nos invadentem occidere licet, utut præsentissimum vitæ periculum nobis immineat:* Quia causa universalior vetat. Vita Principis enim multis utilis est. Vid. iterum *Grot. Lib. II. c. I. §. IX.* Quod ut explicatius proponamus, dicimus 1. Principem mortis periculum nobis intentatem simili vi repelli non posse, ob causam modo redditam, vocabimusque illud *Exuperantiam Obseqvii* vel etiam *Ecstasin Obseqvii,* contra omnem amorem nostri enim & sola opinione majoris boni non impediendi id patimur. 2. Si ipsi etiam vis inferatur, id peccato non vacare, attamen in crimen Læsæ Majestatis Defensori verti non posse, sed dicetur excusabiliter fecisse, h. gradu Delicti minori, quippe ex-

 tremis

tremis vitæ angustiis sine causa circumseptus. 3. Nec tamen Principem ideo impune id ferre, si patiamur nobis ab illo cædem inferri, sed in Foro Conscientiæ illum non minus rationum reddendarum teneri, ac privatum quemvis alium. Qv. *An in casu Necessitatis liceat mendacium committere?* Resp. Neg. Neque enim mendacium sine læsione fieri potest: Nec tamen ideo opus est responderi omnibus, quæ alter ex nobis scire cupit; Neque enim major loquendi quam faciendi est obligatio nostra in iis, quæ in præjudicium vel nostri vel alterius cadunt. Unde si fugientem innoxium persequatur hostis & testimonium nostrum, an hac transiverit exqvirat, mendacium quidem committere non possumus, nec tamen ea propter etiam innocentem prodi fas est; Sed sufficit si vel ex honestæ simulationis principiis partem sermonis talem reponamus, è qua hostis aliud colligat; Nihil alieni enim aut falsi ita prodimus, licet alter alieni quid inde colligat. Vel etiam contrarium affirmari non illicitum erit; Neque enim vel ille jus quærendi, vel nos obligationem respondendi ferebamus, unde nec læsionem sui queri potest, licet aliud quam quæsiveramus, responderimus; Illud vero demum mendacium est, si falsiloquio nostro alterum lædamus. Conf. *Polit. Paull. Dissert. V. §. VI.* Qv. *An is qui ob extremam necessitatem rem alienam accepit, si ad pingviorem, fortunam redierit ad restitutionem teneatur?* R. Aff. Quodcunq; enim Dominus ipse rei alienæ in talem transferre potuit, id omne erat ut in necessitatibus suis servaretur: Jam cessantibus hisce cessat etiam id, quod ob causam hanc acceperat, & consequenter res redit ad priorem Dominum. Clarius, usum rei solùm accepit, non Dominium: Tale enim jus sufficit ad servandam naturalem æquitatem contra rigorem Domini; Atque de eo etiam verisimiliter fuit cogitatum. *Grot. Lib. II. cap. II. §. IX.* Ex quo principio etiam manat, *cur quæ Dominii Eminentis vi auferuntur singulis à Republica compensanda veniant*; Cessante enim causa, cur singuli patiebantur, cessat etiam id, quod in unum vel alterum in specie redundavit, eoque merito repetit, quod suum est ab eo cujus causa acerba passus fuerat.

XII.

Una adhuc restat *Lex Charitatis*, namq; & hinc pendere partem actio-

actionum nostrarum Sacra Scriptura nos dubitare non sinit; Aut si mavis, ambæ, hæc pariter ac Lex Necessitatis sunt modi seu qualificationes Principiorum Actionum nostrarum. Dicetur etiam Exuperantia Amoris proximi, æque ac Lex Necessitatis Amoris nostri Exuperantia forsan dici potest; Vel ipsi casus Necessitatis quoque ei adscribentur, non tamen nobis sed proximo applicandi, cui dum succurrimus, quando ordinariis mediis ipsi non amplius succurri potest, dicimur *Legem Charitatis* implere. In Politicis nomen Æqvitatis accepit, æq; ac Dominium eminens ibidē est facultas agendi ex lege Necessitatis. Æquitas rem de qua quæritur Legi subjicit, sed factam esse negat Sic Lex Charitatis in Moralibus, Charitas enim tegit omnia *1. Cor. XIII.* ubi pluribus Character Charitatis exhibetur; Unde & nobilis ille effectus manat, ut nempe jure nostro cedamus. Quod tamen ne sine discrimine ad omnia extendatur, sciendum est, rationem hic perinde ac in casibus necessitatis & Dispensationibus esse causam universaliorem; Hæc si desit, erit ubi Charitati locus dari non potest: Quod in applicatione pluribus videndum; Grotius enim vitæ quoq; nostræ curam honeste deseri, ut alterius vitæ & salutis perpetuæ, quantum in nobis est, consulamus partem Charitatis putat, maxime autem Christianis hoc competere, qui in eo perfectissimum Christi imitantur exemplum, qui pro nobis impiis & infestis mori voluit, *Rom. V. v. 16. J. B. L. II. cap. XXIV. §. 1.* Sed Christi exemplum causam universaliorem substernit quidem, verum ad omnes à Grotio allegatos actus applicari nequit; Et privati si Reip. causæ moriantur, ex causa universaliori societatis id faciunt, sed ideo privatum pro privato mori nec Charitas nec Ratio jubet. Qv. *An reus à Magistratu possit interfici, antequam peccati pœnitentiam egerit, eoq; in æterne salutis periculo versetur.* Resp. Aff. Magistratus enim 1. in culpa non est cur alter malus sit, nec quisquam obligatus est ad respondendum de eo, quod per accidens seqvitur ex officio suo. 2. Morali judicio non videtur æstimandum illud periculum, in quod ipsum se quis conjicit & unde se potest eximere. *Grot. Lib. I. C. III §. II. num. 3.* Inst. I. *Ex Lege Charitatis id fieri posse.* Resp: 1. Charitatem non minus ac justitiam esse virtutem ac proinde illam allegari non posse. 2. Nec Charitatem attinere ea quæ per accidens seqvuntur; Mors æterna Rei vero non proprie seqvitur ex morte ejus temporali, sed ex culpa non rite expiata.

piata. Inst. II. *Justitiam non tolli sed suspendi.* Resp. Sed finem non habituram talem suspensionem, neque carceres amplius carceres sed facinorosorum convictoria futuri essent, omnes enim æque qvantum possent vitam dissolutam simulaturi essent. Inst. 3. *Certum tempus præscribi posse.* Resp. Id quidem nunquam â Magistratu intermitti, at difficultatem eandem manere: Qvid si enim nihilominus intermiserit emendationem vitæ? Si dixerimus, id Reo tunc imputandum esse, id ipsum inde seqvitur, de qvo modò diximus, Reo nimirum ob periculum istud plus veniæ dari non posse; Et eandem rationem, qva fiebat, ut Reo una die diutius qvam par erat, parceretur, efficere quoq; posse, ut ei ad omnes dies vitæ ipsius parci debeat. Qv. *An Amicum, quem letaliter jam afflictum non amplius vivere posse videmus, nec tamen moriturum nisi post maximos cruciatus, interficere liceat?* Resp. Neg. Est enim contra spem viri boni & fiduciam in Divinam bonitatem, cum auxilium unde unde durante adhuc intervallo cruciatuum venire possit. Similis Qvæstio est, *An liceat eos interficere, quos scimus cruciatus aut ignominiosam mortem apud Tyrannum vel Hostes subituros?* Resp. Itidem negando; Divina Bonitas n. media evadendi sæpe insperato suppeditat. Sic tempore Caligulæ sæpe celeriter necati fuere, ut crudelitatem Cæsaris effugerent, quos paulo post solicite qvæsivit, si adhuc in vivis essent. Et in Pontani historiis nobile est exemplum Angeli Ranconii, qui criminis accusatus coram Nicolao V. Pontifice, & damnatus statim nocte secuta interfectus fuit, sed Pontifex seqventi mane surgens Ranconii causam se penitius examinaturum Amicis indicabat, cumq; Ranconium jam occubuisse audiret, sera & ad dies vitæ suæ durante pœnitentia celeritatem hanc suorum detestatus fuit. *Qvæstionem De obterendo innocente* in casu Necessitatis Grotium ex Lege Charitate negative decidere supra diximus ejusq; sententiam examinavimus, cui hic addimus, fieri quidem posse, ut potius patiamur, quam in innocentem aliquid consuli permittamus, sed id Legi Charitatis transscribi non posse, verum casibus Conscientiæ Dubiæ & Probabilis, per quos id quod securius est malumus, quam quod juste aliàs fieri poterat.

CAP.

CAP. X.

DE MODIS ACTIONUM HUMANARUM.

I. *Conspectus Modorum aliquot.*
II. *Actionem Bonam nullam esse nisi summe Bona sit; Actionem malam nullam, quin coram Deo sit gravissima.*
III. *Gravitatis causa ab Objectis petita; An Principis jussum in materia levi negligi, aut ipse ob adhærens vitium aliquod contemni possit? An Indignationem adversus Principem concipi fas sit?*
IV. *Aliarum Gravitatis causarum specialium recensio: De Generali causa ejus cogitata: Delictum per se leve nullum esse.*
V. *Sententia Moralistarum de ratione Parvitatis materiæ examen.*
VI. *An mutare circumstantiam levem in Historia Sacra sit Peccatum grave? An in detractione detur Parvitas materiæ? An in Re Venerea &c.*
VII. *JCtorum sententia de judicio in rebus exiguis ferendo.*
IIX. *Aggressionis, Invasionis descriptio; Cessationis & Remissionis descriptio & Usus.*

I.

MOdi Actionum Humanarum sunt Determinationes earundem: Tales, *Tarditas, Festinatio, Longitudo, Brevitas, Difficultas, Facilitas;* præcipue vero *Gravitas & Levitas*, modi in omnibus Actionibus inter se comparatis attendendi. Nam licet Actionum per se nullum discrimen sit, Bonarum Actionum communis natura congruere cum Dictamine Rectæ Rationis, Malarum ab hoc dictamine recedere, objecta tamen in quæ tendunt, causæ propter qvas fiunt, ipsa subjecta à qvibus proficiscuntur &c. notabile eorũ discrimen efficiunt.

II.

Et primo qvidem agnoscendum est, nullam Actionem Bonam esse, nisi summe Bona sit: Virtus enim I. consistit in puncto, qvod qvia simplex est Summum est. Vid. *seq. c. XIII. §. II.* II. Tendit in Ens Summum, Deum, per qvem sola est, & sine qvo nihil est: Summam ergo esse oportet, aut

si Summa non sit, gradum ad Bonitatem præbebit, Bona non erit; Et Bion recte dixit: *Omnia hominum negocia similia initiis esse, nec Vitam illorum magis sanctam aut severam esse, quam conceptus inchoatos.* Nullam item malam, quin gravissima sit, lædit enim Deum, ultra quem lædendi nullus gradus est, unde nec ulla, nisi quæ infinitis pœnis constat, ejus expiatio.

III.

At extra hunc respectum universarum Actionum nostrarum, singulis inter se comparatis magnitudo & numerus objectorum in qvæ directe tendunt specialem gravitatem addit. Sic Dei Amor prævalet Amori omnium Creaturarum; His enim infinities major est. V. seq. Cap. XIV. §. IV. Publici Amor potior est Amore membri alicujus è Republica, constat enim forma ampliori; Principis item Amor Amore privati, Princeps enim Remp. repræsentat. Et in Actionibus malis Peccatum adversus Deum immediatè commissum gravissimum est, Infinitus enim qvia est, læsio ejus omni pondere gravior est. Vis Principi intentata inter homines crimen gravissimum est, Periculum enim ex læsione ejus imminet toti Reipublicæ. Rursus Homicidium gravius est Furto, lædit enim ipsam substantiam Hominis, Furtum tantum res ejus exteriores. Vid. *Thom. in 1. 2æ. Q. LXXIII. Art. 3.* Neque derogat Actionis Gravitati, licet Objectum ejus rem leviorem aliquando involvat: Nam in Objectum per se illa tendit, Res levis ei tantum accessoria est. Sic res levis erat Pomum Paradisiacum, & nihilominus primi Parentes nostri esu ejus gravissime peccarunt; Esus ille n. non in Pomum per se, sed in Divinam Voluntatem tendebat, cujus quia contemptus erat, gravissimi peccati Characterem effugere non poterat. Eadem ratio est, si rem levem à Magistratu injunctam non observemus, non enim res illa adeo, quam Voluntas Magistratus spectanda, quam quia contemnimus, graviter peccamus. Ac Scholastici quidem eo nomine Quæstionem movent, an contemptus formalis in re levi, v. g. Legislatoris, Legis, Præcepti, Consilii &c. sit solùm Præceptum Veniale? Sed Negativam recte docet *Svarez. de Leg. L. III. c. XXIIX. n. 24.* *Qvia esse rem levem, quæ Tibi imperatum est, non obstat, quo minus Tibi imperetur ex eadem potestate, qua imperatur res gravis: Ergo si ex contemptu hujus potestatis præceptum leve violas, ita graviter peccas, ac si violares peccatum grave: Dicen-*

Dicendum est igitur, ait, *quod contemptus Legislatoris humani quatenus Legislator est, seu violatio cujuscumq; Legis, Præcepti & Consilii ipsius ex tali contemptu semper reputato peccatum mortale est, non solum in gravi materia, sed etiam in levi.* Quæ seposito discrimine Peccati Mortalis & Venialis, veluti simplex ita expeditissima in hac materia responsio est. Objiciunt quidem Diana, Lessius aliive, posse contemni Legislatorem ejusque præcepta non absolute, sed quatenus sunt in materia levi. Vid. *Dian. T. VII. Tr. III. Resp. IX.* Sed I. ita primi parentes nostri esum Pomi Paradisiaci quoque excusare potuissent. II. Scriptores hi naturam Legislatoris non rite expendunt, qvi qvotiescunqve contemnitur, totus contemnitur, ubicunq; enim est, totus est, licet objectorum varietas eum diversimodis exhibeat. Vid. quæ in simili casu tradita sunt. *Pol. Pamll. Dis.* XIX. *§. II.* Eodem in loco habendum, quod *Diana ibidem* asserit: *Si superior contemnatur, non quatenus superior est, sed quatenus est infirma fortis, indoctus, imprudens, & ex hujusmodi contemptu nolis ei obedire in re levi, non esse peccatum mortale, qvia tunc non contemnatur formaliter ejus potestas, sed ejus persona ob defectus, quos habet. Item si ex indignatione levi & pravo aliqvo affectu erga superiorem nolis ei obedire, non esse mortalem Inobedientiam.* Sed 1. Subditi nullo casu Reverentiam erga Principem exuere possunt ob Characterem ejus indelebilem, nihil ergo sine peccato in ipso contemnere possunt. Tanto minus indignationem adversus Principem concipi fas est, omnis indignatio enim propositum resistendi involvit; At Principi resistere plane nefas. 2. Confundit Diana minores Amoris gradus cum contemptu. Principem, cujus imperfectiones manifestæ sunt minus quidem amamus, quam eum, quem perfectum esse sentimus: Sed ideo Reverentiam erga eum exuere adeoq; contemnere ipsum non possumus.

IV.

Causæ deinde ob quas fiunt Actionibus nostris gravitatem addunt. Sic in Amoris gradibus Conjugis causa potior est Amore Parentum, Parentum causa potior Amore Consangvineorum, & hi iterum potiores Amore Exterorum: V. C. *XVI.* §. *II.* Adde, quæ huc itidē pertinebit, Culpæ Dictionem in Latam, Levem & Levissimam, *c. XII.* §. IIX. Idem in Actionibus malis de Effectis dicendum: Qvæ quo deteriora sunt, eo gravius Delictum reddunt: *Qvia vitium naturæ adversatur, tantum additur ma-*

 litiæ

litiæ vitiorum, quantum integritas naturarum minuitur, inquit Augustin. *Lib. Arbit. Lib. III. c. XIV.* Rursus de *Personis peccantibus*, s. de *Subjectis*, tum propter specialem repugnantiam peccati ad magnitudinem personæ, veluti si Princeps Justiciam violet, qui ponitur Justiciæ custos, & si Sacerdos fornicetur, qvi Castitatem vovit: Tum ob exemplum seu scandalum & ss. Ad plurium enim noticiam exempla magnorum perveniunt. Quæ similiave vid. apud vid. *Thom. in n. 2æ. Qv. LXXIII. Art. 9.* Omnia autem generalius ita videntur exponi posse; Gravitatem nempe Actionum nostrarum non aliter se habere, ac gravitas se habet in Naturalibus: Natura omnia corpora sunt gravia, nullum per se Leve; At alterum altero gravius est, quia plurium corporum Simplicium complexu constat. Sic ergo & Actiones nostræ: Nulla Actio, nullumve Delictum per se leve est: *Qvicqvid non oportet scelus esse, quicquid non licet, nefas esse putare debemus, etiam in minimis rebus.* Cicer. *Paradox. III.* At alterum altero gravius est, qvia non simplex est, sed aggregatum ex Delictis pluribus. Et quidem vel unius generis, sicuti Fur, quo diutius rem furtivam retinet, eo gravius peccat. Vid. *cap. XVI. §. 12.* Impœnitens quo longius Pœnitentiam differt eo pejus se habet. Vid. *c. XII. §. ult.* Vel diversorum generum: Sic Adulterium gravius est simplici Fornicatione; Non tantum enim pollutio est, sed etiam Fidei læsio & contrectatio rei alienæ. Adeoq; aggregatum ex pluribus Delictis est, de qvo plura *c. XV. §. VII.* Homicidium gravius est Furto, qvi enim furatur jure aliqvo alterum qvidem privat, sed non vitâ; At qvi occidit, dum vitâ alterum privat, etiam juribus aliis omnibus privat. Plura ergo Delicta complectitur Homicidium, adeoq; gravius est. Peccata in Deum directè commissa graviora sunt peccatis in hominem commissis, qvi enim hominem lædit, Dei Majestatem ideo directè non impetit; At qvi in Deum directè peccat, in omnes creaturas simul peccat, vinculum enim inter Deum & Creaturas rumpit: Simile ratiocinium de allegatis exemplis reliqvis instituendum. Et eodem sensu *Diana* Fornicationem cum Infideli Delictum majus esse autumat simplici Fornicatione: Esse enim concursum plurium Delictorum & non minus ac matrimonium tale cedere in Religionis dedecus. *T. I. Tr. VI. Res. 126.* Ac de Peccatis ex culpa levi vel levissima & ss. dubium quidem esse potest, quomodo aliis sui generis, ut quæ ex culpa lata committuntur, leviora adeoque excusabiliora esse queant?

ant? Sed Resp. Esse peccata quidem, sed non formaliter illa, quorum speciem præse ferunt, verum aliùs generis: Sic Homicidium cui culpa levis vel levissima adhæret, formaliter Homicidium non est, Peccati Inadvertentiæ tamen, neglectus officii & ss. nomen effugere non potest; At Homicidium culposum omnia minora ejusmodi involvit, ac præterea hominem vita exuit: Est ergo & hac in parte hic complexus Peccatorum, isthic tantum Simplex mala Actio.

V.

Levitas, igitur Actionum nostrarum sua luce hinc etiam radiabit: Ex communi opinione nimirum, si objectum non magnum sit, causa minoris momenti, læsio non notabilis, subjectum exiguum, Leves Actiones existimantur, non qvidem in se, attamen (1.) Comparatæ cum aliis (2.) In Foro Humano, hoc enim non ex natura sua, sed ex majori minorive damno rei humanæ pondus Actionum præcipuè æstimat. At sensu nostro, Actiones Leves *simplices* sunt, Graves Complexus Actionum plurium, qvæ externa specie unæ qvidem apparent, at reipsa sunt multiplices. unde gravitas earum, numerus enim qvantitatem auget. Nec tamen Actiones malæ simplices eo minus per se malæ sunt, qvam exiguæ etiam appareant, qvia enim contra Deum sunt, effectu sunt gravissimæ. At Moralistæ Catholici plus operæ in hoc negocium insumunt, unde illa de *Parvitate materiæ* sæpe plus qvam vexatæ qvæstiones apud eos, qvarum causa tamen non alia, qvam famosa ista *Peccati Mortalis & Venialis distinctio*: Qvæ si locum habet, certe erunt aliqva peccata, quæ veluti damnum mortis æternæ attrahunt, ita in se gravissima erunt, & alia periculo isti non exposita, eoq; minori in loco habenda. At si peccatum per se Veniale nullum est, omnia coram Tribunali Divino, adeoq; in effectu æque gravia erant, unde Conscientiæ afflictæ ex Levitatis argumento exiguum solamen accedet. Et *Diana* quidem cit. *Tom. IIX. Tr. III. Res. I.* ipse profitetur *se non sine maximo labore casus particulares hujus generis in gratiam Studiosorum collegisse.* At nihilominus Quæstioni principali leve tantùm momentum addidit. Ea est, *Quomodo sit cognoscendum, quod in aliquo Precepto detur vel non detur Parvitas materia.* Respondet verbis Nic. Baldelli: Optimum videri; si in Objecto „ formali non confundatur ratio, qvæ dicitur pro se prima, qvia scilicet & „ ipsa per se, & ratione sui per actum attingitur non autem ratione alicujus „

„ alterius, qvæ intelligatur attingi prius, ut fusius explicatur ex Physicis
„ quando agitur ad textum 33. Lib. 2. de Anima, de Specificatione poten-
„ tiarum per actus & actuum per Objecta: Si enim ex ratione ipsa objecti
„ per se prima oriatur notabilis oppositio ad Virtutem & malitiæ gravitas,
„ non poterit in illo objecto dari Parvitas Materiæ & levitas culpæ: Si ve-
„ ro oppositio notabilis & gravitas culpæ solùm oriatur ex ratione objecti
„ per se secunda, non autem ex ratione per se prima, omnino dabitur mate-
„ riæ parvitas & culpæ levitas, & hoc modo qvia ratio objecti per se prima in
„ actu furti v. g. est, quod res, qvæ accipitur sit aliena, & ex hac ratione
„ per se accepta & præcise considerata non oritur oppositio notabilis ad
„ Justiciam & culpæ gravitas, sed hæc solum oritur ex eo, quod res alie-
„ na sit notabilis, & notabiliter faciat ad usus vitæ, qvæ potest dici ratio ob-
„ jecti per se secunda, recte dicitur, qvod in furto detur parvitas materiæ
„ & culpæ levitas. Et contra qvia ratio objecti per se prima in actu infide-
„ litatis est, ut fides negetur ipsi Deo aliquid revelanti & ex hac sola præ-
„ cise considerata fundatur oppositio gravis ad virtutem fidei & malitia
„ gravis, non dicitur, qvod in actu infidelitatis possit dari materiæ parvi-
„ tas & culpæ levitas, sed omnis materia in ordine ad illam sit notabilis &
„ omnis culpa sit gravis, etiamsi alioqvi in seipsa sit res minima. Hacte-
nus *Diana*. Qvæ certe non multo meliora sunt iis, qvæ Hobbesius ob-
scuritatis suæ causa ad Insaniæ Literariæ Speciem refert. Summam ta-
men putamus esse, Actionem nisi per se & directe mala sit, levem vel sal-
tim minus gravem esse, si per se & directe mala sit pro gravi habendam;
Unde verbis *Castri Palai* postea utitur, qvi cum tradidisset, Gravitatem &
Levitatem rerum ex communi sensu Ecclesiæ & fidelium sumendam esse,
subjungit, fundari Ecclesiæ sensum in naturis ipsarum rerum; Aliqva enim
„ ita de se inordinata sunt, ut in qvalibet materia reputentur gravissima,
„ qvælibet enim Idololatria, Simonia, Juramentum falsum, Infidelitas, De-
„ speratio, Odium & Contemptus Dei, Irritatio Sacramentorum, homicidi-
„ um, pollutio, fornicatio & ss. de se gravem inordinationem habent & in
„ qvacunq; materia constituantur, non variant judicium: Alia vero ita le-
„ via sunt, ut nisi ex aliqvo accidenti extrinseco gravia esse non possint, ut
„ Verbum ociosum, scurrilitas & alia hujusmodi. Alia vero, quæ esto de
„ se gravia sint, non semper æqvalem deordinationem habent, ut Furtum
„ si fiat in magna vel parva Quantitate, variat enim multum judicium.

Sed

Sed Verborum Ociosorum, Scurrilitatis, Furti etiam levissimi rationem oportet æque coram Deo reddi, ac Delictorum aliorum. Quorsum ergo levitatis opinione securas reddunt Conscientias aut Distinctionibus coram Tribunali Divino inutilibus torquent legentium patientiam? Securior itaq; via erit nullam Actionem malam ex Charactere Levitatis æstimandi, sed omnes tanquam coram Deo gravissimas reputandi, illæ enim quæ aliis graviores sunt, non sunt simplices Actiones, sed Actionum plurium complexus.

VI.

Quærenti itaq;, *An mutare circumstantiam levem in Historia Sacra Scriptura sit Peccatum mortale?* Respondet *Diana* ex Ariaga *c. l. Ref. V.* Non esse, Narrantem ejusmodi enim Deo non inferre injuriam &c s. At nos opinamur omnino esse, pro verbo Dei enim jactitatur, quod verbum Dei non est. Sed tam grave non est, quam integram Narrationem loco Historiæ ex Sacra Scriptura supponere. Integra narratio talis enim est complexus plurium falsitatum, quæ deteriores sunt. Rursus in acceptatione personarum quoad beneficia agnoscit Parvitatem materiæ, ac negat esse Peccatum mortale, *quando munus, ad quod quis eligendus est, non est magni momenti, & prætermisso digniori eligitur dignus.* At tale itidem omnino est, προσωποληψία n. est, non tamen tam grave ac si muneri majori minus dignus admoveatur, in munere majori enim complexus plurium functionum est. Qv. *An in detractione detur Parvitas materia?* Affirmat itidem *Diana Resol. XV.* ut si ex industria aliquam parvam imperfectionem de aliquo narres. Nos negamus, Periculum læsionis enim nihilominus metuendum est; At tanti non est, qvam gravis calumnia quæ multiplicis læsionis fœcunda est. Et affirmat porro, *Resol.* XIX. *In rebus Venereis ut in Osculis, si non intendatur copula, dari parvitatem materia?* Sed Oscula vel plane peccata non sunt, vel pars Intemperantiæ, adeoq; Peccata gravia sunt & minimùm Factis Ociosis annumeranda, qvorum omnium si coram Deo rationem reddi oportet, sane vel horum reddi oportebit, adeoq; vel hoc respectu gravitatis nomen non effugient. At tanta non sunt, quam Concubitus quia hi complexus plurium malorum, illa Peccata simplicia sunt: Idem de aliis Q q. ejus dicetur. At unum adhuc addendum est: *An in prohibitione alienationis rerum Ecclesiasti-*

carum

carum detur parvitas materiæ? Affirmat *Resol.* VII. ex Capite *Terrulas* XII. Q. II. Idq; qvia in generali prohibitione alienationis modica non veniant. Sed Resp. Hæc alius Fori esse nec pertinere per se ad Forum Conscientiæ, sed ad Forum, Ecclesiasticum quidem, at nihilominus humanum: Quod veluti externa solùm, ita ex damno majori minorive non ex natura sua Actionum gravitatem æstimat.

VII.

Invenit vero & in Jure Civili locum ista Modici consideratio. Et *Tiraquellus* quidem, postqvam singulari *Tractatu de Judicio in rebus exiguis ferendo,* varios & neglecti & non neglecti Modici casus enarravit, profitetur id verum esse, qvod tradit *Ant. in c. si proponente in fin. extra de Rescript.* hanc materiam esse Brocardicam, nec in ea certam Doctrinam dari posse; Alii tamen non dubitarunt certi quid statuere, & inprimis *Decius* rerum leviorum ad minimam usq; rationem habendam docet, *quotiescunq; in minimo proportionabiliter eadem ratio sit, qua in magno aliquo*, apud eadem *Timqv. cit. Tr. in fin.* Quæ declaratio Sententiæ nostræ prorsus congrua est: Nam minimum quod eandem rationem habet ac majus aliud, certe qvalitate cum altero idem est, numero tantum inferius. Minima vero quæ hujus generis non sunt, non attenduntur qvidem, id tamen non ideo fit, quia Minima talium Actionum sunt, sed quia Minima qvidem sunt, at rem per se non contingunt, de quibus & accipiendum illud, Minima non curat Prætor, de qvo aliisve *V. Tiraqv. c. l.*

IIX.

Alii Modi, seu potius Modificationes Actionum, si fas est ita rem fere eandem distingvi, sunt *Aggressio*, quæ designat difficultatem considerationis vel operis; *Invasio*, quæ periculum & præsumptionem involvit & ss. *Cessatio, Remissio*, quæ suspensio Actionum & si sano sensu capiatur, non interruptio sed earundem veluti renovatio est. *Danda est remissio animis: Meliores acrioresq; reqvieti surgent. Ut fertilibus agris non est imperandum, cito enim exhauriet illos nunqvam intermissa fæcunditas, ita animorum impetus assiduus labor frangit: Vires recipient paulum resoluti & remissi.* Seneca *de Tranq. Anim. c. XV.*

CAP.

CAP. XI.

DE STATU HOMINUM.

I. *Monstrorum, Cambionum & natorum ex Succubis aut Incubis examen. An Monstrum membris quidem humanis, at capite ferino praditum baptizari possit? Quid de Monstris Bicipitibus sentiendum? Quid de Cambionibus? An baptizari possint? Natos ex Incubis esse tantum massam carnis formâ assistente instructam.*

II. *Abortivorum Consideratio & Jura, Abortus procuratio Homicidio aequiparanda; An baptizari queant? Quid de Posteris adeoq; non existentibus sentiendum?*

III. *Androgynorum Jura, cur abominationi sint? Castrationis origo? An rectè fecerint qui servanda Castitatis causa seipsos castravêre? An Castratio Juri Naturae congruat? Quid de Castratione Animaliû sentiendum?*

IV. *Examen Partheniorum s. Signorum Virginitatis; An Virginitatis major Sanctitas sit, quam Matrimonii? An Virgo servanda Virginitatis causa seipsam interficere possit?*

V. *Miseria Explicatio; An meliora tempora ante reditum Domini expectanda sint? An tempore Pestis fugiendû sit? An persona Ecclesiastica fugere liceat?*

VI. *An Mulier partui vicina sit in Articulo mortis? An liceat cum moribundo Amico pacisci, ut post obitum ad nos revertatur, & de Statu suo nos certiores reddat? Examen spoliationis & Pollutionis Cadaverû, Item violationis Sepulchrorum. An Corpora mortuorum debiti causa attineri possint? Quid de Paenis Cadaverum sentiendum? Explic. dicti,* Mors omnia solvit. *Si pater & Filius simul naufragio pereant, quis prasumatur citius periisse?*

I.

HOmo quia est *Substantia Intellectualis Corpori alligata*, tum ratione sui, tum ratione variorum Statuum suorum est Subjectum Moralium nostrorum: Non quidem universale & adaeqvatum;

Id enim est tota Natura Intellectualis; Tale tamen, in quo Intellectus noster se unice exercere potest, cum ad sublimiores istas naturas surgere nequeat, de qvo dictum *prac. Cap. I. §. IV.* Quæ naturam ejus concernunt præced. *cap. III.* ex parte dicta sunt. De vario ejus Statu præsenti capite pluribus dicendum est. Et primo quidem removenda sunt quæ Homines mentiuntur, aut alia ratione inter Homines reperta se Humano genere indigna gerunt, quales molæ, monstra, Fœtus suppositicii &c. quæ Homines non sunt, ideoq; nec Jurium Humanorum capacia sunt. De *Molis* jam aliqua attigimus *prac. C. II. §. VI.* Sed hæ ab hominibus quidem proficiscuntur, verum ne simile quidem aliquid cum homine habent, ideoq; minime omnium attendendæ sunt. De Monstris ex eadem ratione judicandum, si certum sit Humani Intellectus capacia non esse. Ideoque si quæritur, *An Monstrum natum cum Capite ferino at reliquis membris Humanis baptisari debeat?* Negative respondendum esse putamus, quia principale membrum exercendæ Rationi proportionatum non gerit; Intellectus humanus enim in Capite ferino habitare nequit: Neq; opus est suspendi solùm Baptismum, donec constet annon aliquos actus Rationales etiam in ferina illa specie editurum sit, quæ communis aliàs Responsio est; Nulli enim sequi possunt ob causam modo dictam. Tanto minus opus est suspensione judicii hac in re, quæ adhuc timidior est Navarri Responsio: *Quia Monstrum tale habeat omnia membra humana præter Caput, se nihil de eo judicare, sed remittere hanc partem ei, ad quem spectet de illa ferre judicium, ac declarare si censeri debeat Homo, an Brutum. Conf. L. III. tit. de Bapt. Conf. 3. Q. Quid de Monstris Bicipitibus aut parte aliqua sui Bicorporibus sentiendum?* Resp. Pro duobus Hominibus habenda, deprehenduntur enim communiter distincte sentire ac intelligere, ac proinde pro uno haberi nequeunt, quanquam Natura veluti pudibunda videatur ipsa detestari, ideo rarissime sunt vivacia. *V. Dian. T. I. Tr. I. Resol. 40. n. 6. Q. Quid de Cambionibus sentiendum?* Resp. Nos non improbare Lutheri Consilium de interficiendis illis. Causam idem reddidit, quia non sunt nisi Massa quædam Carnea eoque non animantur nisi per formam adsistentem malum spiritum. Duces Saxoniæ tamen & Principes Anhaltini secus censuerunt & Deum potius orandum esse duxerunt, ut monstrum è medio tolleret. Vid. *Lutheri* Tisch R. *Sect. XXIV. f. 213.* Inst. 1. *Si non nisi per formam adsisten-*

adsistentem animati sint, quorsum cades perpetretur? Resp. Ut demonstretur nos nulla ratione Dæmoni cedere. *Inst. 2. Forte pro Energumenis haberi posse.* Resp. Deesse signa omnemq; Animæ Rationalis operationem. Addendum tamen non ante consilium interficiendi locum habere, qvam certo constet Cambionem esse, ne in casu dubio homicidii rei peragamur. Similis Quæstio est *an baptizari possint?* quod affirmat Lutherus, quia primo anno non constet de natura eorum. Q. *Qvid de natis ex incubis sentiendum?* Resp. Exempla passim præstare, qvalia celebris istius *Merlini* Angli nati, ut ferunt A. CCCCXL. *Melusinæ*, ex qua Pictavorum Comites natos referunt Francorum Historiæ aliquæ, & Hunnorum totam nationem ex Alrunis Gothicis natam veteres produnt. V. *Jornandes de Reb. Gothicis*, Conf. *Lutherum l. cit. fol. 213.* Sagte / daß er selbst von H. Johanns Friedrichs / Churfürsten zu Sachsen / eine Historie gehöret hätte / daß ein Geschlecht von Adel in Teutschland gewesen / dieselbigen wären gebohren von einem Succubo. Qui veros homines putant, Satanam credunt instrumentum generationis hominum esse posse, applicando naturalia agentia passivis, ut Virtutem plasticam, ejusque vehiculum semen virile aliunde afferat, & qvam celerrimo motu locali & per fabricata ad id corpora atque instrumenta transferat atque applicet corpori fœmineo, ut inde sequatur conceptio, ita ut pater sit is, è cujus semine gignatur talis homo, mater verò ea, quæ semen excepit, & positis ponendis & collatis ex sua parte quæ juxta LL. naturæ conferenda sunt, concepit, gestavit, peperit. Sed dubium istam sententiam, quæ satis communis est, gravissimum hoc manet, quomodo semen ejusmodi sit prolificum & spiritus genitalis in eo conservetur, quod non sine aliqua temporis mora aliunde Diabolus transferri potest, cum certum sit semen extra Vas statim activum esse desinere. Ut proinde in ejusmodi casibus vel partus plane suppostitios, hoc est, veros infantes aliorum hominum esse credendum sit, vel rursus Lutheri sententia amplectenda, non veros esse homines, sed æque Diabolos, ac succubi & incubi homines mentientes.

II.

Sequntur Homines dubii, quomodo *Abortivos* non male dicemus. Ac de juribus eorum & humanis si quæ sunt, & sacris eo ipso quia homines dubii sunt benigniorem hanc sententiam eligimus, in

 dubiis

dubiis enim benigniorem interpretationem eligi fas est: Quia nempe incertum est tempus, quo Humanus fœtus anima Rationali vivere incipit; Hanc solam enim, non triplicem Animam regere corpus magna probatione haut egere autumamus: Fœtum Abortivum, quandocunque excutiatur utero materno, si in illo præter Lineamenta Fœtus humani propria vestigia vitæ appareant, jurium eorundem ac si ad plenam maturitatem pervenisset capacem esse. Causa, nam Anima Rationalis à primo momento Animationis fœtui tota adest; Homo ergo est, licet ob teneritudinem organorum ad officia humana nondum aptus. Unde & rei capitalis damnata habetur, siquæ partum talem medicamentis ipsa abegit. *L. 39. ff. de Pæn.* Id enim sustulit quod Homo jam tum fuit. Et de Resurrectione eorum non dissimile est ratiocinium *Augustini de Civ. Dei, L. XXII. c. 13.* Abortivos fœtus surrecturos non quidem in illa corpusculorum exiguitate, qua obierunt, sed quod eis tardius erat tempore accessurum, hoc eos in ipsa Resurratione opere celerrimo ac miro accepturos. *V. Mag. de Exust. Mundi L. V. c. IV.* De ministrando Baptismo in hujusmodi Casibus videndi inprimis, qui Baptismi Externi absolutam ad salutem necessitatem urgent, & in his in specie *Hier. Florentinius Diss. de Hominib. Dubiis Baptisandis.* De nondum existentibus videndus *Grotius J. B. L. II. c. IV. §. X.* cujus summa est, Naturali Jure ejus, qui nondum natus est nullum esse Jus, sicut nec ulla accidentia rei non existentis; At Jure Civili ut aliæ fictiones ita & hanc introduci potuisse, ut eorum, qui nondum sunt, personam Lex interim sustineat, atque ita impediat, nequid adversum hos occupari possit. Quod penitius examinari hujus loci non esse remur.

III.

In Statu Hominum in se quidem perfectorum, sed ratione certæ constitutionis imperfectorum considerandi *Androgyni & Eunuchi.* De Androgynis ex Historia Romana notum est, eos Prodigiis annumeratos fuisse: Ideo Lælio Licinio Crasso & Cassio Conss. puer ex virgine factus jussu Aruspicum in Insulam desertam deportatus legitur. V. pluribus *Tholos. cit. L. VII. c. II n. 9* Sed fuerit in Androgynis excessus aliquis naturæ, defectu certe, qui in hominem cadat, qua homo est, quia non laborant, humanitus juribus nullatenus exterminari possunt: Cur tamen abominationi sint, rationem in ipso excessu, quo laborant sitam esse su-

spicamur: Quia enim partium Naturalium nos pudet, nos horum maxime pudet, qui geminam pudoris causam in se habent. *Castratorum* jam in antiquissimis Historiis fit mentio; Eorum usus imprimis in oriente extitit, creduntur que à Semiramide introducti fuisse, quæ teneros mares castravit *Omnium prima velut vim injectans naturæ eandemq; ab instituto cursu retorquens.* Amm. *Marcellinus L. XIV. Hist.* Inter Christianos celebre exemplum est Origenis Adamantij, qui falso castitatis respectu virilia sibi ademit; Et nostro tempore Anno MDXC. celebris in re Hispano - Portugallica Scriptor *Ambrosius Morales* obiit, Vir in rebus humanioribus & antiquitate patria indaganda egregie doctus, qui *a sodalibus ordine motus est, quod vesano impetu instigante ad frenandas libidines sibi virilia exemplo Origenis amputasset.* Thuanus *L. XCIX. in fin.* Pœna certe non injusta, Actus ejusmodi enim non tantum juri naturæ adversantur, sed ne proposito qvidem fine Autores suos potiri patiuntur, nam facultatem quidem, sed non animum exercendæ libidinis tollunt Cæterum Castrationem *Jure* civili prohibitam esse notum est *ex L. 6. ff ad L Corn. de Sic. it. L. 4. ff. eod.* Juri naturæ verò etiam non congruere, vel ex eo liquet, quod nemini competat evertere statum universæ rei humanæ; Sexus vero status talis est. Prob. Qvia judicatur res inutilis, cujus utilitatem ipse Creator ratam habuit. Instantiæ de usu ejus Resp. non esse nisi utilitatem per accidens, An vi Dominii hominis in membra sua fieri possit, dicetur infra *C. XV. Q. Quid de Castratione animalium sentiendum?* R Disparem rationem esse, animalia enim in usus humanos condita, jam vero castrata majori usu sunt, quam integra, quod in Equis, Bobus & vervecibus apparet. An Eunuchi sint capaces matrimonii expositum *Med. Pol. Diss. VII. §. XII.*

IV.

Pergimus & præterito statu Hominum non natura, sed ob causas externas imperfectorum, vel potius nondum perfectorum, quales infantes, pueri, pupilli, minorennes, sexus item discrimine, unde mares & fœminæ, de iis quæ ad Virginitatem pertinit aliqua dicenda sumimus. Et primo quidem *de Partheniis seu signis Virginitatis* prolixæ Qq. extant apud scriptores omnium fere Facultatum; Theologis etiam in specie meditandi occasionem præbuit celebris illa Lex *Deut. XXII. v. 1. &*

 seqq.

seqq. Cum duxerit quis Uxorem, si postquam congressus est cum ea, odit eam ideoq; dedit occasiones habendorum sermonum de ea proferens de ea famam malam, dixitq;, mulierem hanc duxeram, sed congressus cum ea non inveni in ea virginitatem: Tunc accipiet pater puellæ aut mater ejus & proferent signa virginitatis puellæ apud seniores civitatis suæ ad Portam &c. Modus proferendi hæc signa sequitur sequenti *v. XVII. Dicetq; Pater Puellæ Senioribus &c. Hæc sunt signa Virginitatis filiæ meæ. & expendet pannum ejus coram Senioribus Civitatis.* Similia exempla habentur apud Muhammedanos Africanos, qua de re vid. *Joh. Leonem Descr. Africæ Lib. III. c. XXXIV.* & apud veteres Anglos, veluti *Henr. Bractonem* de Rapta Raptorem persequente: *Accedere debet ad villas vicinas, & ibi injuriam sibi illatam probis hominibus ostendere, Sangvinem & vestes suas Sangvine tinctas.* Apud *Selden. Ux. Ebr Lib. III. c. I.* Sed Parthenia ista seu Signa Virginitatis valde incerta sunt, si Virginitas accipiatur pro integritate vasorum muliebrium ex conjunctione viri non distractorum, si non plane nulla sunt, neqve hymenem aliqvem, in hoc enim signa ista recumbere creduntur, nisi in tribus inter mille ab ipso dissecta virguncularum cadavera invenit Fallopius, Columbus etiam vix in una & altera, Laurentius in nulla, imo Mercatus à nullo Anatomico visum affirmat. Eadem JCtorum est sententia, ideo, an sit Virgo in difficili ac pene impossibile esse judicat *Cujacius Observ. L. XVII. c. XXVII.* Adde *Alberic. Gentilem de Nupt. L. VII. c. IX. Car. Annibal. Fabrotum Exercit. III.* aliosve ap. *Selden. Ux. Ebr. Lib. III. c. I.* & inprimis *Zacchariam Qq. Medico Legal. L. III. Tit. II. Q. I.* Locum Biblicum quod attinet, de eo notandum 1. Virgines non promiscue accusatione tali gravari potuisse, sed unice Israelitidem, quæque dotem quinquaginta Siclorum habebat, & deniq; inter Sponsalia & primas amplexus devirginatam, quæ nisi essent, querelæ huic locus non dabatur, tanto minus supplicio. 2 Verba de *Sindone seu vestimento expandendo*, quibus Parthenia indicarentur, uti etiam verba illa Patris puellæ, *Hæc sunt Virginitatis filiæ meæ signa* receptiori sententia intelligi de Testibus Virginitatis, qui ex Sindone (signantius hic, velut eo quod subinde probationem suppleret manifestissimam compendiosamque memorata) aliter rem explicarent in forum adducti, non de ipsa Sindone ibi revera nedum semper expansa. *Selden. Ux. Ebr. cit. Lib. III. c. I.* In Statu com-

comparato Virginitatis & Matrimonii Qv. *An Virginitatis major castitas & sanctitas sit quam Matrimonii?* Quod affirmari à Catholicis notum est, ideo tot extant eorum scripta de bono Virginitatis, allegantqve inprimis dictum Pauli *I. ad Corinth. VII. 33. 34. Is cui non est uxor curat quæ sunt Domini sui, quomodo placeat Domino suo: Et is cui est uxor sollicitudine tenetur mundi, quomodo placeat uxori suæ.* Resp. Virginitatem in se & directe spectatam nihilo plus sanctam esse, qvàm matrimonium, necque illam plus emolumenti addere Religioni, nisi per accidens, & respectu circumstantiarum intervenientium; Sic prisci Patres censuere de Matrimonio: *Perfecti Christiani edunt, bibunt, contrahunt Matrimonium,* inqvit *Clem. Alexandrinus Lib. VII. Stromat. Matrimonium non solum nihil nobis obstat ad Philosophandum DEO, si voluerimus esse sobrii, sed & magis adjuvat meditantes; comprimit enim insanum naturæ impetum, nec turbari sinit quasi mare, sed efficit ut Scapha feliciter in portum appellat, & ideo Deus consolationem hanc tribuit humano generi,* Chrysost. *Homil. 21. in Genesin.* Ad dictum Pauli. 1. applicamus Augustini verba de Virginitate cap XVI. Paulum nos modeste dehortari à Matrimonio non tanqvam à malo, sed tanquam ab onere. 2. Opinamur in hoc ipso dicto elucere, longe graviorem incurrere posse molestiam cœlibes, qvam conjugatos: Cœlibes enim licet minus curarum, plus tamen periculi habent, conjugati è contrario minus vel prope nihil periculi, at majora onera; Conjugati enim necessitatibus hujus mundi dum pro viribus suis satisfaciunt, molestias aliqvas experiuntur quidem, sed ideo non peccant, nec Deo adversantur; Cœlibes contra hujus generis curis non implicantur quidem, at in alia scena longe plus curarum & periculi habent, hoc est, ut sint corpore & animo sancti seu immunes ab omni carnis desiderio, hoc enim nisi perfecte absit, cœlebs functioni suæ se subducit, eoq; peccat, qua cura conjugatus non tangitur, quippe qui remedio divinitus concesso sibi providit. *Inst. Conjugatum quærere, ut placeat Uxori* Resp. eo ipso tamen non peccare, cum omnia hujus mundi negotia rite geri queant servata subordinatione ad Voluntatem divinam, atque hac in parte iterum plus periculi in cœlibe, quam in conjugato, qvi statim atq; à studio puro corpore & spiritu placendi Deo deficit peccat. Conf. *Taylor. Duct. Dubit. L.* III. c. IV. *n.* XX. Qv. *An Virgo conservandæ Virginitatis causa se-ipsam*

ipſam interficere vel mortem præoptare poſſit, quam ſtuprum ferre? Caſum hunc in terminis proponit & egregie ſolvit *Auguſtinus de Civ.D. I. 26.27.* Quo judicio Dei in corpora continentium libido hoſtilis peccare permiſſa ſit. *ib. c. 28.* Exempla pro Affirm. paſſim proſtant; Apud Chriſtianos veteres celebre eſt Exemplum S. Pelagiæ de qva *Chryſoſtomus Tom. 1. oper. Pelagia Virgo XV. annos nata ſponte ſibi necem maturavit, parata quidem erat ad Cruciatus tormentaq; & omne ſuppliciorum genus perferendum, ſed metuebat tamen, ne Virginitatis Coronam perderet.* Lib. III. de Virginitate, adde *Frontonem Ducaum ad h. l. n. 628.* Sed ne primo opponamus Exempla Abrahæ & Iſaaci, Conjugũ caſtitatem vitæ ſuæ poſtponentium; Dicimus 2. Virginem ejusmodi caſu vitiatam, non minus virginem coram Deo eſſe, qvam ſi ſtuprum non patiatur, imo majorem cauſam Martyrio ejus ita addi, quia non tantum tormenta, ſed ipſam infamiam licet materialiter tantum paſſa eſt. Una Inſtantia videtur aliquid dubii relinqvere; Metuendum eſſe, ne dum in abuſum trahuntur, voluptatis aliqvo ſenſu afficiantur eoqve peccent. Sed Reſp. certum peccatum, qvale homicidium ſuiipſius, non eſſe committendum ob metum peccati incerti.

V.

Poſſent jam plura ſubjici de diverſis Hominum Statibus ratione ætatis & officiorum, ut Juvenum, Virorum, Senum & innumera hujus aliorumve generum alia; Sed multitudine ſua paucas haſce lineas ſuperant, ideo ſatis hic fore duximus ſi Hominem in Statu afflicto adhuc ſpectaverimus, qvem generaliter nomine *Miſeria* exprimi poſſe autumamus, *Miſeria enim eſt Status afflictus Hominum.* Et de Miſeria Animi quidem integram partem abſolvunt Catecheſes noſtræ, eamque primam, de Hominis Miſeria, qua pluribus videndæ. An Status hujus plane eadem facies menſura & annon ſublevatio qualiscunque adhuc expectanda ſit, tangitur celebri illa Quæſtione, *An meliora tempora ante reditum Domini ad Judicium expectanda ſint?* Qvam licet malitia Humani Ingenii affirmari non patiatur; Duriuſcule tamen & illi nobis ſentire videntur, qui tempore præterita meliora aut futura deteriora noſtris fore cenſent: Nimis ſane injurioſa eſt iſta Lyrici cantilena: *Damnoſa quid non imminuit dies, Ætas parentum pejor avis tulit Nos nequiores,*

res, mox daturos Progeniem vitiosiorem. Vitia utiqve nostra tempora habent, sed numero, non qualitate antiqvis temporibus superiora. Et Christi quidem certissima prædictio est de futura miserie temporis novissimi; Sed tempus istud novissimum Reip. Judaicæ erat, non rei humanæ: Certos Homines adeoque certas Societates aliquando in deterius labi negandum non est, ac totam rem humanam in pejus ruere nimis inconsiderata de Homine Humanisque actionibus speculatio est. Conf. *Notic. Dign. Ill. Dus. I. c. I.* §. III. Miseria corporis magnam partem in Morbis sita, quos quia natura nos nobismet ipsis justissime commendat, juste aversamur & eo quidem studiosius, quo certior ab illis pendet interitus. Unde Pestem maxime aversamur, ob valde probabilem ab ea nobis imminentem interitum. Qv. *An tempore Pestis fugere liceat?* Resp. Aff. Secessus iste enim est inter naturales præcautiones adversus contagium, cui quæ propius absunt magis sunt obnoxia: Præterea tempestiva in loca salubriora demigratione quotidie liquet plurimos conservari: *Beza Qq. de Pest. p. 27.* Inst. I. *Hos etiamsi domi mansissent, servandos fuisse.* Respondet Beza, eodem modo cæteras quoq; omnium periculorum præcautiones & remedia elisum iri, sicque non tantum medicinam, verum etiam prudentiam omnem & solertiam, qvæ vitandis periculis omnis generis adhibetur ridere nos ut res supervacaneas oportere: Deum itaque ut vitæ nostræ cursum præfinivit, ita causas medias, quibus ad vitæ conservationem uteremur, ordinasse. Inst. II. *Frustra fugæ remedium adversus pestem quæri, cum id quod à Deo constitutum est, effugere non possimus.* Respondet iterum Beza, idem de secundis omnibus mortis causis assertum iri. *Age igitur neq; comedamus, nec bibamus, neq; remedia adversum ullos morbos quæramus, inermes etiam milites in aciem prodeant, quoniam vitari mors à Deo constituta non potest. Sed res ita se habet: Vitari certè neq; mors, neq; mortis tempus à Deo constitutum potest: neq; idcirco comedimus, aut remediis adversum morbos utimur, aut adversum hostes armamur, quasi obsistere Deo cogitemus: sed quoniam iis penes Deum relictis, quæ nos celatos voluit, iis utendum nobis est, quæ, Deo ipso præeunte, nobis dictat natura esse ab ipso constituta, ut vitam quoad ipsi libuerit producamus: quod nisi faciamus, Deum tentare & gravissimè offendere meritò existimabimur, tantum abest ut rationes vitandæ mortis ab ipso*

 præscrip-

præscriptas usurpantes in ipsum peccemus, etiamsi frustra illis interdum utamur: quando videlicet exitus patefacit, tum nobis moriendum, qvum nobis adhuc prorogandam vitam opinaremur. Sic reprehenditur Asa, non quòd Medicos accersiverit, sed quòd in Medicis spem vitæ posuerit. Sic postquam docuit experientia contagionem in res vicinas potius quàm remotas serpere, accusandus non erit, qui nulla officii Christiani parte neglecta, sese familiamque suam subduxerit, imò verò maximè reprehendendus erit, qui temerè sese & suos in contagionis periculum conjecerit, qvum teste Apostolo sit infideli deterior, qui suorum curam tantam non gerit, quantam salua pietate ac charitate habere debet. Itaque fugere fas est: Nec tamen promiscue, sed tunc demum, si citra officii neglectionem & publicum offendiculum fieri possit. Unde conjux à conjuge, etiamsi pestis alterum invasit, salva conscientia deseri non potest, naturalis necessitudo enim qua ligati sunt, eos arctius stringit, quam ut desertionem cogitare possint: Et fidum Pastorem vel de unica Ovicula per secessionem deserenda, quo tempore præcipue consolatione indiget, nimium turpe fuerit cogitare. Iterum *Beza p. 30. Q. Quomodo ægrotis in postulanda suorum præsentia affectiis esse liceat?* Resp. Ita ne ex Reip. aut Ecclesiæ incommodis, quæ ex illorum interitu, quos præsentes desideramus, imminere potest, nobis consuluisse existimemur. Vid. pluribus *Beza Qq. de Peste*, & e Catholicis in specie de officio personarum Ecclesiasticarum in hisce Casibus *Joh. Chapeaville de Necessitate & modo Ministrandi Sacramenta tempore Pestis.*

VI.

Ultimus Status Hominum *Status Mortis* est, ille nimirum quo vivere in Terris desinimus: Et si inter vivos nobis adhuc agentibus humana media, quibus vitam servemus, non amplius supersunt, dicimur *in Articulo Mortis* esse: A quo differt *periculum mortis*, Status in quo homines freqventer moriuntur. Mulier partui vicina, si difficilem soleat experiri partum, dici potest in mortis periculo esse, in mortis Articulo v. neutiqvam: Imo utplurimum ne in mortis periculo qvidem dici possunt versari, licet Partui vicinæ sunt: Mortis periculum enim est, in quo Homines frequenter moriuntur, sed in Partu mulieres haut freqventer pereunt. Vid. *Dian. T. I. Tr. V. Resol. VI.* Qv. *An liceat cum Amico moribundo pacisci, ut post obitum revertatur, nosq; Status sui certiores reddat?*

reddat? Resp. Neg. 1. Quia à pietate alienum est ea velle discere & curiose scrutari, quæ Deus vult nos utiliter ignorare. 2. In Potestate Animarum non est ea deserere loca, in quæ Divino jussu semel migrarunt. Vid. *Comitol. Resp. Moral. L.* IV. *Qv. V.* De metu Mortis & præparatione ad eandem dicetur infra *cap. XV. §. II.* In Statu Hominum mortuorum vero fundamentale principium est, Mortem conservare hominem in eo Statu, in quo decedit: Si enim inter vivos id, qvod naturaliter non sumus, vi juris esse sæpe fingimur, quid ni mortuo etiam in memoriam rerum ante actarum hoc beneficium prodesse patiamur? E. vulgatis exemplis est, quod Mulier moriens in Viduitate vel cœlibatu semper dicatur esse in eo Statu, ut conditio ejus censeatur perpetuo impleta; Et fatuus si moriatur in fatuitate, licet non dicatur post mortem fatuus, non tamen mutat Statum, ut dicatur sanæ mentis: Ideo Legatum factum alicubi, donec talis fatuus efficiatur sanæ mentis, efficitur perpetuum, si fatuus in fatuitate decessit. *Cardin. Tusch. Tom. V. Conclus. CCCLXXXVII.* Unde seqvitur 1. *Mortuum spoliari non posse*, præsens iste ejus Status enim ipsum non reddit deteriorem, qvam erat, cum vivus esset; Vivo autem talis injuria inferri non poterat. II. *Nec alia vel reali vel verbali injuria affici posse* ob causam eandem, unde cadaver elatum conspuisse capitale habuit Heraclius Imperator, cujus exempla aliave huc pertinentia vid. ap. *Tholos. Synt. Lib.* XXXIII. *c.* XXIII. *n.* 23. 24 Quo referendum etiam dictum: *De mortuis & absentibus non nisi bene.* III. *Illiciti concubitus cum cadaveribus fæmineis* eandem ob causam sine dubio improbandi sunt, cui altera adhuc accedit gravior, Sodomiæ crimen, à qvo absolvi non possunt, qui sceleris hujus rei sunt; Concubitum enim instituunt ea parte, qvæ concubitus capax non est. Inter exempla nota est fabulosa de Carolo Magno & Amoribus ejus Aquisgranensibus relatio; Et in veteri historia apud *Herodotum Lib. V.* Periandro Oraculum nimios adversus Melissam defunctam uxorem amores exprobat, ipsum panes immisisse in frigidum furnum. IV. Ex eodem principio seqvitur, *Illicitam esse Sepulchrorum Violationem*, qvam ideo etiam læsæ religionis crimen vocat Gordianus Imperator *L. I. C. de Sep. Violat.* propria nimirum ratio est, mortem conservare hominem in eo statu in quo decedit. E. conservat etiam in Jure possidendi ea, qvæ ipsi data sunt. Excepit Paulus JCtus Sepulchra hostium: *Sepulchra Ho-*

stinm religiosa nobis non sunt, ideoq; lapides inde sublatos in quemlibet usum convertere possumus. L. 4. ff. de Sepulch. Viol. Cujus rationem reddit Grotius, qvia sicut Sacra loca ab Hostibus capta, ita & Religiosa talia esse desinunt. *J. B. Lib.* III. *c. V.* §. III. Accedit, quod in bello in hostium Vitam & fortunam qvidvis liceat, E. in mortuos etiam; Si enim superessent, itidem hostes forent. Qv. *An corpora Mortuorum debiti causa attineri queant?* Resp. Negativa in Jure Civili non ignota est; In memoriam humanæ Conditionis enim Sepulturæ tradi corpora laudandum est. *L. 27. ff. de Cond. Inst.* Vid. pl. *Tholosanum l. ante cit. n. 25.* Inter exempla nobile est *Wilhelmi Conqvestoris*, quem mortuum Ascelinus Fiz-Arturus ob causam talem attinuit; At Gallorum veterum contrariam consvetudinem allegat *Taylor. Duct. Dub. Lib.* III. *c.* II. Illos neminem debitorum causa vivum carcere detinuisse, nisi sententia judicis ad eum condemnaretur; At post mortem ejus solutionem ursisse pertinacius, allegatq; hoc fine Casparum Beatium tales versus ex Joh. Girardo JCto non malo citantem.

Hem Principes, Duodecim
Tabulæ inopem crudeliter
Quæ debitorem dissecant
Aut jura, mores publici,
Quæ carceribus illum misere
Et opprimunt & enecant,
Nimis mihi, nimis displicent.
Qui Gallum habuit mos bonus
Idem & verus probabitur
Nimis mihi cuiq; & bono,
Quo creditores debita
Petunt sibi post funera.

Qvæ concludamus verbis Ambrosii *L. d. Tobia, c. X. Quoties vidi à fæneratoribus teneri defunctos pro pignore & negari tumulum, dum fænus exposcitur. Quibus ego acquiescens dixi, Tenete Reum vestrum, & ne possit elabi, domum ducite, claudite in cubiculo isto carnificibus duriores, quoniam quem Vos tenetis carcer non suscipit, Exactor absolvit.* Qv. *Quid de pœnis cadaverum?* Resp. Eas fieri 1. In crimi-
nis

nis seu veri seu intentati detestationem. 2. In declarationem corpus istud, dum vivum esset, pœna tali dignum fuisse, quod pluribus demonstratum *Med. Pol. Dissert. XV. §. X.* Inst. *Mors omnia solvit.* Resp. Id ipsum confirmare sententiam nostram in debito sensu acceptam: Mors utique personam, sed non jura personæ adhærentia tollit; Itaq; licet in medio actionum suarum quis naturaliter moriatur, non tamen ideo civiliter desiit, sed statum illum servat, in quo decedit, neq; alio sensu solutus esse dicitur, quam negative, hoc est, novis actionibus non potest implicari. Conf. *Summa Angelica* in Qv.: *An si mortuus resurgat, priorum dignitatum & functionum omnium capax sit?* Voce *Mortuus.* In Statu comparato plurium simul mortuorum illum citius mortuum esse præsumunt, qui citius mori potuerit, ut si Pater & Filius naufragio simul pereant, Pater citius periisse creditur: Item in casu dubio de marito & uxore simul mortuis, mulier præsumitur primo mortua ob majorem fragilitatem. Vid. *Tusch. l. ante cit. Conclus. CCCCI.*

CAP. XII.
DE
VIRTUTE.

I. Natura Boni Moralis explicatur.
II. An Virtus in mediocritate consistat.
III. Utrum res Bonæ sint, quia Deus eas voluerit, an Deus eas voluerit, quia Bonæ erant?
IV. Nihil Morale esse, quin ratione ex natura rerum petita nitatur: Moralia licet nulla Lege jubeantur, nihilominus æque servanda esse: Moralia apud omnes eadem & æterna esse: An omnes Virtutes in altera vita superfuturæ sint? Quid de VII. Præceptis Noachicis sentiendũ?
V. Virtutes Brutorum, & Gentilium: Virtutum Christianarum Examen; Quomodo Christiana Religio Virtutem doceat? Dictamen S. Scripturæ in ipsis Historicis non solùm instar exemplorum Virtutum & vitiorum haberi posse.
VI. An Virtus sibi ipsi sit præmiũ?
VII. Consequentia Boni Moralis ex Stoicorũ Philosophia illustratur: Quæ in re Stoicæ Virtutes, a Christianis differant?

 IIX. Na-

IIX. Natura Mali Moralis: Cur vitia sine quiete & ordine?
IX. Scandalorum explicatio: Cur Scandalum acceptum non sit Scandalum?
X. Resipiscentia natura: Minimum momentum quodvis post Peccati commissionem, quo suspendimus Resipiscentiam nostram novum peccatum esse.

I.

DE Virtute seu Bono Morali jam acturis initio ex Philosophia Rationali dicendum est, omne Bonum præsupponere Verum: Quod Bonum est, Verum esse oportet; Quod Verum est Bonum secum attrahit; Quod Verum non est, nec Bonum esse potest. *Verum* autem appellamus *quod cum Natura rerum conforme est*: Quod enim à natura rerum discrepat, verum non est, sed figmentum & falsum est. Metaphysici communiter Verum vocarunt, quod congruit cum Intellectu: Non male, Intellectus enim non potest apprehendere, nisi quæ vera sunt; Quæ vera non sunt ab Intellectu apprehendi non possunt, aut si apprehendantur, nunquam tamen aliter, quam sub specie veri apprehenduntur. Neque tamen ideo Vera sunt, quia cum Intellectu congruunt, sed cum Intellectu congruunt, quia Vera erant, ob rationem quam modo reddidimus, quia nisi Vera sint Intellectus ea apprehendere non potest. Verum ergo omnino est, quod congruit cum Intellectu, non tamen ideo Verum est quia congruit cum Intellectu, sed quia congruit cum Natura Rerum; Et quia cum hac congruit, cum Intellectu etiam congruit, seu, potius Intellectus congruit cum eo; Intellectus enim nihil nisi quod verum sit apprehendere potest. Hæcque jam porro ad propositum nostrum translaturi repetimus ex Cap. III Rationem in Facultate cognoscendi res in natura sua sitam esse, quod eodem sensu hic dicetur, sitam esse in facultate res vere cognoscendi; Si enim Veritas sita est in conformitate cum natura rerum, jam facultas cognoscendi res in natura sua, erit facultas eas vere apprehendendi, æque ac ea, quæ vere non apprehendimus, nec in natura sua, adeoque nec secundum Rectam rationem apprehendimus. Ex eo autem Natura Boni Moralis planissime sequitur, quod veluti receptissima sententia situm est in Dictamine Rectæ Rationis, ita eo ipso situm est in conformitate agendi secundum naturam rerum, secundum hanc enim si non agimus, nec secundum Dictamen Re-

ctæ

ctæ Rationis agimus, & contra eam si agimus, male agimus; Bene autem agimus, si juxta eam agamus; Et juxta eam si agimus, eo ipso vere agimus, cujus conseqvens necessarium est, ut bene agamus, qvia omne Bonum Verum præsupponit, omne Verum Bonum post se trah t, & nisi vere agatur, nec bene agi potest. Breviter, agere secundum naturam rerum veluti est vere agere, ita etiam est bene agere & ideo bene agimus, quia vere & secundum naturam rerum agimus, conseqventer Bonum Morale quia situm est in Dictamine Rectæ Rationis, non aliud est quam propositum vere, h. secundum naturam rerum agendi: Et è contrario quod discrepat à natura rerum, veluti Rectæ Rationi conforme non est, ita nec Verum, eoq; non Bonum, sed Malum est. Pro Speciali explicatione addimus, Conformitatem veluti tribus istis partibus absolvitur, conservatione, perfectione & ampliatione rei, ita conforme cum natura rerum esse, quod eam conservat, perficit & auget. & cujus contrarium eandem destruit. Sic Pietas est Bonum Morale, agnoscimus enim naturæ rerum congruere, ut Creatura Creatorem reverenter colat, Impietas contra Malum Morale est, turbat enim naturam rerum, quia tollit respectum inter Creatorem & Creaturam Quæ pluribus illustravimus & eodem sensu *Juri Naturæ* attribuimus *Pol. Parall. Disf.* II. §. II & IV. Neque enim Jus Naturæ à Bono Morali opinamur magnopere differre, nisi qvod potissimum respectum suum inter homines obtineat, quemadmodum *Honestas* quoque à Bono Morali non aliter differt, nisi quod sit Bonum Morale inter homines; Deum enim & Angelos licet sanctissime agant omnia haut commode tamen dicimus honeste agere. Applicationem ad tria Juris Principia, *Honeste vivere, Neminem lædere, & Suum cuiq; tribuere*, quodque illa Juris Naturæ eoq; Boni Moralis sint proxima conseqventia itidem docuimus cit. *Disf.* II. §. *IIX.* Imperatoris dictum, *Jus Naturæ esse, quod Natura omnia animalia docuit* consideratum *ibidem* §. *V.*

II.

At vulgo Virtutis, seu Boni Moralis natura ex *Mediocritate* æstimatur; Non prorsus male, ita enim cum universa natura rerum comparatum est, ut in medio reqviratur esse: Sanitas, via, & omnia alia in medio sunt, à qvo si receditur, in infinitum abitur, qui excessus est, aut plane non agitur, qui defectus est: Sic in via si plane non procedamus, deficimus, si extra eam tendamus, præsto est in infinitum evagandi copia,

& quie-

& qvicqvid in natura rerum est, si extra mediocritatem ponatur, aut in infinitum tendit, aut nihil est. Monemus tamen 1 Mediocritatem non naturam Virtutis absolvere, sed tantum consequens ejus esse; Non ideo enim actio nostra virtuosa est, quia mediũ tenet, sed medium tenet, qvia cum natura Rationali congruit adeoq; virtuosa est. 2. Mediocritatis terminũ sensu valde ambiguo hic usurpari; Excessus enim inter quem & defectum Virtus collocatur, proprie simulatio, non excessus virtutis est, superstitio pro excessu Pietatis habita simulatio Pietatis, Prodigalitas excessus Liberalitatis, simulatio Liberalitatis: Verus excessus Virtutis nullus datur; Amplitudines enim Virtutum nullis finibus cohibentur, sed qvanto majores sunt atq; auctiores, tanto etiam existunt laudatiores, *Agell. Lib. IV. c. IV. fin.* *Mensura Charitatis est sine omni mensura esse.* Taulerus: Confer. *Besold. Axiom. P. II. pag 63.*

III.

Pergimus & in Fontem Bonitatis Moralis inqvirimus, quis ille sit, & ubi qværendus, utrum in natura rerum, an in Voluntate Divina, seu *utrum res Bonæ sint, quia Deus eas voluerit, vel an Deus eas voluerit, quia Bonæ erant?* Quod Theologi Scholastici Phrasibus suis accommodarunt, Quæstionemq; formarunt: *Utrum res Bonæ sint antecedenter ad Voluntatem Divinam*, h. nostro sensu, an ideo Deus eas voluerit, qvia bonas viderit, vel *an Bonæ sint consequenter ad Voluntatem Divinam*, h. ideo Bonæ redditæ sint, qvia Deus tales voluerit? Cui ut respondeamus, præmittendum est de causa formali & proxima, h. è qua immediatè res fluit ac demonstratur, Quæstionem esse, non simpliciter de Causa Efficiente, hanc enim in Deo tanqvam omnium autore recumbere extra dubium est: Atq; hoc præsupposito autumamus Bonitatis fontem in natura rerum situm esse, h. ideo Deum voluisse rem bonam, quia talem esse vidit Deus enim vult, ut ipsi obtemperemus, non primo statim qvia vult, sed qvia naturæ rerum ita congruit, ut inferius superiori, dependens ei à quo dependet, se accommodet: Ratio est, qvia alias inferioris & dependentis destructio seqvitur, qvam unumquodq; quod est vitat, qvantum potest. E. Ratio Obedientiæ Deo præstandæ in natura rerum sita est, exigitq; eam Deus non vi Voluntatis suæ, sed qvod connexio rerum eam reqvirat: Seu quod perinde est, ratio Demonstrandi Obedientiam Deo debitam non pendet ex Voluntate Divina, sed ex con-

nexione cum natura rerum. Confirm. Quia si obedientia Deo præstanda unice in voluntate Divina recumbat, quærendi occasionem tamen iterum esse, cur Deus ita voluerit, & si Voluntatem Divinam obtendas, quæstionem denuo esse cur, ut ita loquamur, voluerit id velle, & ita progressus fiet in infinitum, vel nihilominus ad rationem, quam modo reddidimus veniendum erit. Similes rationes de Amore Dei, de impletione promissorum Dei, aliave, quæ omnes eodem ordine sententiam nostram confirmant. II. Si res omnes essent conseqventer bonæ ad voluntatem Divinam omnes vel æque immutabiles, vel æque mutabiles in Bonitate sua forent, h. Deus illas, quæ mutabiles sunt, potuisset immutabiles statuere, vel illas quæ immutabiles sunt potuisset mutabiles reddere. Jam v. multæ sunt, quæ non possunt non immutabiles esse, h. Deus non potest eas aliter velle, ut Justitia, Pietas aliæq; virtutes, quas Deus necessario vult & si non vellet, vellet aliquid quod infra perfectionem Divinam esset: Bonæ ergo sunt quia immutabilem connexionem cum Natura rerum habent, quæ quam diu est, tamdiu Deum quoq; eas velle oportet. At aliæ quia connexionem cum natura rerum non habent, Bonitate sunt mutabili eoq; possunt desinere Bonæ esse, u Sacrificia, quæ Deus olim voluit, nunc verò non vult amplius. Si instes *Voluntatem Divinam esse rerum omnium causam*: Resp. Esse quidem, sed Deum interea rebus addidisse connexionem suam, ut una alterius causa proxima esset: Sic enim effectuum naturalium causa universalis itidem Deus est, sed proximam in ipsa natura quæri oportet; Simile est de rebus moralibus judicium ferendum erit, idq; tanto certius, quod non ad Hominem solum & Creaturas, sed ad ipsum Deum quoq; pertineant. Clarius: Deus necessario vult, sed vult, quia est, cum non posit non esse; Quia enim est perfectissimus, necessario est, aut si esse non posset, nec perfectissimus esset, quæ æternæ Legis connexio est. Voluntas Divina ergo Naturam Divinam præsupponit & consequenter aliquid est, quod ex Voluntate Divina non fluat. Concludimus ergo, Deum velle quidem omnia, sed tamen aliqua eorum Bona esse, non quod immediate à Dei Voluntate proficiscantur, sed quia in talem rerum ordinem divinitus compacta sunt, è quo necessario sequantur: Quæ si Deus deinde etiam voluisse animadvertatur, ut cultum sui, honorem Parentum &ſ. ea ex universali connexione rerum egressa, divinitus autem confirmata esse censebuntur. Interim

alia esse, quæ consequenter ad Voluntatem Divinam Bona sint, Leges Forenses, Cerimoniales & quæcunq; aliæ Positivæ Divinitus latæ non sinunt nos dubitare; Hæ omnes enim ita præceptæ sunt, ut aliquando eas non voluerit, & nunc etiam ex parte nolit, ut Sacrificia, Circumcisionem &c.

IV.

Hinc itaque sequitur I. *Nihil Morale esse, quin ratione ex natura rerum petita nitatur, & è contrario ea, quorum ratio ex natura rerum reddi non potest, non esse Moralia*; Moralia enim ex æterna rerum connexione fluunt. Unde Præceptum de colendo Deo Morale est, insolubilis enim connexio est respectus inter Creaturam & Creatorem, quia effectus nunquam potest negare dependentiam à causa sua, aut siquid ejus fiat, eo ipso contradictio involveretur: Effectus enim sine dependentia à causa sua non est effectus, sicque Creatura sine Creatore non est Creatura, & consequenter ut Creatura sit, Deum ab ea coli oportet, ne sibi contradicat, seque ipsam evertat. E contrario Lex Circumcisionis & universæ LL. Sacramentales Morales non sunt, naturaliter enim non significant effectum rerum, quibus attribuuntur, eoque nec naturaliter eas cognoscimus, vel naturaliter in eas consentimus. II. *Moralia licet nulla Lege jubeantur, nihilominus æque servanda esse; Et si qua etiam Lege Divina vel Humana jubeantur, Moralia ideo non effici aut formari, sed confirmari & illustrari.* Quod pluribus illustratum *Pol. Parall. Diss. II. §. VII. init.* III. *Apud omnes eadem & æterna esse*; Essentiæ rerum enim æternæ sunt, & æternus earundem ordo. Sic Deus ab æterno Bonus, Sanctus, Justus fuit, Æterna enim Attributorum horum cum Natura Divina connexio est. Nam Deus est Ens perfectissimum; At his carere imperfectionem involvit. *Sed an omnes Virtutes æque extiterunt vel extituræ sunt in altera vita?* De eo responsum ex numero & natura objectorum sumendum est: Illæ quarum objecta supererunt, procul dubio æternum durabunt; Cæteræ quarum objecta desierunt, eæ nec superesse dici poterunt, objectis enim quibuscum connectantur carent. Da werden nicht allein keine Laster noch Schmertzen/ sondern auch der meiste Theil der Tugenden wird nicht mehr verhanden seyn/ weil dieselbe vielmehr Artzney wieder die Laster/ und ein Schutz wieder die Schwachheiten seyn. Der

Glaube

Glaube wird auch nicht mehr seyn / denn wir werden im Schauen leben/auch nicht die Hoffnung/ denn alsdann werden wir der Dinge würcklich geniessen/ darauf wir hierunten gehoffet haben / auch die Gedult nicht/ denn da werden keine Schmertzen mehr seyn / noch die Mässigung und Eingezogenheit/weil keine Versuchungen mehr seyn werden/ noch die Barmhertzigkeit/ darumb das kein Elend mehr seyn wird: Die Erkentnüß Gottes wird allein unsern Verstand erfüllen und die Liebe Gottes wird unsere innerliche Zuneigung und Begierden allein besitzen. *Molin.* Geistl. RitterBüchl *c. VII.* Scholastici dicerent formaliter nullas tales Virtutes superfuturas, at radicaliter nihilominus remansuras, h. licet objectis careant, adeoque actu non extituræ sint, in casu tamen si objecta dari possent, illas de novo se exerturas esse. Conferantur qvæ *cap. XIV.* de Unitate Virtutis dicenda venient. IV. Qv. *Quid de VII. Præceptis Noachicis sentiendum?* Resp. Moralia omnino esse, sed unice ob connexionem quam cum natura rerum habent; An vero ab initio rerum speciali Divina jussione Hominibus mandata fuerint, de eo merito dubitari. Sunt ea. 1. De Idololatria. 2. Cultu Veri Dei. 3. Justicia. 4. Homicidio. 5. Stupris. 6. Rapinis. 7. Esu viventium: Traduntque Deum illa primùm Adamo ac deinde Noacho observanda commendasse; Qvæ relatio tamen à Theologis jamdudùm figmenti accusata fuit, videturqve causa ejus fuisse, quod omnes æqve viderint insolubilem rerum Præceptis istis comprehensarum necessitatem; senserintq; ab omnibus æque observanda esse: Quodq; aliam causam non attendere, ideo crediderent, ea à primis initiis hominibus mandari oportuisse.

V.

Sequitur ut de *subjecto Boni Morali* agamus, circa quod considerandæ veniunt 1. *Virtutes Brutorum*, quæ nullæ sunt, Morale enim & consequenter Virtus non est, nisi id fiat ob rationes ex natura rerum petitas, seu quod sentiamus naturæ rerum conforme esse, ut ita agamus. At Bruta non agunt ob causas tales, h. ob rationes ex natura rerum petitas, sed unice ob bonum privatum suum. Conf *Med. Polit. Diss. IV. §. VII. Virtuosa ergo dici non possunt.* II. *Virtutes Gentilium* quas itidem veram Bonitatem moralem non habere opinamur; Virtutes hæ enim integræ non sunt: E. nullæ sunt; Antecedens prob quia

carent principali parte sui, quæ est Pietas seu Amor Dei; Carent etiam exquisititiori isto Amore proximi, quem perfectissimus Naturæ Rationalis Informator Christus docuit & rationi seu naturæ rerum conformē esse ostendit, quod demonstratum V. apud *Grot. de ver. Relig. Christ.* passim. Carent dn. & fine Moralium, qui est vivere Deo, in Deum & per Deum, de quo pluribus *seq.* §. *VII.* *Inst. I. Deum ab iis amari, quantum rationis suæ lumine potuerint aut possint.* Resp. Amorem hunc mere materialem esse ac prorsus similem Reverentiæ cujusdem Potentiæ sublimioris, quam Bruta in tempestatibus edunt, sed ignorant quid, & quo fine id revereantur; Modus essentialis enim deest, quem Deus nobis revelavit, quique nisi summe necessarius fuisset, Divina Revelatione haut opus fuisset, aut certe alius amandi Deum modus esse potuisset aut posset præter eum, qui in S. Scriptura nobis revelatus est; Valetque hic non minus quam in aliis S Scripturæ rebus argumentum irrefragabile: Amorem Dei aut unum esse aut nullum esse; Si enim alius Amor Dei datur præter eum quem Deus revelavit nobis, vel conformis est huic Revelato Amori Dei, & tunc eo ipso non alius, sed idem est cum eo, vel discrepat & tunc alter alterum evertit: Quod argumentum eadem ratione ad Amorem nostri & Amorem proximi adeoque universam virtutis varietatem, facile applicari potest: Referimusque huc dictum Apostoli: *Sine fide impossibile esse Deo placere*: Sine fide, h. revelato in Scriptura Lumine, quod quia nobis in hac vita sublimius est credimus, in altera sciemus, & connexionem ejus cum natura rerum ipsi videbimus. *Inst. II. Aliud esse placere Deo, aliud placere Deo ad salutem.* Resp. Deo placere esse actum, quem Gentiles Virtutesque ipsorum cum omnibus Creaturis communem habent, quæ omnes Deo placent, sed nullo amore speciali; Deo autem ad salutem placere esse quidem actum veris Christianis tantum competentem, sed Virtutum causa non fieri, quæ, veluti nullatenus meritoriæ sunt, ita nec quisquam earum causa Deo placere potest. *Inst. III. S. Codicem dirigere actiones nostras ad vitam alterum. & quidem sola fide impetrandam.* Resp I. Sed non eo minus ad vitam Intellectualem, quippe quæ mere Intellectualis eoque perfecte moralis est. II. Fide quidem eam impetrari, sed viva, non Virtutibus destituta: Virtutes Fidem necessario seqvuntur; Et sicuti Fidelis sine Virtute non est Fidelis; Sic Virtutes sine Fide nec veræ Virtutes sunt.

Et

Et Deum voluisse omnino vestigia ista Rationis non illuminatæ in nobis reliqua ceu opinionem virtutum manifesto confundere argumento est, quod Virtutes istæ vulgo creditæ totæ sæpæ discrepent à LL. Divinis: Veluti Lex Pudoris à Lege Circumcisionis, quæ non potest non medium scandalosum esse prudentiæ naturali, sed sine dubio divinitus assumpta, ut Deus Prudentiam Humanam manifesto confunderet, illaque tanto minus Divinam Sapientiam reformare præsumat. Repetimus, quod initio Dictum est, Virtutes Gentilium non sunt integræ, E. non sunt veræ; Neque aliud quod iis supersit videre possumus, qvam hoc unice, Virtutes esse negative tales, h. Actus ejusmodi qui Virtutes non sint, nihil tamen Virtuti contrarii in se habeant: Sed sic iterum Ciconiam Piam, Vulpem prudentem, alia animalia alio nomine Virtuosa dicere possumus, h. non vere virtuosa, talia tamen, quorum actus vitæ Intellectuali non plane dissimiles aut contrarii sint. III. Ipsæ *Christianorum Virtutes* veræ non sunt, nisi in intimam istam connexionem cum natura rerum penetrent. Ideo I. Siquis sangvineô Temperamento præditus sacras Cantiones crebro canat, aut si Cholericus pro Religionis propagatione vires intendat, non eo magis Virtuosus est, nisi ob rationes ex natura rerum petitas actus tales instituat; sed actionem materialem Virtuti similem, quamque ex ductu inclinationis naturalis potius quam amore se conformandi Dictamini Rectæ Rationis dicatur edidisse. II. Verus Christianismus in doctrina eorum situs est, quæ Deus nostri causa fecit, h. in opere Redemptionis, eoque differt à cæteris Religionibus omnibus, quæ docent salutem ex operibus Hominum erga Deum, hic autem è contrario docet salutem tanqvam opus Dei erga Homines: Moralia Christianorum ergo, nisi doceantur tanquam fructus Redemptionis, non plus in recessu habent, quam Virtutes Gentilium; Et contraria vulgi opinio ex Religione Christiana meram Legem veterem facit, eoque differentiam inter Legem & Evangelium confundit. Estque Christianismi prorsus alia ratio quam Philosophiæ, cui perinde est Disciplinas Theoreticas vel Practicas doceri, cum neutræ in alterius partis principia involent; At in Christianismo Virtutes nullæ sunt sine justa cognitione objecti ejus, h. Dei & quidem per opera, quæ nostri causa fecit cognoscend. Vid. plur. *J. Desbagne Error. popul. Sect. II. c. III.* Unde & III. sequitur frustra esse, qui Dictamen Scripturæ præ-

sertim in Historicis non aliter considerant, quam instar Exemplorum Virtutum & vitiorum, qui labor convertendi mysteria Sacra in mera Præcepta moralia mille absurditatum fœcundus est. Sic commercium Leæ & Rahelis *Gen. XXX. 14.* Lis inter Saram & Hagarem, Pugna Jacobi & Esavi in utero, si non nisi vulgari Intellectu considerentur, materiæ frivolæ & ridiculæ videbuntur esse. Sed Historiæ hujusmodi sensum longe sublimiorem ferunt, & Paulus in posterioribus istis dum imaginem rerum magis arduarum & fundamenta Religionis attinentium indicat *Gal. IV. 24.* ostendit scopum Spiritus S. prorsus alium esse, quam ut pingeret simpliciter Moralia. Vid iterum *J. Despagne l. c. IV.* Simili Responso legimus Lutherum usum, cur emptura eruptionem exiguæ Terræ portiunculæ Agelli Hebronæi cum duplice specu ejus *Gen. XXIII.* tam accurata descripserit. *Serm. Conviv. Sect. III fol. 39.*

VI

Ad finem Boni moralis spectat Quæstio, *An Virtus sibi ipsi sit præmium?* Seu an Virtuti studendum sit, etiam si nullum præmium expectandum esset, vel ut *Peregrinus Philosophus* loquitur apud *A. Gellium, etiamsi Dii atque Homines ignoraturi forent.* Resp. Affirmativa in natura rerum videtur sita esse; Si enim Virtus est conformitas cum natura Intellectuali seu Rationali, jam ideo quia Rationales sumus, etiam Virtuosos esse oportet, eoque nec majus præmium à Virtute expectare possumus, quam ab eo quod Homines simus. Pro Negativa est. I. Virtutem sæpe rationi adversam visum iri, nisi spes esset, qua incommoda eam comitantia subleventur, quo respexit Augustinus, ubi tradit, *sublatis æternis Præmiis & Pœnis verum statuturum à partibus Epicuri.* 2. Ne viri Boni quidem indicium esse, si quis in sola Virtute Virtutis præmium quærat; Nihil aliud enim præ se fert, quam hoc unicum, Intellectum nostrum Dignitate ejus convictum esse. Accedit 3. pessimus abusus, in quem hodierni Athei Principium hoc traxerunt, quorum, si Atheismi causa incommoda ferant, aut si Atheismus eorum convincatur fine carere, solenne responsum est, Virtutem sibi ipsi præmium esse; Neque alia origo prisci Saducæismi fuit, quam ipsum hoc principium ab Antigono Sochæo traditum, & à Discipulis ejus Baitho & Saduco in perversum sensum & deteriores consequentias tractum. Utrique ut satisfiat opinamur. I. Primam motionem ad Virtutem esse quidem omnino spem præmii, nulla actio enim sine fine est. At II. post primam

primam motionem amari Virtutem sui ipsius causa, seu quia intrinsecus bona est, æque ac qui uxorem primo opum, formæ, familiæ & similium causa ducit, is eandem si probam se præstet, non amplius istorum, sed propriæ perfectionis gratia amat & ideo quia frugi fœmina est, licet propterea commoda ipsam seqventia non abjiciat. III. Præmia quoq; Virtutem necessario seqvi, nobis etiam non cogitantibus, sunt enim veluti continuatio Amoris Virtutis. (Ita qvi Deum amat spe vitæ æternæ, Virtutem Virtutis causa amat, bene enim agit, ut in posterum melius agat, & Deum colit, ut in posterum colat perfectius.) At IV. Externa præmia, honorem, opes, gloriam inter homines à Virtute expectari non necessarium est; Hæc enim Virtutem per se non attingunt, & horum causa qvi Virtutem amat, certe non Virtutem amat, sed aliqvid extra eam, æqve ac priorum causa qui virtutem non amat, non amat Virtutem, sed laudat tantum, nec totum amat, tota enim quando est sine præmiis esse non potest, vel magis eam amare dici potest, qvam si qvis florem se amare profiteatur, & tamen se nolle vel odore vel usu ejus affici protestatur, is enim florem vere amare dici non potest. Vid. plur. *Taylor. Duct. Dub. Lib. II. c. I. §. iv.*

VII.

Hinc ordo nos ducit ad Conseqventia Boni Moralis spectanda, qvæ ex parte jam olim à Stoicorum Schola observata, qui veluti subjectum Boni Moralis, h. phrasi ipsorum, *Sapientem* illum constituunt, *qvi recte æstimat & appetit*, ita indubiis conseqventibus eundem instructum inducunt: Qvæ jam subjicienda sunt, sed qvod præmonendum est, semper intelligenda ea nostri parte, qva homines sumus, h. Intellectu, non corpore, aut iis qvæ corpus per se afficiunt. Talia I. *Sapientem semper Beatum esse*; Recta Ratione enim magistra utitur, quæ veluti puram Conscientiam, ita gaudium perfectum suppeditat. *Tunc illud orietur inæstimabile Bonum, Quies mentis in tuto collocata & sublimitas expulsisq; Terroribus ex cognitione veri gaudium grande & immotum, comitasq; & diffusio animi, quibus delectabilitas; non ut bonis, sed ut ex Bono ortis.* Senec. de Vit. Beat. c. V. II. *Sapientem non errare*; Neqve enim falsi qvid suscipit, vel ulli rei incomprehensæ assensum præbet, nec qvicqvam ignorat, qvin sciat semper id à se sciri aut ignorari, qvod satis est, ut vindicetur ab Errore. III *Sapienti nihil præter opinionem accidere*, h. destinatione sua nunquam excidere; Nihil eorum enim est, quæ adversari possunt, quin ipsi sit præmeditatum aut præsumptum.

Non

Non mutat sapiens Consilium omnibus his manentibus, quæ erant, cum sumeret. Ideo nunquam illum pœnitentia subit, quia nihil melius eo tempore fieri potuit, quam quod factum est, nihil constitui, quam quod constitutum est, cæterum ad omnia cum exceptione veniet, si nihil inciderit, quod impediat. Ideo omnia illi succedere dicimus, & nihil contra opinionem accidere, quia præsumit animo, posse aliquid intervenire, quod destinata prohibeat, Imprudentium ista fiducia est fortunam sibi spondere. Senec. de Benef. L. IV. c. 34. Et de Tranquill An c. XIII. Cum svasisset fortunam raro experiri, cæterum semper de fortuna cogitare & sibi nihil de fide ejus promittere. *Hoc est,* pergit, *quare sapienti nihil contra opinionem dicamus accidere: Non illum Casibus hominũ* excipimus, sed erroribus, nec illi omnia, ut voluit cedunt *sed ut cogitavit: Inprimis autem cogitavit aliquid posse propositis suis resistere.* IV. *Solum Sapientem Divitem censendum*; Possidet enim Regnum Dei, quod omnibus divitiis majus est. Amicorum omnia sunt communia; Deus autem & Vir sapiens amici sunt. E. Quod argumentum fuit veteris Pythagoræ. Plura hujus generis Vid. apud *Lipsium Manud. ad Philos. Stoic. L. III. & Sciopp. Elem. Philos. Stoic. c. CXXV. & seqq.* Unum tamen adhuc adduci maxime opus est · *Sapientem sibi sufficere. seu se sola contentum esse*; Hoc ipso enim Stoa, quæ alias judicio ipsorum SS. Patrum Christianorum Doctrinæ proxima est, differentiam suam à Religione Christiana manifesto prodit, cujus inter prima Principia est Abnegatio sui, h. non sibi vivere aut sufficere, sed unice Deo, in Deo & per Deum vivere; Quod demonstratum *seq. c. XIV. De Amore Dei.*

IIX.

Bono oppositum est Malum Morale, parcius hic considerandum, nec alio nomine, quam ut melius vitari queat. *Nam sicut fabulose perhibetur de Basilisco, cum si primus quempiam conspexerit, illico hominem perimere, at si quis illum prior viderit, Basiliscum perire: Pari ratione quicquid malum est, si quis illud prior detexerit, nocendi facultate privatur, quod si illud præveneris, tunc vero, non alias, periculum creat.* Verulam. *de Augm. Scient. L. VII. C. II* In difformitate à natura Rationali situm dicere satis erit, applicabunturq; ea omnia, quæ ante hac ad Boni definitionem annotavimus, nempe dum suum cuiq;

h. Deo

h. Deo, nobis proximo non tribuitur, vel aliquis læditur, eo ipso nascitur à natura rationali difformitas, eoq; malum Morale: Cujus etiam indubium consequens est, ut *sine quiete & ordine sit:* Ordo est sui retinentia in rebus, Qvies animi tranquilitas & vigor fruendi rebus naturæ nostræ congruentibus; At Malum Morale fruitione sui nec tranquillos nec imperturbatos præstare potest, totam naturam rerum enim turbat eo ipso, quo cum ea conforme non est, nec sui-retinens est, mille modis enim naturam suam fingit, ut specie Boni se commendet, unde iterum in rerum natura turbæ. *Imaginare tibi Diabolum sedentem in summo throno, summe elevatum, cum omnibus spiritibus infernalibus, & circa illum maximam hominum turbam, qui omnes aperto capite honorant illum & serviunt illi, alii hoc, alii alio peccato. Aspice gestus, & ceremonias infortunatorum Aulicorum abominabilis istius Regis. Aspice alios odio, invidiâ, & irâ inflammatos, alios se invicem mactantes, alios crudeles, cogitabundos, & ad colligendas divitias sollicitos, alios ad vanitatem attentos, alios in vitiis suis ut jumenta in stercoribus suis putrefactos. Vide quantum sint omnes inquieti, sine ordine, sine modestia existentes. Vide ut alii alios contemnant, ut neminem nisi per falsas apparentias ament. Contemplare calamitosam hanc Rempublicam, & Mundum hunc eam esse puta, & te per peccata in ea vivere dole. Besold. Ax. Phil. C. II. n. 26.* Quod divinitus permittatur aut gubernetur Theologi ex Sacris passim docent; Parcius tamen & illa hac in re nobis præeunt: *Parcius in Scriptum declamatum est, quid Deus de Malo, quam quid de Bono apud se statuerit, ideoque sobrio satis est, si de bono constet, non quod obscuram putem voluntatem ejus de natura peccati ejusque reatu, sed quod minus mihi pateat, quis sit gubernandi & operandi modus, quem in peccatis exercet, si vero in tanta altitudine Providentia Divina perplexitate nos expedire non possumus, ipsa difficultas affert secum excusationem.* Ames. Resp. *ad Grevinchov. p. 170.* Et Cajetanus alicubi: *Quiescit intellectus noster non evidentia veritatis inspecta sed altitudine inaccessibili veritatis occulta.* Qua varietatem Mali Moralis pro diversitate respectuum illud variis venit nominibus & *Vitium* dicitur, quatenus est *recessus à Dictamine Rectæ Rationis seu Virtute*; Quemadmodum Ingratitudo, Pusillanimitas, Ebrietas vitia vocamus, sed non delicta nisi,

nisi alia causa interveniente talia fiant. Deinde *Peccatum est intuitu violatæ Legis Divinæ*, quod ideo à S. Paulo definitur Anomia h. e. illegalitas, seu transgressio Legis. Sic *infidelitas ordinarie peccatum dicitur*, non vitium, delictum &c. Porro *Delictum est, si violetur lex humana*; Et hoc iterum *si enormis sit læsio Crimen* appellatur: Sic Crimen læsæ Majestatis, Rebellionis &c. quæ communiter vitia & peccata non vocantur. *Culpa denique est respectu deficientis diligentiæ, quæ adhiberi potest*, qvamque JCti triplicem ideo faciunt, *Latam*, quando non adhibetur communis industria, *Levem*, cum non præstatur debita hominum in eo genere diligentia, & *Levissimam*, cum indeliberate deficimus ab illa diligentia, quam supra communem modum diligentes homines solent adhibere. Cl. *Puffend. Elem. Jur. L. I. Def. XVII. §. VII.*

IX.

Malum Morale quod aliis occasionem aut causam peccandi præbet est *Scandalum*. Scandalum *est dictum vel factum minus rectum præbens aliis occasionem ruinæ*. Thom 22æ. Q. *XLIII. Art. 1.* Ejusq; proinde discrimen à Peccato, quod Peccatum peccantem solùm, Scandalum etiam proximum attingat; Et quidem causæ aut occasionis nomine: Si enim cum eo peccemus, non Scandalo ipsi sumus sed peccati ipsius socii; At Scandalo non cum eo, sed in eum peccamus. Unde & peccatum solitarium tolerabilius, Scandalum peccatum gravius est, non tantum enim peccamus, sed etiam alterum ut peccet inducimus. Hinc Christus *Matth. XIIX. Quicunque offenderit unum è pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur lapis molaris a collo ejus & demergatur in profundum maris.* Distinctio Scandali in datum & acceptum idem Scandalum diverso respectu tantum exhibet: Nullum Scandalum datum est, nisi accipi etiam possit, quemadmodum Actio nulla est, quæ passione caret, passio nulla, nisi sit Actionis receptio. Scandalum mere acceptum Scandalum non est, quia peccatum non est, nec Actione nostra per se tunc aliquem lædimus, sed alter semet ipsum lædit sibiq; peccandi causa est. Ideo iterum Christus. *Si oculus tuus dexter te offenderit, erue illum & abjice abs Te &c.* Matth. V. 29. 30. In oculo enim causa Scandali sita est, non in re per se bona, quam oculus in abusum trahit. *Ac si dixisset; Non est, quod mihi objicias, Te vix posse oculum huc illuc vertere, quin ex improviso illecebræ aliquæ obrepant;*

Oculis enim tuis potius renunciandum est, quam ut discedas à mandatis Dei. Neq; tamen intelligit Christus mutilandum esse corpus, ut Deo pareamus, sed quia libenter optarent omnes non ita frenari sensus suos, quin liberum habeant eorum usum, Christus hyperbolice docet resecandum esse, quicquid nos impedit, ne obsequium Deo praestemus, quale flagitat in lege sua. Atque id consulto facit, quia nimis licenter sibi homines hac in parte indulgent. Si purus esset animus oculos quoque & manus haberet sibi obsequentes, quibus certum est nullum inesse proprium motum. Calvin Comm. *in Harm. Evang. ad h. l.* At plane inconsulta erat Pietas Sanctorum istorum Aquilini & Audomari, qui cum coeci fuissent ac divinitus visu donati essent, perhibentur à Deo petiisse rursus oculos sibi adimi, ut carerent distractionibus, concupiscentiis, & tentationibus. Non usque eo enim in possessionem generis humani vitia admittenda sunt, ut eorum causa ipsa Creatoris dona membra nostra expavescere oporteat: Perfectio nostra in eo consistit, ut cum imperfectionibus pugnemus, non ut illas non sentiamus. *Opus est ad noticiam sui experimento; Quid quisq; possit, nisi tentando non didicit.* Senec. *de Provid. c. IV.* Vid quae Castratione Origenis dicta sunt *c. XI. §. III.* Inconsultior adhuc pietas istius Virginis, qvae oculos sibi eruit, misitque amasio se persequenti, eo qvod oculis ejus caperetur: Nemo enim tenetur eorum rationem reddere, qvae rem per se non contingunt. Vid. supra Casum *de Reo impoenitenti c. IX. §. ult.* Utrumqve Exemplum laudat *Cornel. à Lapide in cit. locum Matth. V.* Hunc pertinet. Q. *an aliqvis teneatur omittere aliquod Bonum opus, ne proximus scandalizetur*: Quod de operibus indifferentibus Aff. Vid. supr. *c. V. § IIX.* At de iis qvae per se & natura sua vel jussu Divino Bona sunt Neg. Haec enim omitti in potestate nostra non est. Eandem Qvaestionem in hypothesi agitant de Religionis negociis, *an infirmorum eoqve vitandorum Scandalorum causa in Religione, qva meliorem novimus, persistere, vel aliqvid minus sinceri in Religione vera admitti fas sit?* Cui singulari Tractatu satisfecit *Joh. Calvinus de Scandalis, quibus hodie plerique absterrentur &c. à pura Evangelii Doctrina*, & è Marchicis nostris *Thomas* von Knesebeck/ Bericht wie sich ein Christliches Hertz insonderheit der Unterthanen gegen ihre Obrigkeit/ welche verenderter Religion beschuldiget wird/ verhalten sollen/ *Dialogo II.*

X.

Recessus à Malo Morali cum proposito abstinendi eo est *Resipiscentia. Recessus* nomen nemini ignotum est. Recessus *à Malo* requiritur in discrimen ab impotentia peccandi, ut cum ebriosus ebrietate absistit, ob imminutum appetitum, Scortator Venere, quod naturæ vigor ipsum destituat, tunc enim non est recessus noster à peccato, sed peccati recessus à nobis. *Malum Morale* præterea si unum alterumve peccatum in specie hic concernit, nunquam tamen sine implicito universi Mali Moralis intellectu capi potest; Neque enim Resipiscentia est, cum ab uno Peccato ad alterum transimus, veluti cum Homo prodigus deserta prodigalitate se avaritiæ addicit, hic enim non est recessus à malo, sed processus ab uno extremo ad alterum. *Propositum malo abstinendi* dn. involvit in discrimen à pœnitentia ex timore, quæ dolor quidem de peccato est, sed consensu & libertate adeoque proposito peccato abstinendi caret. Suntque propositi hujus duæ partes, *Negativa*, ut absistamus malo, & *Positiva*, ut vitæ Sanctæ operam demus, quas Theologi explicant, illam Mortificatione Veteris & hanc Vivificatione Novi Hominis, & utriusque iterum tres partes constituunt, Destinationem Intellectus, Propensionem Voluntatis & Conatum in vitæ consvetudine: Quorum omnium ratio ex universa natura Boni Moralis petenda, quod nunquam, nisi ex omnibus hisce æque constet, integrum vel Bonum dici meretur. Obligatio ad Resipiscentiam itidem ex natura Moralium pendet, quibus velut omni tempore æque instructi esse requirimur, ita nullo non tempore ad ea reverti nos oportet, minimumque momentum, quo post Peccatum commissum Resipiscentiam nostram suspendimus, novum Peccatum est. Prius prob. quia nullum tempus est, quo vel Officium nostrum erga Deum exuere, vel sine amore Dei vivere, vel iram Dei perferre possumus; Et v. qui Resipiscentia abstinet, officio suo erga Deum non satisfacit, moraturque in odio Dei: Posterius; Negligimus enim officium nostrum, & tempus esse, quo absque Amore Dei nos persistere posse confidimus. Q. *Quid de observatione statorum temporum ad Pœnitentiam agendam in Ecclesiis mediorum seculorum & hodierna Romana sentiendum?* Resp. Ecclesiam ad externa signa Pœnitentiæ obligare posse, ad veram non jubendo, sed svadendo tantum posse inducere, est enim actus internus animi, cui regendo nulla externa

media

media sufficere possunt: Neque statis temporibus illis plus fere efficitur, quam Festo olim apud Persas instituto, quod *Interitum Vitiorum* appellabant, quo omnia venenata interficiebant, sed extra illud tempus iis libertatem dabant circumvagandi & nocendi quacunque vellent. *Cur Pœnitentia in fine Vitæ raro vera sit* traditum *præc. c. VII. §. IIX.*

CAP. XII.

DE

MODIS VIRTUTIS.

I. Modi Virtutis explicati.

II. Unitas & Invariabilitas Virtutis; Virtutem non habere gradus.

III. Sinceritas Virtutis, Simulatio, ejus partes, origo, species.

IV. Fraudis descriptio, Dolus Bonus, Piæ Fraudes, Thuani de iis judicium: Cur Fraudes sæpe in autores earum redundent? Quid de facto Jacobi, quo Esavo Benedictionem præripuit? Quid de ejusdem strategemate Oeconomico contra Labanem?

V. Mendacii natura: An mentiamur si Latroni de Innocente in ædibus nostris servato persvadeamus, illum in ædibus nostris non esse? Plures hujus generis casus adducti: Quid de Reservatis Mentalibus sentiendum?

VI. Integritas Virtutis, Fidei natura, cur promissa servanda sint? An qui ab Hoste captus est aufugere possit? An captivus ad Libertatem vocatus precio Redemptionis teneatur? An Subditi salvâ fide Principis sui se Hosti dedere possint?

VII. *Taciturnitas explicata, Difficultas secreta reticendi: An Magistratui rem ab alio nobis creditam revelare fas sit, si eam revelari urgeat? An Sigillum Confessionis aperiendum sit?*

IIX. *An Crimen proximi, quod publicum est in aliqua Civitate, liceat alibi patefecere, ubi ignoratur. An Crimen Proximi uni alterive revelare liceat, quibus perinde sit, ac si nulli diceretur? An ad vitanda Tormenta possimus alterius peccatum occultum vel aliud secretum prodere, unde alteri præsens periculum vel Mors immineat? Quid de Secretis*

cretis Principum vel Rerumpp. statuendum, si eorum causa Tormentis subjiciamur? Quid sen-

tiendum de facto Laurentii Martyris? IX. Sedulitatis explicatio.

I.

M*Odorum* ***Virtutis*** nomine intelligimus Attributa, quæ Virtuti omni, soli & semper insunt, eorumq; usus tam conspicuus est, ut ipsa malitia quoq; iis comitibus uti gestiat, quemadmodum Latro a sodalitio suo Sinceritatem, fur diligentiam, scortum Amasii fidem &c. prætendit; Sed modi tales, qui subjecto h. ipsa Virtute carent, non modi veri, sed modorum figmenta sunt, nec effectum juris per se habeat; Neq; enim Scortum Amasium perfidiæ accusare potest, fides enim nulla debetur, ubi virtutis fundamentum deest.

II.

E modis hisce sunt *I. Unitas*; Virtus enim prorsus indivisa est; Qui unam habet, omnes habet, qui una caret, caret omnibus, cujus usus ostendetur *seq. cap. XIV. init.* *II. Invariabilitas*; Virtus enim in puncto consistit, quod qui non habet, is nec Virtutem habet, & qui habet, is & virtutem & summum Virtutis gradum habet: Neque enim ulli Virtutis per se gradus dantur, neque Virtus ulla est, quæ non extendat se ad omnia illa quæ objecti sui ambitu continentur: Temperante per se non datur temperantior, Justo justior, nec Temperans est, qui una cupiditate sibi moderatur, & aliis indulget, aut Justus, qui non in omnibus actionibus actionumq; modis Justus est. Quanquam diffitendum non est, respectu Subjecti Virtutem in uno intensiorem quam in in altero conspici, vel propter perfectius Judicium intellectus, vel etiam majus Donum Dei. V. *Ames. Medull. Theol. L. II. c.* II. *§. 41.* Cogitandum tamen in hujusmodi casibus id locum habere, quod in Debitoribus valet, qui ultra id quod ipsis possibile est obligantur; Hi enim licet totum debitum suum solvere neqveant, obligantur tamen ad extremum usq; solvendi conatum. III. IV. V. sunt. ***Sinceritas, Integrias, Sedulitas***, h. ut nihil alieni, nihil manci, nihil moræ in Virtute exercenda occurrat, de quibus singulis distinctius jam agendum erit.

III.

Sinceritas ***nihil alieni in Virtute admittit***, alio nomine dicenda

da *Simplicitas, Innocentia & Puritas. Sapientia Justorum est nihil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera uti sunt diligere, falsa devitare, Bona gratis exhibere, Mala libentius tolerare, quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro Veritate contumeliam lucrum putare; Sed hæc Justorum simplicitas deridetur, quia ab hujus mundi sapientibus Puritas Virtutis Fatuitas creditur.* Gregor. Moral. *L. X. c. XXVII.* Ejus species *Præcisitas* seu Veterum loqvendi modo *Exuperantia Virtutis*, qvam qvia singulari Dissertatione plenius exhibendam destinavimus, indicari hoc loco satis duximus. Opposita ipsi *Simulatio*, h. Ostentatio rei aliter factæ quam est; Ita enim Terminum hunc usurpari, qui alias in bono sensu etiam adhibetur, defectus Vocum hactenus exegit. Vid. *Med. Pol. Diss. I. L. §. XIII.* In Sacris in specie *Hypocrisis* appellatur, h. *Simulatio sinceritatis in Vita & Fide.* Ejus partes fingere Virtutem, quæ reipsa non adest, & tegere vitium, qvod vere habemus. *Med. Pol. c. l.* Origo ab Ingenii lubricitate quadam vel timiditate, aut tali animi constitutione, quæ vitio aliquo magno imbuta est, quod quia occultari oportet, efficit, ut Simulatio etiam in aliis exerceatur, ne habitus intercidat. *Verul. Serm. Fid. n. VI.* Species sunt *Fraus & Mendacium*, Fraus in rebus, Mendacium in verbis.

IV.

Fraus est *ostentatio rei falsæ pro vera.* Synonyma *Dolus, Impostura*: At discrimen inter *Dolum Bonum & Dolum Malum* videtur mere nominale esse: Dolus Bonus revera non est Dolus, quia neminem lædit, de quo pluribus *seq.* §. *de Mendacio.* Eodem in loco habendæ, quas vocant, *Piæ Fraudes*, quanquam abusu sæpe involutæ gravissimo. Romanos utique legimus persæpe Religionis quadam specie usos esse, tum ad instituendam Remp. tum ad suscipienda Bella, sedandasque seditiones ac tumultus. Vid. *Machiav. de Rep. L. I. Diss. XIII.* Sed horum actiones Virtutum imitamenta, non veræ Virtutes fuerunt, ac proinde nec Pias Fraudes eorum nobis curatio erit. De abusu earundem vero gravissime *Thuanus Hist. L. C. ad A. MDXC.* ubi de Sixti V. Canonisationibus loquitur: *Multa hujusmodi absurda, inquit, & veritati Historiæ repugnantia à devotis & religiosis excitandæ in simplicium animis devotioni olim excogitata, seu credita: At vero hodie discussis Ignorantiæ tenebris per Ingeniorum & literarum claritatem qvando Lux veritatis*

veritati affulsit, incerta pro veris tradi *& accedente Pontificis autoritate in Ecclesiam invehi ad juvandam Religionis causam nunquam conducibile existimavit, præsertim cum hi novi cultus ex earum rerum numero sint, quibus prudenter omissis nihil Ecclesiæ autoritati & unioni Catholicæ detrahatur, temere assertis non solum calumniandi occasio iis qui à Nobis recessere, sed etiam multis, qui adhuc Nobiscum sunt justissimeplerumque offensionum causa præbeantur. Eventus Fraudum cur sæpe se male habeat in eo situm, quod fraudum nulla cum cæteris actionibus sit connexio*, æque ac Æquivocationes & verborum captiones non diu valent, quia diu latere nequeunt; Unde & autores suos plerumque feriunt, quod tamen etiam, veluti universum jus Talionis, *Reservatis Dei* transcribetur; Respexit eò tempore Belli Bohemo-Germanici magnus Germaniæ Princeps, qui cum aliorum Consiliis se amicosve suos deludi sentiret, cusis Numis hos Rhythmos Aversâ eorum prodidit: O Deutsche Treu und Redligkeit/ Wo findt man dich zu dieser Zeit? Ist es denn also wohl gethan/ Wann man den Schalck verbergen kan: So ist es auch nicht so unrecht/ das Untreu schlegt sein eigen Knecht. Q. *Quid de facto Jacobi sentiendum, quo Benedictionem Esavo præripuit?* Resp. Non commissam fuisse Fraudem, nec Esavum læsionem querendi causam habuisse, qvia Benedictio ad Jacobum pertinebat. I. Jure Promissionis Divinæ Rebeccæ factæ *Gen. XXV. 23.* II. Jure ipsius Primogenituræ, quam ab Esavo emerat *c. eod. v. 33. 34.* Vindicavit igitur sibi quod suum erat, & Rebecca ex fide egit, quæ filio consilium istud exequendi autor erat; Isaacus v. peccavit, qui vel immemor Divinæ Voluntatis, vel eandem neglecturus Benedictionem in Esavum transferre conabatur. Quærenti *cur Deus Consilium suum perfici voluerit per strategema ejusmodi, quod non videbatur carere peccat?* R. Ut confunderet & consilia humana Isaaci, & securitatem Esavi; Peccato autem omnino caruisse, quia nemo eo læsus fuit. Q. *Quo in loco ejusdem strategema Oeconomicum habendum, quo gregem suum auxit?* Resp. Quæstionem hac de re geminam esse, unam facti, alteram juris. De facto Sacra Scriptura nos dubitare non sinit: In nostris tractibus tamen id non accidit, cujus causa ex diversitate locorum pendet; In Orientalibus istis locis minor copia aquæ erat, ideo pascua sua ex fontium vicinia emensi esse passim in Genesi leguntur; Majori ergo desiderio

Oviculæ

Oviculæ aquam expetebant, præsentem deinde spectabant & hauriebant, unde imaginatio auctior circa rem per se desideratam; At apud nos quoniam aqva minus rara est, desiderio ejus quoque minus afficiuntur, unde & Imaginationis nulla efficacia. Præterea Jacobus Arietes non admisit nisi aquationis tempore, quod in re pecuaria nostra itidem secus est, ac proinde mirum non est, si Jacobo res successerit, quæ apud nos successu. Ad Quæstionem Juris Resp. Factum hoc Dispensatione Divina licitum fuisse redditum; Licet enim genus Furti sit arte uti, qua commoda alterus directe intervertantur, causa alia tamen illud licitum reddebat, & à Lege Furti ad aliam universaliorem transferebat, quæ erat mercedis solutio; Hanc Labanus Jacobo juste non præstiterat, Jacobus autem ad Divinam Providentiam provocare, contestatus se nihil ab eo petere, sed à Domino expectare, qui Dispositione sua Justitiam sibi sit administraturus. Deus e. pecora qvæ Labani futura erant Jacobo adjudicavit, non quidem simpliciter vi absoluti Dominii in res omnes, qua privata Dominia pro lubitu transferre possit; Assertio hæc enim periculo non videtur carere, cum Dei Justicia non permittat alicui quod suum est auferri: Sed tanquam universi Dominus & Judex, qui cum Labanus Jacobi operam sibi præstitam non juste compensasset ex Labani substantia compensandam statuit, adeoque foetus Labani Jacobo attribuit: Neque id, ut Legem Furti everteret, huic enim rebus sic stantibus locus non erat, sed ut Legi de mercede solvenda satisfieret. Simile Responsum est de Israelitarum Actu, qvo Vasa Ægyptiorum abstulerunt, *V. Pol. Pandl. Diss.* II. *§. X.*

V.

Mendacium est *ostentatio Verborum aliter, quam significant*; Et quia Sinceritati tanquam Modo Boni Moralis opponitur, Modus Mali Moralis est, adeoque læsionem & injuriam alterius involvit; Joci, Fabulæ, Ironiæ, Recitationes rerum falsarum non sunt Mendacia, per se enim & qua tales sunt neminem lædunt. In Sacris eadem ratione dicitur Falsum Testimonium contra proximum; Quod enim contra proximum est, id lædit eum, adeoq; in ipsũ injuriosum est, Joci ergo & ss. non sunt mendacia, per se enim non sunt contra proximum, nec sunt falsa testimonia, Fide enim & autoritate dicentis non confirmantur. Si Latro Innocen-

centem persequatur & nos fugæ ejus probe conscios interroget, annon hac iverit, recte respondemus non ivisse, licet aliter se rem habere sciamus; Latro enim responso nostro non læditur. *Pol Par. Diss. V. § V.* Pecuniam quam Vitæ nostræ causa Latroni promiseramus licet non solvamus, nec mentiti esse. nec Latronem decepisse dici possumus; Jus enim in nos nullum habebat, adeoque nec læsum se queri potest. *Pol. Parall. Diss. V. §. IV.* Si sermonem ad eum dirigamus qui non decipitur, etiamsi tertius inde falsam hauriat persvasionem, nullum est mendacium; Prior enim non læditur, quia scit falsa dici, posterior se læsum queri nequit, quia cum eo non agitur, ideoque nulla est ad ipsum obligatio. *Grot. J. B. L.* III. *c.* I. §. XIII. Piæ fraudes Constantini M. Imp. & Alphonsi I. Regis Portugalliæ, cum prætextu Visionum Cœlestium exercitum suum in victoriam animarent, non erant Mendacia; Exercitus enim Læsionem sui querendi causam non habebat, æque ac furtum non perpetrat, qvi ex præsumpta Domini voluntate rem ipsius exiguam consumit, ut inde magnam eidem utilitatem paret. *Grot. ib.* §. *XIV.* De Æquivocationibus & Reservationibus mentalibus eadem dicta sunto: Vid. *Pol. Parall Diss. V.* §. *V.* Romani cum Carthaginensibus Libertatem Urbis æquivoco sensu promisissent, peccarunt, Cathaginenses enim in illum sensum, quo Romani vocem accipiebant, non consenserant adeoque à Romanis lædebantur. Eodem modo Philippo Magnanimo Landgravio Hassiæ impositum. *Pol. Parall. Diss. V.* §. *VII.* Eodem Ludovicus XIII. Rex Galliæ An. MDCXXVI adversus Magnum Priorem Galliæ ejusque Fratrem Ducem Vindocinensem usus fuit. Metuebat Magnus Prior, ne Frater custodia cohiberetur; *At Rex qui & Magno Priori vincula destinabat, in hac eadem verba respondisse fertur: Fidem adigo unam Tibi cum Fratre, unam illi tecum fortunam fore, neqve plus habere illum qvod timeat, qvam ipse habes.* Ita æquivoce illusum homini *Aula incantamentis fascinato: Fratri nihil timet, qvia secum in parem fortunam vocatur, neque ambigit plenam sibi securitatem fore.* Qui ipse tamen simul fratre è Britannia accersito paulo post in custodiam datus fuit. Vid. *Gramond. Histor. Gall. L. XVI.*

VI.

§.17. *Integritas* nihil manci in Virtute relinquit: *Continuitatem* Virtutis

tutis

tutis & *Constantiam* eodem sensu dixeris; Et respectu personarum in specie *Fidem*. Fides est *Continuitas ejusdem propositi, seu non interrupta propensio erga alterum*, & negative, propositum alterum non deserendi. Sic in Formulis Hierologiæ Matrimonialis dum Fidem paciscimur, nos Conjugem non deserturos simul pollicemur; Et in causis Divortii est Desertio malitiosa, Fidem enim pars deserens tunc læsit. Fidei Actus sunt. I *Ut alteri præstemus, quod alteri debetur*, quo respectu nomen *Fidei* retinet. II. Ut nobiscum servemus, quod ad alium non pertinet, qva in causa vocatur *Taciturnitas*. Fidei prioris generis rationes sunt: *Interna*, qvia qvod alteri debetur, non nostrum est; Externa, qvia damnum ex non servata fide metuimus. *Qv. An qvi ab Hoste captus est Salva Conscientia aufugere possit?* Resp. N. Sed ob rationem externam, ne pericula Bellica nimium crescant: At rationem aliquam internam ejus non autumamus esse. 1 Qvia in capiente est non tam translatio, quam alienatio juris Captivi, à qua ne ille palam dissentiret, status illius tunc exegit: 2. In statu Bellico est imago status Naturalis; Ideo enim Bellum susceptum fuit, qvia Justitia deficiebat. At in statu hoc nemo jus habet aliqvid diutius retinendi, quam per alterum licet. Q. *An Captivus Libertati restitutus teneatur precio Redemptionis solvendo?* Resp. Captivum vel fuga sibi consuluisse & tunc Responsionem cum priori eandem esse; Vel cum consensu Victoris, auf Parole/ discessisse & tunc obligatum esse; Pactus enim fuerat à Victore Libertatem suam eandemque in potestate ejus sitam fuisse ipse agnoverat. *Inst. Captivum metus causa talia pactum fuisse.* Resp. Bellatorem præscire casus ejusmodi sibi aliisve evenire posse, ac proinde tacite etiam in modum versandi in his casibus consensisse. Q. *An subditi salva fide Principi suo debita se Hosti dedere queant?* Resp. Præsupposito casu necessitatis, qvod nimir. se amplius defendere non possint, Aff. Præstat enim Deditionem eligi, quam ruina Cvitatis omnia sursum deorsum verui. *Expediebat ægra quasi sauciaq; Reipubl. requiescere quomodocunq;, ne vulnera curatione ipsa rescinderentur*, inquit Florus de Sullæ actis. Fieri etiam potest, ut is qui jus habet Imperii malit invasorem in possessionem venire, quam periculosis & cruentis motibus occasionem dari, quod *Grotii* in non dissimili casu responsum est. *J. B. L. I. c. IV. § XIX.*

Sed quam fidem urbes occupatæ Hosti debent? Resp. Jubenti non resistendum esse, ita enim malunt minus malum, ut majus evitent; Et probabile est eum qvi jus imperandi habet id malle, qvam Legibus judiciisq; sublatis summam induci confusionem. *Grot. cit. §. XV.* Breviter ferendo & patiendo potius Jussa ejus exeqvi, qvam de se & per se erga ipsum actuosos esse oportet.

VII.

Taciturnitas est propositum animo retinendi rem, in qva commoda alterius versantur. Nomen ab eâ etiam apud hostes abstulit Libertatis Belgicæ assertor Wilhelmus I. Nassovius Princeps Orangii. Princeps sui obtegens & ingenio etiam iis, qvi arcanorum ejus conscii ferebantur, inaccesso. Ideo Granvellanus cum Comites Egmontius & Hornanus ab Albæ Duce capti essent, num *Taciturnus* qvoq; captus esset qvæsivit, & Nuncio negante, uno illo intra retia non concluso nihil captum esse dixit. *Strad. Decad.* I. *L.* VI. Difficultas ejus plerumq; maxima, cujus causa in desiderio communionis inter homines videtur recumbere. *Nemo non aliqvem habet, cui tantum credat, qvantum ipsi creditum est; Atq; inde ceu pluvia tectis excepta, qva ex una in aliam tegulam imbricemq; devoluta in publicas vias demum spargitur, ita pluribus in conscientiam clam adhibitis, quod secretum singulis est populo rumor fit.* Strad. *Dec.* I. *Lib.* I. *p. 51.* Ubi de arcano partu Margaritæ Vangestiæ, quem Carolus V. Imp. clam haberi voluerat, sed Ancillæ garrulitate vulgatus fuerat. Versatur in *commodis alienis.* Ideo licet animus alium per secreti revelationem lædendi non adsit, & alter tamen revera lædatur, aut in periculo læsionis versetur, nihilominus contra Taciturnitatem ex negligentia & inconsideratione peccatur: Nam sicut in factis, sic etiam in verbis & signis omnibus non satis est, ut absit intentio lædendi, sed etiam opus est adhiberi diligentiam, ne alterius detrimentum inde seqvatur. *Ames. Cas. Consc. L. V. c. LV. Multa bene ordinata improvida custodia perdidit.* Versatur vero non tantum in Commodis alienis, sed etiam *in retinendis illis*: Unde si res animo retineamus, qvas non ignorari sed sciri alterius est, non Taciturnitas sed Morositas est; Et priscus Harpocrates ideo Ignorantium numero ascriptus legitur, qvia etiam cum tempus dicendi esset tacuerat. Apollo ließ wieder männigliches versehen *Harpocratem*, der die Kunst

still-

stillzuschweigen sehr wol *studiret* hatte / für sich kommen / dem sagte er / wie Er sich bißhero über seine Verschwiegenheit sehr verwundert hätte / nunmehr aber habe er ein grosses verlangen bekommen / ihn reden zuhören. Dann die Gabe des stillschweigens wäre an dem allermeist zu loben / welcher bey begebender *occasion* mit seinem anmüthigem Gespräch Vornehmen und Gelährten Leuten die Zeit kurtz zumachen wüste. Als *Harpocrates* dieses vernahm / zog er die Schultern ein / gab damit zuverstehn / er könte nicht reden: *Apollo* deutete ihm nochmahln an / das stillschweigen bey Seit zusetzen / und mit einem guten *discurs* sich vernehmen zulassen. *Harpocrates* aber kehrte sich nicht daran / schwieg vor wie nach / und legte einen Finger auff den Mund / darüber sich dann *Apollo* etwas *alterirte*, und ihm mit Ernst anbefahl kurtzumb zu reden. Da näherte sich *Harpocrates* zu *Apolline*, und sagte ihm heimlich in ein Ohr: Es wäre die heutige Welt so verderbet und verkehret / das die jenige billich für die klügste und verständigste zu halten wären / die da mit den Augen alles sehen / mit ihrem Verstand alles *observiren*, und mit dem Mund darüber stillschweigen könten. Welche Antwort dann *Apollinem* noch hefftiger verdroß / daß er sich gegen die Umbstehende wandte / mit vermelden / er sehe nun wol / daß an *Harpocrate* nicht viel besonders seye / befahl ihm derohalben sich zu trollen / und alsobald auß dem *Parnasso* zu packen / dann er einer von den Püffeln wäre / deren sich heute zu Tage eine grosse Menge befinde / welche unter dem schein des Stillschweigens ihre grosse Unwissenheit verbergen und zudecken wolten. *Boccal. Cent.* I. *Rel.XXXVI.* Deniq; *Propositum* retinendi res ejusmodi esse reqviritur: Ideo res,qvas celari in arbitrio non est,nullo Silentii jure tegere possumus; Et Magistratu urgente Secretum qvod etiam sub fide Juramenti suscepimus reticeri non licet; Publico enim obligati sumus eoq; paritionem detrectare non possumus: Nec Juramenti aliqva exceptio est, Juramentum enim non potest concipi nisi de rebus in potestate nostra positis; At jurare silentium rei, qvam sciri Magistratus interest, non est in potestate nostra,ne malitiæ fenestra aperiatur, & Juramentum fiat vinculum iniqvitatis. At Sigillum Confessionis, ubi illa necessaria videtur,aperiendum non est,qvia Minister hoc casu dicitur vices Dei repræsentare, nec hac in parte depender à Magistratu: Sed præsupponendum est, si Confessio loco principalis medii adhi-

adhibeatur ad convincendum reum; Excipiendum quoq; Crimen Perduellionis & Læsæ Majestatis, qvia hinc universæ Reip. periculum impendet.

IIX.

Qv. *An Crimen proximi, quod alicubi publicum est, liceat alibi patefacere, ubi ignoratur?* Pro Ajenti parte videtur esse, quod autor Criminis jus ad famam amiserit. Sed opponimus. Eum, licet jus ad famam non habeat, citra cujusqvam injuriam tamen & absq; fraude in isto loco ipsam possidere eaqve adhuc diu fruiturum esse, adeoq; contra charitatem foret illum spoliari bono nomine. Eadem Responsio est: *An is qui olim ob sua Crimina fuit infamis, nunc vero famam honesta vita recuperavit commemoratione criminum apud eos, qui illa ignorabant, gravari debeat?* Sed *si aliqnibus ea revelentur, qvibuscum perinde fit, ac si nemini dicerentur?* Resp. itidem Neg. Qvia nihilominus metus est proximum in possessione famæ turbandi. Si dicas perinde esse ac si nemini dictum fuisset. Resp. Hos tamen in posterum derogaturos existimationi ejus. Conf. *supr. c.* III. §. XX. At *si sciamus Petrum esse furem, anne licet vicinos ejus monere, ut sibi ab eo caveant?* Resp. Aff. Non enim est in possessione Bonæ famæ, nec qvisqvam ad famam jus habet, per qvam aliis nocere potest. Reticeri qvidem fas est ea, in qvibus commodum alterius versatur, sed ne læsio tertii inde seqvatur; Amor proximi cum nostro in æqvilibrio pendet. Qv. *An vitandorum Tormentorũ causa possimus secretum prodere, unde alteri præsens periculum vel mors immineat?* Resp. Aff. I. Non tenemur enim alterius famam cum tanto incommodo nostro servare. II. Secretum tale est veluti depositũ qvoddam: At depositarium oportet immunem præstari ab incommodis & damno in qvod ex causa depositi incidit. Sed *si Secretorum Reipub. aut Principis causa tormentis subjiciamur.* Resp. Disparem rationem esse: I. Fidem enim Reip. dedimus, ipsam non deserendi. II. Nocemus Reip. ac cum Rep. nobis ipsis, tanqvam corporis istius majoris membris. Minime omnium vero à Ministris Publicis id fieri potest, Fidem suam enim non tantum generaliter, sed etiam in specie de Secretis non revelandis Reip. obstrinxerunt. Inst. *Posse produci tanqvam Testes contra Principes suos non obstante isto Juramento eorum?* Resp. Id accipiendum de iis, qvæ facta sunt publice, ut si pax publica turbata sit, non ut possint interrogari de iis, qvæ in Senatu ventilata aut conclusa sunt: Qvanqvam

qvam & ista ex parte circumspectione justa opus sit, ne Dominorum Jura, qvæ illibata esse debent, debilitentur. *Dn. de Jena de Rat. Stat. Diss. V. Concl. V.* Qv. *Quid de facto Laurentii sentiendum, qui torreri maluit, quam Ecclesiæ Thesauros indicare.* Resp. Recte fecisse. 1 Qvia fidem Ecclesiæ dederat. Et 2. qvidem tanqvam publica persona in Ecclesia. 3. Proditione sua Ecclesiæ maximo damno futurus fuisset, mediis enim excidisset, qvibus postmodum Christiani conservarentur, & alii ad accedendum sollicitarentur. Inst. *Magistratum urgentem nihil celari posse.* Resp. Magistratum id ursisse, ut auferret Bona Ecclesiastica, in qvæ ipsi nullum Jus erat; Jus Magistratus n. auferendi Bona privatorum extra casum Necessitatis nullum est.

XI.

Sedulitas nihil moræ in Virtute patitur; *Quicquid invenerit manus tua ad faciendum secundum vires tuas facito; Non est enim opus, aut deliberatio, aut Scientia, vel Sapientia in Sepulcro, inquit Ecclesiastes c. IX. v. 10.* Causam idem in Proverbiis reddit; *Qui respicit ad ventos, non seminat, qvi respicit ad nubes, non metit.* Ad omnes personas æqve extendi Synodus Carthaginensis probe expendit, in qva CCXIV. Episcopi congregati Statutum condidere, ut Clericus qvantumlibet Verbo Dei eruditus artificio humano vitam exhibeat.

CAP. XIV.
DE
AMORE DEI.

I. Virtutem in se unam esse, objectis tantum variam.

II. Varietatem istam vero certo numero non posse comprehendi: Qvomodo vitia infinita sint? Cur accurate tractanda non sint?

III. Undenarius numerus Virtutum Aristotelis, Septem dona Spiritus S. Octo Beatitudines, Qvatuor Virtutes Cardinales.

IV. Distribuio Virtutis in Amorem Dei, Amorem nostri & Amorem Proximi, & Amorum horum comparatio: An aliqvis salutis suorum aut Reip. gratiâ possit

possit aeternam damnationem sibi precari.

V. Demonstratio Amoris Dei, Deum summè, prae nobis, & propter seipsum amandum esse.

VI. Cur Deus colendus? Cur non habendi alii Dii cum illo? An Gentilium Religiosas Phrases adhiberi liceat, qvamvis non ex proprio sensu? An Gentilium scripta qvae Gentilismum involvunt in Scholis docenda? Cur imagines Divinae non faciendae?

VII. De Deo considerate loqvendum esse; Nec temerè utendum Dei nomine; Nec subtiliter tricandum de Dei natura. Qvomodo inqvirendum in Verbum Dei? Cur simplex reqviratur ratio Sacra docendi? De Concionibus hodiernis earumque pompa. Qvid de Controversiarum studio sentiendum? Cur Homines non amplius eo numero, qvo praeterito seculo ad Religionem Evangelicam convertantur?

IIX. Orationis Necessitas, Modus; Cur Divina Exauditio non semper desideriis nostris respondeat? Cantionum consideratio; An certis Orationum formulis utendum sit? Oratio Dominica utrum instar Formulae an instar Moduli à Servatore proposita sit? Qvid de Horis Canonicis, Rosariis, Litaniis sentiendum? Ritus Orantium; Qvid de triplici Campanae signo?

IX. Benedictionum & Maledictionum materies; Qvid de Maledictionibus Testamentis aliisq; piis Donationibus additis sentiendum?

X. Celebratio Sabbathi expensa; Qvanta sit ejus Celebritas? An Conviviis die Sabbathi indulgendum? An Studiis non Sacris eâ vacare liceat? Qvando Sabbathum incipiat ac desinat?

XI. Festorum Consideratio.

XII. Jejunii Consideratio.

XIII. De Atheismo.

XIV. De Superstitione.

XV. De Peccato in Spiritum S.

I.

PErgendum jam ad varietatem Virtutis, qvam *Partem Specialem Doctrinae Moralis* dixeris, aeqve ac Capita ista, qvibus de natura & Principiis Virtutis in genere hucusqve actum est, *Partem Generalem* ejusdem. Monendum initio, varietatem istam non esse generis in Species, sed unius ejusdemq; rei respectu Objectorum: Una enim, non multiplex est Recta Ratio, Unum ergo & Dictamen ejus. *Una inducitur*

citur Humanis Virtutibus Regula, una est Ratio recta, simplexq;. Senec. *Epist. LXVI.* qva plura hujus generis, nec sententiæ nostro dissimilia tradit. Sic unus Sol est, sed ab Objectorum varietate Virtutum ejus Varietas, unde si unam habemus, omnes & totum Solem habemus, una si caremus, toto Sole caremus. Similiter ergo Virtutem, qvi unam habet omnes & totam Virtutem habet, qvi una caret, caret omnibus. *Quisquis profitetur se amare Deum & odit fratrem suum, is homicida est*, 1. Joh. V. 20. *Is cui est possessio hujus mundi & videt Fratrem suum egentem & claudit viscera sua ab eo, quomodo est Charitas Dei in eo?* 1. Joh. III. v. 17. *Extendentibus Vobis manus vestras, occulto oculos meos à Vobis. Etiamsi utamini multa oratione, non exaudio vos, manus vestra enim Sangvine plena sunt.* Jes. I. 17. Conf. *Pol. Pamll. Diss. XIX.* §. II.

II.

Varietas ista Virtutum verò nec numero nec nominibus comprehendi potest, sed totuplex est, qvot & Objecta & modi Objectorum, & rerum gerendarum occasiones sunt: Qvæ omnia nec numerari facile, nec dignis nominibus exprimi possunt, ob nimis notum vocabulorum defectum. *Animus intuens vera, peritus fugiendorum ac petendorum, non ex opinione, sed ex natura precia rebus imponens, toti se inferens mundo & in omnes ejus actus contemplationem suam mittens, cogitationibus actionibusq; intentus, ex æquo magnus ac vehemens, asperis blandisq; pariter invictus, neutri se fortunæ submittens, supra omnia quæ contingunt acciduntq; eminens, pulcherrimus cum decore, cum viribus sanus ac siccus, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec attollant fortuita nec deprimant*: Talis animi virtus est, *hæc ejus facies, si sub unum veniat aspectum & semel tota se ostendat. Cæterum multæ ejus species sunt, quæ pro vitæ varietate & actionibus explicantur.* Senec. *Ep. LXVI.* In vitiis itidem infinitas est, sed à Virtutum ista innumera Varietate plane alia. I. Virtutes innumeræ sunt in complexu sumptæ, at vitia non tantum in complexu sumpta innumera sunt, sed illa etiam, qvæ singulis Virtutibus opponuntur in infinitum tendunt, æq; ac in via determinatis punctis incedimus; At avia qvæ extra hæc horumq; singula sunt in infinitum abducunt. II. Licet Virtutes infinitæ seu innumeræ sint, certa tamen omnium essentia est; In vitiis autem nihil certi aut determinati est, sed in infinitum evagantur, æq; ac puncta

viarum in spacioso campo licet innumera sint, certa tamen sunt & sibi constantia; At recessus à qvolibet puncto veluti qvaqva versus tendit, ita natura sua indeterminatus est ac proinde in infinitum pergit. Sed nec Nominibus Mala æqve indicari possunt, verum itidem cum notabili à Virtutibus discrimine. Virtutes ob multitudinem objectorum nec tractari omnes, nec nominari commode possint; Vitia etsi possint, nominari tamen vel tractari accurate non merentur. *Natura hominis inde usq; à primorum Parentum lapsu libertatem arbitrii amisit, & , pronis in malum moralibus ne umbra quidem illius relicta est praterqvam apud eos, qvos Deus ab Originalis Peccati lepra expurgatos mera sua gratia consecravit. Unde periculosa alea plena res est, ut vel maxime idonea responsa subjunxeris, Novas hasce Quæstiones proponere. Nam maxima pars hominum vestigiis primorum Parentum insistentes, natura vitio eligunt deteriora: Nec sine causa Divinus Poëta Bartasius de Sodoma exitio verba faciens flagitii qvo periit etiam nomen reticuit.*

De peur qu' en offensant des Saincts l' oreille tendre
Ie ne les semble plus enseigner, que reprendre.

Nomine flagitii teneras qvi læserit aures,
Non carpsisse scelus, sed docuisse putes.

Ita Jacobus Rex Angliæ olim de vitandis famosi istius Vorstii Novis Qvæstionibus: Nos de Malo morali ejusq; speciebus universis.

III.

De undenario numero Virtutum Aristotelicarum non opus est verba facere: Sane si Virtutes innumeræ sunt, undenarius numerus ipsis minime omnium adæquatus erit. Idem *de duodecim fructibus Spiritus S. ex Gal. V. 22.* sentiendum *Fructus Spir. autem sunt Dilectio, Gaudium, Pax, Longanimitas, Benignitas, Bonitas, Fides, Mansvetudo, Continentia*: Quibus Vulgata versio *Patientiam, Modestiam & Castitatem* adjicit. Itaque I. non recensentur ibi duodecim, sed novem fructus Spiritus S. II. Non omnes fructus Spiritus hic numerantur, omnes enim Virtutes sunt fructus Spiritus & Gratiæ, ipsiusque Spiritus S., sed tantum aliqui vulgo magis conspicui, & operibus carnis eodem loco enumeratis oppositi. *Corn. à Lap. ad h.l.* Eadem ratio *septem Donorum Spiritus S. ex Jes. XI. 2. Super quo quiescit Spiritus Dei, Spiritus Sapientiæ & Intelligentiæ, Spiritus Consilii & Potentiæ, Spiritus Scientiæ & Reverentiæ*

rentiæ Dei. Non enim sola hæc sunt Dona Spiritus S. sed præcipua ac inprimis Regia Dona Servatoris hic commemorantur, cæteris per Synecdochen subintellectis; Neq; septem, sed sex tantum ibi recensentur. *Ames. Med. Theol. Lib. II. c. II.* Nec aliud de *Octo Beatitudinibus Matth. V.* dicendum. Recensent & *qvatuor Virtutes Cardinales*, Justitiam, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam. Sed hæ ex parte ipsissimi Virtutis Conceptus, ex parte modi Virtutis sunt, qvos supra attigimus; Justitia est ipsa Virtus, qvæ qvia dictamen Rectæ Rationis est, veluti neminem lædit, ita suum cuiq; tribuit; Prudentia idem dictamen Rectæ Rationis in Actibus specialibus exercitum; Temperantia propositum nihil volendi nisi qvod sit Dictamen Rectæ Rationis, & deniq; Fortitudo ipsa Constantia, de qva præc. c. §. VI.

IV.

Ut itaq; Summa Genera in tanta Virtutum varietate delibemus, eam ex triplici Amore æstimabimus, *Amore supra Nos*, *In Nos & Juxta Nos*, cui, si meretur, qvartum genus etiam addetur, *Amor infra Nos.* Amor supra Nos est *Amor Dei*, Amor in Nos *Amor Nostri*, Amor juxta Nos *Amor Proximi*, Amor infra Nos *Amor Brutorum*, & si qvid ei simile datur. Amoris Termino utimur eo sensu, qvo Ambrosius dixit *Lib. II. in Luc. Amorem, Charitatem ipsam formam & matrem Virtutum*, & Apostolus. *Finis Præcepti est Charitas, I. Timoth. I.* Quod pluribus illustratum à *Thoma Qq. de Charit. Art. III.* In comparatione Amorem Dei cæteris omnibus anteferri oportet: Nam qvia Ens perfectissimum est, nec satis cognosci, nec coli, nec amari, tanto minus alterius rei Amor ei æqviparari potest, qvi enim supremus omnium est, cum eo inferius nullum comparari meretur; Finiti ad infinitum nulla proportio. Henrici IV. Regis Galliæ hac in re Peccatum allegatum *Med. Polit. Diss. III. §. IIX.* Dicebat is *se malle centies damnari, quam videre Galliam suam implicari amplius tot funestis motibus.* Sed enim nemo Æternam damnationem præoptare potest, ut suis vel Reip. in qva vivit bene sit. I. Qvia æterna damnatio est actus extra hujus vitæ negotia, adeoq; extra Vitam Socialem constitutus, non potest ergo inter nos & Remp. eo nomine institui comparatio. II. Ne dicamus de peccato adversus Amorem nostri, Creatura obligata ad extremum conatum usq; gloriam Dei promovere, non potest ergo Infernum præoptare, Impii enim in Inferno

ferno Deum non glorificant, sed blasphemant. De Mosis & Pauli exemplo dictum *Med. Pol. Diss. IV. §. ult.* At Amorem Nostri & Amorem Proximi in æqvilibrio pendere oportet; Nec possumus nos plus amare qvam proximum, omnium enim in hoc mundo idem jus est, qvod itidem demonstratum *Medit. Polit. cit. Diss. III. §. IIX.* Nec Proximum plus qvam Nos ipsos, jubemur enim Proximum amare non præ nobis, sed juxta Nos, de qvo pluribus *prac. c. IX. §. XI.*

V.

Demonstratio Amoris Divini evidentissima, in qva ne multi simus, dicimus I. *DEUM amandum esse*, 1. qvia Deus est, est namque Ens *αὐταυτὸν*. perfectissimum & optimum, adeoque necessario amabile. 2. Qvia Creatum Creatura est, Creatura enim qvanta qvanta est à Deo est, Deum ergo necessario amat, qvia se & conservationem sui amat, si enim non amaret, nec esse nec conservari se vellet, certe qvæ esset aut conservaretur, non amplius digna est. Qvo referenda memorabilis illa vox Mariæ Lusitanæ Alexandri Parmensis Uxoris, qvæ morti vicina, cum nihil accuratius qvam liberorum educationem marito mandasset, iis ad Deum vocibus usa dicitur, qvas & Galliæ Reginam Ludovici S. parentem usurpasse legerat: *Ego in hoc Articulo temporis, qvod mihi supremum est, Te Parens omnium oro qvæsoq;, ut si liberi mei gravius in Te Crimen admissuri sunt, Tu festinata illorum morte Tuæ Majestatis injuriam antevertas.* Dignum profecto Regiis matribus votum, qvæ sibi filios esse nolint illos, à qvibus Rex omnium Deus Patris loco non habeatur. *Strad. Dec. I. Libr. IV.* II. *Deus summe adeoq; supra omnia amandus est*: Diligas Dominum Deum Tuum ex toto corde, toto animo omnibusq; Viribus tuis. *Matth. XXII.* seu uti authenticus Textus significantius loqvitur, *cum omni valde Tuo.* Est enim Ens Summum & Infinitum, ideoq; nunquam satis amari tanto minus aliquid ei æqviperari potest. Qv. *Quomodo Deum magis quam Creaturas amare dici possimus, cum longe plures actus nostri tendant in Creaturas & necessaria hujus vitæ, ac vocationis partes, quam in Deum?* Resp. *Voet. Vol. III. Diss. de Am. Dei §. II.* Tendere in Creaturas & Bona ejus non solitarie sed dependenter à Deo, adeo ut immediate qvidem sentiamus Bona rerum creatarum, mediate tamen in illis ac per illas gustemus Bonitatem Dei. III. *Deus præ Nobis ipsis amandus est*, qvia in Deo & per Deum

id

id sumus qvod sumus. *Oportet super transire omnem Creaturam & seipsum perfecte deserere*, ac in excessu mentis stare & *videre Deum omnium Creatorem cum Creaturis nihil simile habere.* Besold. *Ax. XXXIIX.* Qvæ & celebris illa & à Servatore ante omnia commendata *Abnegatio suiipsius est*, seu *Christianorum Mors Philosophica.* Creatura enim per se est nihil; Jamq; si deficiat à seipsa, nec suipsius existat, tunc manet Dei Creatoris, cujus est & fuit anteqvam inciperet esse. Iterum *Besold. Ax. XVII.* IV. *Deus propter seipsum amandus est*; Est enim per seipsum Ens optimum: Qvi Deum propter aliud amat, non amat Deum supra omnia, sed aliqvid potius amat qvam Deum; Nec qvicqvam amari potest nisi in Deo; Nihil qvippe sine Deo esse eoq; nec amari potest. Huc facit Psalmi istud: *Quis mihi in cælis? Et præter Te nullo delector in Terra. Ps. LXXIII. 25.* Dann was wäre mir der Himmel nütze ohne einem gnädigen GOtt. *Scult.* Psalm-Post. *P. II. fol. 296.* Potest tamen haberi intuitus ad præmium respectu Amoris, non respectu Amati. *Thom. in III. Sent. Dist.* XXIX. *Art. IV.* h. in Amore Dei spem Vitæ Æternæ expetere possumus; sed ut Deum tunc perfectius amemus. Vid. *sup. c. XI. §. VI. ad Qv. An Virtus sibi ipsi sit præmium.*

VI.

Amoris Dei partes sunt, Agnoscere Magnitudinem ejus, in Bonitatem ejus sperare, & ne offendamus ipsum metuere. *Deum ut Deum veneror, ut Justum tremo, ut Bonum amo.* Thom. *Opusc. LXI. c.* III. Seqvitur ergo I. *Deum colendum esse*; Colere proprie dicimur illud, qvod officiis & labore studemus qvantum possumus nobis facere beneficum: Sic præsidii gratia Potentes colimus, adeoq; Deum etiam colimus, ut eum Nobis propitium habeamus, eritq; cultus Divinus illas actiones edere, qvæ Pietatis ergà Deum signa sunt, hæ enim Deo gratæ sunt & hisce solis propitius nobis reddi potest. Porro II. Ex primæ Tabulæ Decalogi *Deum agnoscendum esse Deum*; h. Summum, infinitum, perfectissimum, talem enim non agnoscere, est Deum non Deum agnoscere. III. *Deum agnoscendum esse, qui Israelitas ex Ægypto eduxerit*: Qvod erat pro conceptu istius populi, qvi eos potentissime gubernavit, idqve si ab hypothesi ad thesin transferatur, erit agnoscere Deum omnia gubernare potentissime. IV. *Alios Deos coram illo habendos non esse.* Deus enim qvia summus & perfectissimus est, non potest nisi unus esse; Unde pro-

scribendus totus apparatus Deorum Gentilium, nam plures uno Deos statuere est non Deos statuere, perfectionem quippe quam unus haberet, alter non habiturus esset, eoq; nec foret Ens perfectissimum. *Et ne Gentilium quidem religiosas Phrases*, qvales Dii boni, me herce, & ss. *adhibere licebit quamvis non ex proprio sensu*; Licet enim Deos alienos ipsos ita nō statuamus, statuimus tamen eorundem larvas, qvæ vero Deo æqve indignæ sunt. *Voet.* P. II. *Disp. de Vocat. Gent. pag. 601. & seq.* Inst. *Melioris Latinitatis causa adhiberi.* Resp. Qvasi imitari sit non tantum lacinias verborum & phrasium transcribere atq; ex iis centones consarcinere, sed & res ipsas una cum verbis in res tuas traducere, & Gryphos eqvis jungere. Qv. *An Gentilium Scripta, quæ Gentilismum involvunt in Scholis docenda?* Negat *Augustinus Confess. Lib.* I. *c.* XVI. *toto.* Ubi inter alia memorabilis sententia est, postqvam Jovis Adulteria commemoravit: *Non omnino per hanc turpitudinem verba ista commodius discuntur, sed per hæc verba turpitudo ista confidentius perpetratur.* V. *Nec Imagines Divinas esse faciendas*; Imago enim est repræsentatio rei visibilis, Deus autem nec videri nec figura comprehendi potest, aut si delineetur, non ipsum delineamus, sed phantasma nostrum, qvod qvi delineat, non Deum delineat, sed idolum. Cui addendum VI. Non externis tantum imaginibus Deum exhiberi non posse, sed peccari etiam si Deum qvoqvo modo instar materialis concipiamus, vel eundem juxta LL. Intellectus nostri disponamus, non Deum enim tunc, sed phantasma nostrum formamus.

VII.

Porro autem *de Deo etiam considerate loquendum est*; Est enim signum Timoris erga eum, de qvo nunqvam reverenter satis loqui possumus. *Nec abutendum Divino Nomine*, qvia cedit in contemptum Dei. *Nec subtiliter tricandum de Divina Natura*, ne videamur Divinam Majestatem ad conceptus nostros trahere; cum vix paucos Characteres ejus cernamus, eosdemq; distinctu difficiles, ob nimiam, qvæ infiniti à finito est, distantiam. *In Verbum Dei tamen inqvirendum est*; Non qvidem tanqvam in rem dubiam, Voluntas Dei enim Verbo ejus ostensa est ultimus Terminus omnis inqvisitionis Religiosæ, sed ut intelligamus, qvæ sit Voluntas Dei, seu ut summo studio feramur tanqvam ad rem aliqvam inveniendam, qua non possimus ullo modo carere.

Ames.

Ames. Med. The. L. II. c. IIX. §. IIX. Idemq; sed simplici ratione docendum: Neq; oratio mea neq; præconium meum versatum est in persvasoriis Humanæ Sapientiæ verbis, sed in Demonstratione spirituali & potenti 1. *Cor*. II. 4.5. Eoq; procul vulgari more *Sermones Sacros verbosis dicendi modis implendi*: Qvia id sine rerum Divinarum contumelia fieri non potest, has enim levibus istis flosculis commendare est ebur atramento candefacere. *Ames. in cit. l. Pauli App. ad Med. Theol. p. 397. seq. Minime omnium vero sententia aut Historia Humana admiscenda*, ne ita colamus qvodam modo homines Dei loco; Et Paulus qvidem sententias Gentilium alicubi citavit, sed ad convellendas proprias eorum hypotheses, qvo labore Minister Sacer non amplius opus habet. Qv. *Qvid de Lingvarum peregrinarum usu in Sacris Sermonibus?* Resp. *Lutherus* Tisch R. *fol. 194* Griechisch/ Ebreisch/ und Lateinisch in Predigten mit einsprengen und außgießen/ ist eine lautere Hoffart / die sich nicht an seinem Ort und Zeit gebüret noch reimt / allein geschichts / auff daß die arme unverständige Leien sich verwundern und sie loben/ Ey/ sprechen sie/ das ist ein wolgelährter und beredter Man / ob sie wol nichts davon verstehen noch darauß lernen. *In controversiis quoq; versandum*, sed eo modo, quo utimur Theriaca, ad depellenda nempe venena, quæ desiperet, si alimenti loco assumeretur. Wir schreiben umb anderer Leute willen / auff daß die einfältigen Schäfflein für den Wölffen geschützet, und die so irren bekehret werden mögen. Iterum Luther. Tisch R. *cit. fol. 184.* Sed *Cur Homines nunc non amplius eo numero ad Religionem Evangelicam se conferunt, quo initio Reformationis?* Resp. Rationes videri reddi posse. 1. Novitatem excitasse Spiritus. 2. Reformationem incidisse in illa tempora, qvibus Aulæ Romanæ violentia in Principes nimis aperta erat. 3. Mores primorum Reformatorum commendasse ipsam Religionem. 4. Zelum eorundem accendisse fervorem in animis audientium. 5. Persecutiones veluti per antiperistasin duplicasse istum fervorem, qvemadmodum & Arca Fœderis tunc maxima edebat miracula cum in deserto esset: Qvibus 6. respectu Catholicorum addi potest Celeritas hujus commotionis, ex qua Catholici se non statim colligere potuerunt, quam rationem præcipue urget *Monzambano* c. IIX. 7. Iidem magnam partem emolliverunt duriores hypotheses suas, sicq; verborum splendore imponitur nunc Auditoribus; Et 8. Prima Principia controversiarum nunc in dubium vocari cœpe-

ri cœpe-

ri cœperunt: Cum enim antehac apud utramq; partem in confesso esset Scripturæ judicio standum esse, hodierni Catholici eam incompetentiæ accusant, ejusq; jurisdictionem declinant, qvo principio vacillante haut facile transitus à Catholicis ad Evangelicos sperari potest. Vid. plur. *Jean. Despagne Err. Pop. Sect. II. c.* XXVII.

IIX.

I. *Oratio* seqvitur ad Deum dirigenda, qvia enim optimus est, omnia ab ipso expectanda, & in omnibus voluntas nostra ipsi subjicienda. *Non indiget illa qvidem Deus*; At Justitia ejus reqvirit, ut gratiam nobis non det, nisi imploratus; Sol vapores non elevat, ut sibi servet. *Bes. P. I. c. III. Ax. III.* Et qvia imploratur, ut gratiam Nobis det, *desideriis nostris exauditio non semper respondet*, nescimus enim sæpe quæ voluntatem nostram seqvantur incommoda, unde non gratiam, sed qvod nobis noxæ foret, daturus esset.

Non dubita dabitur

Quodcunq; optaris, sed Tu Sapientius opta.

Erat Solis ad Phaetontem responsum cum Phaeton curru Solari vehi imprudenter peteret. *Pœnam, Phaeton, pro munere poscis*, dixit eidem.

II. Orationem *concinnam* esse oportet; Est enim Reverentiæ Signum; Amor, Fiducia, sine Reverentia friget. *Non longam & tautologam, sed brevem*; Longæ enim ostentationis notam effugere neqveunt, unde Deo ingratæ sunt, nisi fiant ex abundantia cordis. Quo referenda Consideratio *Orationum Jaculatoriarum* (qvæ in modum Jaculorum in cœlum mittuntur) Stoß-Gebethlein/ h. qvæ omnibus actionibus nostris, omni loco & tempore immixtæ sunt, Brevissimæ, Freqventes, qvemadmodum Candela recens extincta facilius accenditur & nonnihil adhuc transacti retinet Caloris. *Besold. P. II. Ax. pag. 75. Gestu debito qvoqve expressam*, h. eo qvi Dei Majestatem, Voluntatem nostram, & rei ipsius naturam decent: Unde & Genuflexionem maxime probamus; Est enim submissionis signum: Solitus modus, quo stando preces facimus nimiam confidentiam, nec magnam curam Orationis nostræ præ se ferre videtur. Reqvirimus & *Vocalem Orationem*; Fas qvippe est, ut corpus una cum anima in hac cultus parte possit exerceri; Et Oratio dum voce exprimitur, reflexionem qvandam habet in ipsum animum, ex qva magis accenditur majoresq; vires acqvirit. Orationis Vocalis genus *Cantus* est, institu-

instituendo ad distinctionem meditationum, qvæ magis intercedit inter verba & cordis elevationem, qvam in aliis orationibus. Unde ea qvæ Orationis natura non participant, non videntur cantu in Ecclesia comprehendi debere, carent enim fine in cantionibus necessario, ut cor elevent ad Deum: *Historia itidem Cantionibus exhibendæ non sunt* ob causam eandem. Nec *Cantionum & Precum* in universum *alternatio per Antiphona* modus concinnus est, videmur enim qvasi partiri necessitates nostras, qvas Deo conjunctim offerri oportebat.

III. Deniq; *necessitatibus nostris reqviritur congrua esse Oratio.* Unde materies nobili illi Qvæsito: *Utrum certis Precum formulis utendum sit, an pro necessitatum nostrarum ratione illæ concipi possint?* Et in specie de Oratione Dominica Quæstio est: *Utrum instar Formulæ, an instar moduli orandi à Servatore nobis sit proposita?* Ad priorem Resp. Concipi aliqvando posse pro necessitatum nostrarum ratione, si animo integro id fieri possit, qvem Deus potissimum spectat: At communius certas Formulas utendas esse; Pleriq; enim minus ordinatos conceptus gerunt, quibus causam suam Deo exponant: Præstat ergo melioris ordinis gratia certas, h. à Viris pijs jam ordinate digestas adhiberi Formulas, quam per incertas vagari & veluti neglectus alicujus aut contemptus Divinæ Majestatis nos reos facere, cum ne in humanis quidem Principes patiantur causas Subditorum sibi exponi, nisi certo constet ordine supplicatio, licet alias necessitatis supplicantium non sint ignari. Ad II. Quæstionem itidem R. Esse Formulæ instar propositam; Christus enim non dicit, Rogate Patrem vestrum, ut Nomen ejus sanctificetur, ut Panem vestrum det vobis & ss. quæ modulum præberent; Sed *dicite, Pater noster, &c.* Qvi clari Termini sunt precandi Formulæ. Eandem egregie tractavit *J. Desspagne* singulari *Diss. de Usu Or. Dom.* Opponitq; improbantibus usum ejus tanqvam certæ Formulæ, Formulam talem vel non permissam esse, quod nemo asserere possit, vel non esse necessariam, cui regerit nec necessarium esse eam omitti, vel non expedire, quod itidem non possit asseri. Inst. I. *Apostolos nunqvam ea usos fuisse legi.* Resp. *J. Desspagne*: Nec legi in Sacris Judæos unquam celebrasse Annum Jubilæum, qvi tamen qvia ingens momentum Legis Ceremonialis ex eo pependit, procul dubio haut omissus fuit: Neque leguntur Apostoli in nomine S. Trinitatis baptisasse, nec tamen ideo credendi sunt hanc For-

mulam omisisse. Inst. II. *Eum, qui morti vicinus est, non posse orare, Panem nostrum quotidianum da Nobis hodie.* Resp. 1. Nos orare non tantum pro Nobis, sed & pro aliis. 2. Comprehendi omnia vitæ necessaria, ipsamqve adeo respirationem. Inst. III. *Non posse nos ea semper uti, nisi cum periculo Salutis nostræ, ob remissionem inimicis faciendam, in quam non possumus æque semper propendere.* Resp. Ita intervallum quoque posci posse, ut tota Invocatione Divina absistamus; Hæc enim veluti Christianum præsupponit, ita Officium Christiani Hominis exigit, cujus pars est ignoscere inimicis. Qv. *Quid de Horis Canonicis sentiendum?* Certas Formulas quidem esse; Sed I. Orationes magis pomposas, quam simplices. II. Eas abundare multiformibus ritibus in infinitum variandis, unde Labyrinthea & inexplicabilis vexatio Spiritus, à qua orantes se expedire nequeunt. *Rosaria*, ne de aliis internis defectibus eorum dicamus, Tautologiis laborant. *Litaniæ* non spernendæ quidem, at rebus terrestribus magna sui parte destinantur, cum longe plura & sublimiora peti oporteat: *Quærite primo Regnum Dei, & cætera accident vobis.* Ideo & Orationis Dominicæ non nisi unicam petitionem videmus esse de Necessitatibus hujus vitæ. Sed vulgus nostrum secus factitat, & multi vix orarent, nisi fame & periculo noctis monerentur. O miserum Christianismum, qvi propter commoda tam exigua tantum Deum qværit!

IV. E ritibus Orandi *Genuflexionem* jam attigimus *præc. n. II.* *Ritus versus Orientem orandi* singulari Tractatu descriptus à *Cl. V. Hildebrando*, Theologo Helmstadiensi. Rationes ejus, ne prolixi simus in eo, affert *Gavantus Thes. Sacr. Rit. L. I P. II. Tit.* & ex eo *Voet. Disp. de Idololatr. Indir.* 1. Adorandum esse, ubi steterint pedes Domini Ps. CXXXII. Illos autem stetisse in monte Olivarum, qui est ad Orientem. 2. Respici ita Paradisum, unde Adam ejectus est. 3 Christum in cruce occasum spectasse, eodemq; positu Cœlum ascendisse & inde venturum ad Judicium: Conversis igitur ad Orientem veluti sedem Christi adorandum esse. Sed Oriens & Occidens non sunt fixi Termini mundi, sed idem punctum respectu diversarum Orbis partium Orientale & Occidentale est. India Orientalis respectu nostri quidem talis est; Sed eadem Americanis est Occidentalis: Et rursus America nobis quidem India Occidentalis est, sed Chinensibus est Orientalis. Sic Hierosolyma nobis ad Orientem quidem

dem posita est, sed Babylonijs, Persis, Indis ad Occidentem sita est: Si qvid roboris ergo in istis argumentis est, oporteret Orientales istos non versus Orientem sed versus Oceidentem orare; Qvippe in quo respectu ipsorum Hierosolyma sita est: Sicq; & Danielem Babylone quotidie versus Hierosolymam orasse legimus, eoq; non versus Orientem sed versus Occidentem. Qv. *Quid de trino Campanæ Signo sentiendum?* Salutationem Angelicam eo designari; Ab Evangelicis vero in speciale incitamentum ad orandum transformatum, quod an finem suam attingat, illi viderint, qui sua interesse putant ritus tales in Ecclesia servari.

IX.

Orationi jungimus Benedicendi formulas inter homines passim usitatas. Non enim aliud sunt, quam orandi pro salute alterius modi, qvanqvam Patriarcharum Benedictiones etiam vim Prophetiæ habuerint. Generaliùs, omnis Benedictio est aut *Operativa* Dei & Christi, aut *Denunciativa eaq; ordinaria* Typica in V.Test. *vel extraordinaria* Angelorum & Sanctorum, qui peculiari pietate & dono ad hoc erant instructi; Aut *Votiva s. Invocativa*, qvæ est omnium Pastorum & Fidelium. *Voet. Vol. III. Disp de Bened §. IIX.* At istæ variis rebus additæ Consecrationes apud Catholicos improbandæ sunt, peraguntur enim absque mandato & promissione Dei, nec effectus respondet rebus; Ideo *Gretserus de Benedict. Lib. II. c. LI.* solicite disquirit, *cur hodie per Benedictionis usum miracula patrari non videantur? Maledictiones*, quando exitium aut adversi alicui à Deo imprecamur, rarissime admittendæ, ob metum intervenientium privatorum affectuum, & ne videamur Attentati contra Divinam Majestatem rei esse; Ideo ne Diabolo qvidem maledicendum esse exemplo Michaelis Archangeli c. XI. annotavimus; Et Theologi eodem fine non nisi his conditionibus instructas requirant. 1. Ut fiant ad Gloriam Dei & Salutem Ecclesiæ. 2. Absq; privatæ vindictæ studio. 3. Nec de alio quam temporali incommodo. 4 Nec in adversarios privatos sed publicos 5. Nec in horum adeo personam, quam peccata. Q. *Quid de Maledictionibus Testamentis aliisq; piis fundationibus additis sentiendum?* Resp. 1. Esse Signa enixæ voluntatis Fundatorum, qvam pervertere veluti est gravissimum adversus Legem Gratitudinis peccatum, qvia facimus nos Dominos Voluntatis alienæ, ita pœnis Divinis non caret 2. Esse conspectum comminationum in transgressores hujusmodi divinitus consti-

constitutarum: Unde & effectu sæpe non destituuntur, non quidem ideo, quia maledictio talis ab homine scripta est, Hominum enim per se hac in parte nulla vis, imo ne jus quidem est, sed quia Deus effectum talem transgressoribus hujusmodi adjudicat. Minime omnium vero à maledictione metuendum, si mutato Statu rerum continuatio eorum quæ fundatione continentur intentioni Fundatoris directe adversetur; Cessat enim tunc ratio fundationis eoque casus est, quem Fundator ipse si adesset, eximeret. *Grot. J. B. Lib. II. c. XVI.* §. XXII. & XXVI. Quod prudens Responsum fuit Facultatis Theologicæ Francofurtanæ nostræ, cum ante annos non multos in casu consuleretur, *An Posteri Fundatoris Scholæ Illustris Evangelicæ* comminatione Maledictionum *ex Deuter.* XXIIX. obstricti, daß GOtt der HErr alle die Flüche / die Er seinem Volcke Israel angedreuet hat / über sie verhängen wolle / *Conservationem ejus intermittere possint*, si certum sit eam vi supremæ Legis Regni non nisi Catholicis Doctoribus ac Præceptoribus instrui posse. Quam enim animo propagandi Religionem Evangelicam fundaverat, eam contra Religionem suam conservari Illustris Fundator procul dubio non intendit. Qv. *An Creaturis irrationalibus maledici possit?* Resp. Posse sed non nisi in ordine ad homines, quando Deus contra illas evocatur, ut viribus exutæ Bonis non noceant, aut malis non noceant, aut quando quis eas seu usum earum detestatur. *Voet. de Benedict.* §. *V.*

X.

Deniq; & de Tempore Sacris impendendo agendum est; Et I. quidem *Tempus Divino Cultui impendendum est.* Tempore enim indiget homo ad omnes actiones suas, atq; adeo si cultus Divinus est necessarius, etiam Tempus est necessarium, veluti Scholastici dicunt, *Deum mundum creasse, Tempus concreasse.* II. *Certum Tempus eidem impendendum est*; Homo enim non potest convenienter vacare Divino Cultui, nisi ab aliis operibus pro illo tempore vacet. *Fluvius currens non repræsentat imagines, sic Animus, qui semper est in motu negociisq; humanis turbatus, vix se ad Imaginem Dei efformare potest. Bes. c. III. Ax. XLV.* III. Certam diem, non partem diei tantum, impendendam esse ex causa eadem; Idque Juris naturalis esse etiam Ethnicis non ignotum fuit, qui dies suos statos & solennes habuerunt; Si enim tot dies extrahimus in negociis nostris, quidni in honorem Dei Diem

quoque

quoque destinemus, cujus Benignitate omnia nostra unice conficimus. IV. *Eandem diem debere esse septimam*, quia à primis usq; rerum initiis in talem distinctionem temporum in Hebdomades adeoq; septenarios consensum fuit: Quod *Amesius* porro illustrat, oportuisse nimirum minorem ejusmodi numerum seligi; Rationi enim consentaneum esse, ut cultus Dei freqventer exerceatur. Sed non hac ex causa tantum, verum ex ipso ordine naturæ & motuum Cœlestium Hebdomades non minus ac Annorum & Dierum partes pendent, qvod Astronomorum filiis non ignotum est. Unde si homines etiam non consensissent in tales Hebdomades, eæ nihilominus futuræ fuissent, motibus Cœlestibus non alium numerum suppeditantibus; Nec extiterunt Hebdomades, qvia homines in eas consenserunt, sed homines in eas consenserunt, qvod à natura ipsa suppeditari animadverterent. Atq; adeo qvia natura Hebdomades constituit, fas qvoq; fuit, ut integra singularum pars eoq; tota dies Deo tribueretur, ratione naturali semper manente, ut partem negociorum nostrorum Deo consecremus ac veluti reddamus, qvi omnia negocia nostra humana ejus beneficio gerimus, eoq; qvia omnes dies Hebdomadis Dei benignitate in negotiis nostris extrahimus, unam in negociis Dei consumamus, non minus ac singulis Diebus qvia Divinam Gratiam in nobis experimur, partem Diei qvin eidem prædicandæ & amplius exorandæ impendamus intermittere sine impietatis nota non possumus. Sed si etiam à consensu hominum, non à natura Hebdomades fluxissent, non eo minus tamen celebritas Diei septimæ Juris Naturæ adeoqve Moralis foret; Tanta enim Juris Moralis amplitudo est, ut non tantum objecta sibi connata, sed ipsa aliunde nascitura comprehendat. Sic contractus à Natura non sunt, & tamen ut contractibus fides servetur Juris Naturæ adeoq; Moralis est; Distinctio Dominiorum à Natura non est, & tamen rem alienam contrectari contra Jus Morale est, qvia enim Dictamen Rectæ Rationis est neminem lædi, ejusdem Dictamen qvoq; est neminem in eo quod suum est lædi. Sic hic, quia Rectæ Rationi congruum est certum tempus Divino cultui destinari, eo quod omne tempus nostrum Divino Beneficio vivimus, & rursus, quia tantum temporis solius Dei Beneficio vivimus, fas est, ut partem ejus soli Deo tribuamus, quia tanta parte temporis negocia nostra gerimus, fas est ut parte ejusdem Dei negocia curemus, quæ si non curaremus ingrati animi notam effuge-

effugere non possemus. Sed V. *Diem istam septimam, ultimam, primam, mediam Hebdomadis constitui non Juris Moralis amplius, sed Positivi est:* Interpretes Decalogi communiter partem Ceremonialem Præcepti de Sanctificando Sabbato vocant, cum Deus nos meminisse Diei septimæ aut Diei Sabbati jubet. A quibus modeste dissentimus I. Non opinamur enim Deum definite, sed indefinite ibi loqui, non, memento hujus Diei septimæ, aut hujus Diei Sabbati, sed indefinite, memento Diei septimæ &c. seu memento alicujus Diei septimæ, aut alicujus Diei Sabbati: Ac licet pro ratione istorum temporum non alia posset spectari quam ipsissima Dies Sabbati seu ultima Hebdomadis, id tamen non magis præjudicat moralitati hujus Præcepti partis, quam cum Deus Præcepto primo dixit, se esse Deum istum, qui Israelitas Ægypto eduxerit, quod itidem per se quidem ad Jus Morale non pertinebat, sed pro ratione istorum temporum adeoque conceptus populi Israelitici erat, Se esse Deum istum, qui omnia potentissime gubernaret. Ac proinde Præceptum de Sanctificando Sabbato totum Morale, nihil ejus Ceremoniale est. II. Si etiam Diem ultimam Hebdomadis Deus intelligi voluisset, non ideo tamen partem illam Præcepti de hac Die Ceremonialem commode diceremus; Neque enim omnia, quæ Moralia non sunt in Divinis Mandatis, Ceremonialia sunt, sed dicenda foret Juris Divini Positivi & quidem universalis: Tali Jure enim Deus adversus Homines aliquando usum fuisse Lex de non edendo Pomo Paridisiaco nos dubitare non sint, quæ non Moralis erat, non Forensis, non Cerimonialis, & tamen ab omnibus hominibus observanda, eoque erat Pars Juris Divini quidem, sed Voluntarii Universalis. VI. Quanquam v. Juris Positivi seu Voluntarii sit, Diem certam è Septenario Dierum Hebdomadis constitui, nihilominus constitutio ista ratione non caret; Sic Deus Diem ultimam Hebdomadis constituit, tanquam Signaculum Dierum Hebdomadis omnium, quia quievit Die Septima: *Sex Diebus creavit Deum Cælum ac terram, & quievit Die septima, ideo benedixit Diei septima, & Sanctificavit eam,* sunt verba præcepti de sanctificando Sabbato. Ita nempe cum universo Jure Voluntario comparatum est, ut licet Voluntarium sit, nihilominus ratione non careat, ita tamen ut Demonstrationem ejus non ex ratione tali, sed ex voluntate jubentis sumi oporteat. Sic Voluntas Principis est mensura rerum à Subdito faciendarum, & tamen

men

men Ratio est Anima Legis, h. rem fieri oportet, quia Princeps jussit, in Principe vero sola Voluntatis mensura non sufficit, sed idcirco ab eo jussa fuit, quod rationem cerneret, cur eam juberi oporteret. Similiter ergo Diem Dominicam Nos observamus loco veteris Diei Sabbati in se quidem, quod Juris Voluntarii sit certam Diem à Septenario Hebdomadis constitui: At nihilominus non sine ratione; Ea enim Christus resurrexit, & Spiritum S. in Discipulos effudit: In memoriam hujus Beneficii ergo recte sub ipsis initijs Ecclesiæ Solennitas hebdomadaria huic Diei alligata fuit. Et verisimile est ipsum Servatorem hujus translationis autorem fuisse. I. Christus enim est Dominus Sabbathi. *Marc. XII 8.* II. Christus non minus fidelis fuit in tota Domo Dei ordinanda, quoad omnia generaliter necessaria & utilia, quam Moses. III. Apostoli in rebus omnibus illa tradiderunt Ecclesiæ, quæ acceperant à Domino, *1. Cor. XI. 23.* At IV. Ne una quidem hebdomade potuerant post Christi mortem differre hanc institutionem, ita ut firma maneret Lex Moralis de una Die singulis Septimanis sanctificanda: Qvas similesve Rationes Vid. apud *Ames. Medull. Theol. Lib. II. c. XV. §. XXX.* Hincque VII. sequitur ***Diei Dominicæ s. Solis observationem***, licet Juris Voluntarii sit, nihilominus ***necessariam esse***: Justa enim ratione ista sibi constat, nec ullum tempus fuit, quo in Ecclesia Christiana sese res aliter habuit; Neq; enim ullus fere à Patribus est, quin amplum huic Solennitati det testimonium. Ita *Ignatius Ep. ad Magnesios: Omnis Christi Amator* Dominicum ***celebret Diem Resurrectioni consecratam Dominicæ, Reginam & Principem omnium Dierum.*** Justinus Martyr *Apol. II. fin.* fatetur, ***quod Die qvem vocant Solis omnium tam in pagis, quam in Civitatibus celebres agantur Conventus.*** Diem Solis vocat, alloquitur enim Imperatorem, qui quæ Dies Solis erat, probe sciebat, Diem Dominicam haut æque intellecturus fuisset. Plura Testimonia Vid. magno numero apud Autorem Anonymum Scripti, *Dies Dominica, Lib. I. c. IV.* Et omnes æque hac ratione usos fuisse, quod Christus ea die resurrexerit, ibidem docet *cap. V.* Facitq; huc inprimis accuratissima ejus declaratio apud *Athanasium de Sabbato & Circumcisione*, cujus Summa hæc est: Duplicem extitisse hactenus mundum, quorum priori salutiferam Christi passionem, in qva Sol non apparuit, finem imposuisse; Principium autem alterius Creaturæ supervenisse, quæ exordium quoque in Servatore consecuta sit. Eo-

dem

dem referenda Phrasis, *Dominicum agere*, qua Ethnici maxime Christianos Martyres exercebant, num Dominicum egissent? Qua de re Vid. *Baron. ad A. CCCIII. n. 35 i & seqq.* Sed ille per Dominicum Sacrificium Missæ intelligi contendit, Nobis Dominicum agere & Dominicum celebrare idem est, ac Dominicam Diem accepto Domini corpore celebrare. Vid *Hieron. Lib. II. in Gal.* aut secundum *Tertullianum* Dominica Solennia celebrare, *Lib. de Fug. in Persec.* Inst. I. *Necessitatem istam celebrandi Diem Dominicam præjudicare Libertati Christianæ.* Resp. Nequid de Natura Libertatis Christianæ huc minime pertinentis dicamus; Nos saltim securius hac in Die acqviescere, quam si prætextu Libertatis licentiam nobis sumamus omnes Dies celebritati huic æque aptas qvidem habendi, at interea omnes simul æque spernendi. Nam nihil bonæ frugis istam impugnandi necessitatem Diei Dominicæ Licentiam continere argumento est, quod illi ipsi assertores istius sententiæ nullam aliam Diem rei sacræ suæ destinent, adeoque reipsa cultum Sacrum inter homines exterminent. Inst. II. *Constantinum M. instituisse Diem Dominicam Teste Eusebio Vit. Const. M. Lib. IV. c. XIIX.* Resp. Autoritate ejus publice receptam fuisse; Ab institutione ejus vero non magis pependisse, quam ipsam Christianam Religionem, quippe quam observari Constantinus itidem jussit, seu ut *Sozomenus* loquitur *Lib. I. Hist. Eccles. c. VII. ut Religionem Christianam colerent, Edicto Publico mandavit.* Nemo enim inde colliget Religionem Christianam tunc primum mundo innotuisse, licet eam ante Constantini M. tempore libere colere non esset integrum: Sicq; & Dominicam solennitatem, antequam Imperatores Christianam fidem amplecterentur, non sine multo discrimine Ecclesia Dei observavit, postea autem Lege de ea ab Imperatoribus lata libere coluit. IIX. Jamque quia septimam Diem, quæcunque illa sit, coli Juris Moralis ideo est, quia in numero septenario Hebdomadis oportet certum Diem negociis Divinis attribui, cum cæteras Dies omnes Dei beneficio negociis nostris tribuamus, sequitur vi ipsius præcepti de Sanctificando Sabbato. *I, Ea quiescendum*, h. cessandum esse ab omnibus profanis operibus; Cessatio à peccatis enim non potest intelligi, cum Peccata omnibus Præceptis æque interdicta sint. At vestes induere &c. non prohibemur, pertinet enim ad communem honestatem; Et Cibum quoque parare licet, licet id enim inter opera quotidiana sit, non tamen

opus

opus profanum est, quia conservationem nostri immediate attinet, non autem per se spectat ad usum & vocationem nostram in hoc seculo. *II. Eandem sanctificandam esse;* Neque enim in otio tunc torpendum est, sed quia Deo Diem istam debemus, eam Meditationibus Sacris & Exercitiis Pietatis transigi oportet. E quo porro etiam fluit Obambulationes, Visitationes Amicorum, (nisi Pietatis aut Christianæ Charitatis causa fiant) colloqvia profana, illa die institui non licere; Licet enim ab operibus crassis ita vacemus, quotidiana tamen sunt, & si videmur qviescere, non tamen sancte quiescimus. Imo nos hisce magis peccare, quam ipsis ordinariis operibus nostris in eo claret, qvia hæc primo & per se ad Vitam Humanã & Bonum publicum necessaria sunt, ista vero neutiquam: Tanto minus vero saltationes, ludi, in casu si alias liciti essent, aliave prætensa Recreationis exercitia institui possunt ob causam eandem; Pertinetq; huc tritum se illud sub Augustini nomine L. de Decem Chordis: *Melius esse lanam facere, quam saltare.* Qv. *An Die Dominica emancipare ac manumittere liceat?* R. Aff. *ex L. 2. C. de Fer.* Ratio est, qvia est opus Misericordiæ & Charitatis. Qv. *Quid de Agrorum cultura ex L. 3. C. de Fer.* Resp. Casum necessitatis præsupponere, ne momento pereat commoditas cœlesti provisione concessa. Necessitas vero non promiscue fingenda, sed judicio Magistratus aut Ministerii æstimanda erit: Quo etiam putamus spectare Constitutionem Leonis LI. Qv. *An Conviviis indulgendum sit?* R. Neg. Qvia personæ rei domesticæ destinatæ à meditatione rerum Divinarum abducuntur, dum culinæ intenti sunt; Hospites etiam parte Devotionis exuuntur, dum dentes & ventrem parant. *Synodus Dordracena* utique An. MDCXIX. nomine omnium Ecclesiarum ab Ordd. Belgii petiit, ut prohiberentur Die Dominica gravissimæ profanationes per Nundinas, Encænia, Convivia Communitatum, Viciniarum & Nuptiarum, per Exercitia Armorum, Venationes, Piscationes, Aucupia, Lusum pilæ, Tripudia, Compotationes, Comœdias &c. Et in *Canonibus Ecclesiarum Hungaricarum* A. MDCXLII. Varadini editis Canone LIX. statuitur, Die Dominica non esse permittendam Nuptiarum celebrationem, ob causam eandem. Qv. *An Studiis non Sacris Die Dominica vacare liceat?* R. Neg. Sunt enim pars operum qvotidianorum & eorum qvidem, qvæ Qvietem nostram non sanctificant. IX. Ultimo de Terminis Sabbati à quo & ad quem, h. *qvando So-*

do Solennitas ejus incipiat, quando desinat dicendum. Et Judæorum Sabbatum quidem incepit vesperi, Cessatio ab opere Creationis enim vesperi cœpit; At quia Servator noster mane resurrexit, diei Dominicæ nostræ solennitas etiam matutino ejus tempore incipit. Q. *Quid de Nocte Diem Dominicam antecedente?* Resp. Præparationi ad diem Dominicam ea locum dandum esse, at nihilominus cum libertate in operibus nostris, alias non unum sed geminum celebraremus Sabbatum, quod si incongrui nihil habet, necessitate tamen etiam caret. Q. *Quid de Nocte Diem Dominicam sequente?* Resp. Attribuendam esse Operationibus Sabbaticis, vel certe nihil contra LL. Sabbati ea faciendum; Nisi enim totum Νυχθήμερον eis impendamus, non septimam, sed decimam quartam Hebdomadis partem videbimur Sabbato destinasse. Instat *Voetius*, occupari posse curis quotidianæ Vocationis, si quam ejus partem somno subtrahamus. Resp. I. Disponendi hanc libertatem in potestate nostra non esse. II. Eadem ratione tempus quod Cibo ac potui capiendo interdiu subtrahamus, in actiones quotidianas impendi posse, quod nemo facile concedet.

XI.

Cognata die Dominicæ *Festa* sunt, quæ Autoritate publica Ecclesiæ aut Reip. si introducta sunt, observari non abnuimus, habendaque erunt pro re nata pro Sabbatis Extraordinariis, sed Institutionis Divinæ esse nullo indicio S. Scripturæ hactenus constitit: Unde etiam si diei Dominicæ æquiparentur, vel anteponantur, quod vulgo fieri amat, id sine contumelia Sacri Cultus diei Dominicæ non minus fieri potest, quam si humana quævis in se non mala Divinis anteponamus. Seriem eorum plenissime exhibent *Matthæus Dressenus* de Festis, *Rud. Hospinianus* de iisdem, & qui Hospinianum verbotenus fere exscripsit *Theodorus Thumminus Theologus Tubingensis*.

XII.

Denique de *Jejunio* tanquam una ex insignioribus Circumstantiis externis Cultus Sacri tria verba addenda. Jejunia *Egestatis aut Diæta medica* huc non pertinent, ad Sacra enim per se non diriguntur. Ipsaq; *Jejunia Religiosa* non aliter spectanda, quam veluti media ad preces & humiliationem coram Deo nos expeditiores reddendi, adeoque ut Luna respectu Solis, quæ non suo sed Solis lumine lucet; Absque illis enim si

sint

sint Jejunia Deo displicent. Eorum usus est, quotiescunque Tentatio, Peccatum, Calamitas, quæ vinci non posse videtur, Nobis imminet; Unde & Jejunia publica à Magistratu indicta pie suscipimus, neq; minori in loco quam alia Festa aut Sabbata extraordinaria habemus; Sensu enim causæ aut Calamitatis Publicæ non affici est signum putrescentis membri Reipublicæ. Extra hunc stata Jejunia non magis videntur congrua esse, quam si Medici omnes homines uni Diætæ aut Medicamento eodem tempore sumendo alligarent. Tanto minus vi Voti ad stata singularem Hebdomadarum Jejunia obligari opus est; Nescimus enim an Deus susceptum à nobis talem promissum acceptaverit: In omni Promisso non tantum est obligatio Promissoris, sed etiam acceptatio Promissarii. Minime omnium vero Jejunia in selectu Ciborum quærenda, Is enim ludibrium Religionis non Jejunium est, cum per Pisces, vina, cerevisiam gula æque invitari possit, quam per Carnes: Dixeris esse varietatem lauticiarum potius, quam Abstinentiam aut Jejunium. Et Angli quidem eundem selelectum servant, sed, quod passim apparet, libere, neq; Religionis causa, sed ob rationes Politicas, quas recensuimus *Hist. Civ. c. IV. §.* De aliis Circumstantiis externis Cultus Divini, adeoq; Sacris Ritibus ita generaliter eum Amesio judicamus: Eas cultus Religiosi essentialia quidem non attingere, quia externæ sunt; Ex neglectu tamen & contemptu earum violari aliquo modo Sanctitatem cultus Religiosi, quia communis illa ratio ordinis & decori, quæ æque convenit Religiosis actibus ac Civilibus à Religioso cultu non potest separari, quin aliquo modo lædatur ipsa ejus Majestas ac Dignitas. *Ames. Med. L. II. c. XIV. §. XXIII.* Filia Regis non tantum intus honorata, sed etiam vestimentis aureis ornata est *Ps. XLV. 14.*

XIII.

Opposita Amoris Dei Atheismus, Profanitas, Superstitio & innumera alia, vitia enim numero semper carent. *Atheismus* Deum Sacrave negat, *Profanitas* contemnit, *Superstitio* simulat. *Atheismus Directus* qui Deum ipsum negat, mera est Stoliditas, caret fine, sano etiam unicuiq; abominationi est; *Atheismus Indirectus*, qvi Scripturam Sacram atq; Verbum Dei Revelatum vel negat, vel aliarum Gentium Sacra ei æquiparat, non multo melior est: Nam Scripturam seu Verbum Dei Revelatum non haberi, foret contra Benignitatem Nominis; Plures una Sacra

 Scriptu-

Scriptura haberi contra ejusdem perfectionem: Scriptura aut una est, aut non vera & nulla est. Nostram deniq; Scripturam ipsissimum Verbum Dei esse summa perfectio ejus indicat: Quia Liber est perfectissimus, prodiit ab Ente perfectissimo. Ratio connexi evidens est: Antecedens probetur, quia perfectissima tradit ea, quæ intime hominem, qva homo est, perficiunt. Sed huic Anonymum Scriptum Amici nostri, **die Rose unter den Dornen** / propediem pluribus satisfacturum speramus.

XIV.

Superstitio Pietatem simulat: Indeq; maxima ejus deformitas, veluti Simiæ similitudo cum homine deformitatem ejus auget. Consistit in factis ociosis cultui Divino applicatis. *Verba, facta Ociosa sunt*, quæ ad Effecta temporaria aut Spiritualia nihil faciunt, Clarius *quæ Bono obtinendo aut malo evitando per se nihil conferunt*: Unde inutilia sunt ac proinde fine carent; Et oportebit nos singulorum verborum Ociosorum rationem reddere, quia ad finem nostrum nos componere adeoque tempus melius collocare potuissemus. Generatio Superstitionis est instar Ciborum salubrium, quando corrumpuntur in vermiculos, sic Ritus ac Formulæ sanæ in Observationes pusillas & superfluas. Eadem Rebuspublicis sæpe exitio fuit, introducit enim novum Primum Mobile, quod imperio suo omnes Sphæras rapit. At homines nihilominus ea sibi opus esse aliqvando rati sunt, & gravis fuit ille Prælatorum qvorundam in Concilio Tridentino sermo, Scholasticos cum Doctrina sua Astronomis fuisse similes, qvi Eccentricos Circulos, Epicyclos, aliasve Orbium Machinas finxerunt, quo Phænomena servarent, etsi satis scirent nihil tale revera existere: Sicq; Scholasticos etiam complura subtilia & perplexa Axiomata & Theoremata invenisse, ut Ecclesiæ suæ caverent. Vid. plur. *Verul. Serm. Fid. n. XVII.* Conf. qvæ *Momzambanus* observavit de Causis Superstitionis *cap. IIX.*

XV.

Deniq; & de *Peccato in Spiritum Sanctum* hic dicendi locus est. Ejus triste consequens *Irremissibilitas* nota est. In determinatione ipsius autem laborant Theologi. Sciendum I. Generaliter vulgo Terminum Peccati in Spiritum S. usurpari, cum tamen non detur nisi una species Peccati hujusmodi, Peccata autem in Spiritum S. longe plura sed characterem Irremissibilitatis non habentia. Quotusquisq; nostrum enim est,

qui

qui jactare possit, se nunquam contra illuminationem Spiritus S. Conscientiæ nostræ factum aliquod commisisse? Et longe clarissimum est priscorum Israelitarum exemplum, *quibus rebellantibus & dolore afficientibus Spiritum Sanctitatis mutabatur DEUS in inimicum ac repugnabat iis. Jes. LXIII. 10.* Quæ fuerunt vera Peccata in Spiritum S. & tamen non Irremissibila, interea v. Christianos animi anxios sæpe videre fuit, qui audito generaliter, Peccatum in Spiritum S. esse irremissibile, in dubia inciderunt, num ipsi quoq; peccati hujus rei essent. Itaq; II. satius fuisset terminos illos adhiberi, quos ipse Servator huic rei ponit, neque enim ille generaliter de Peccato in Spiritum S. loquitur, sed in specie quodnam sit Peccatum istud determinat, Esse nim. Blasphemiam, & Blasphemiam in Spiritum S. esse irremissibilem. *Quodvis Peccatum & Blasphemia remittetur hominibus, at Blasphemia in Spiritum S. non remittetur hominibus. Matth. XII. 31. 32. & Luc. XII. 10.* E quibus sequitur Peccatum istud in Spiritum S. quod irremissibile sit esse Blasphemiam in Spiritum S. Et omnem Blasphemiam in S. S. esse quidem Peccatum in Sp. Sanctum; Sed non vice versa omne Peccatum in Spiritum Sanctum esse Blasphemiam in Sp. S. Christianum præterea metu hujus peccati torqveri non posse, nisi in specie metus Blasphemiæ ipsum habeat; Quæ observavit subtiliss. *Job. Despagne Schibolet c. XI. p. 27. & seqq.* III. Pro Explicatione hujus Blasphemiæ autem in communi Theologorum sententia acquiescimus, esse *Veritatis Divinæ sufficienter demonstratæ & persvasæ opera & virtute Spiritus S. pertinacem impugnationẽ & odium ad finem usq; vitæ.* Vid. *Maresf. Vol. I. Disp. de Pecc. in Sp. S. §. X.* Cujus consequens indubium quoque *Finalis Impœnitentia*, non tamen qvod veteres nonnulli senserunt, ipsum Formale ejus. Finalis Impœnitentia enim in omnes cadit, qui non resipiscunt ad vitam, quos sine discrimine Peccati hujus specialis in Sp. Sanctum reos non facile aliqvis dixerit. At IV. in applicatione omnino difficillimum vel etiam impossibile esse remur de altero, num peccet in Spiritum Sanctum, judicari. Difficillime enim de animo alicujus statui potest, an de Veritate Doctrinæ Sacræ probe convictus sit, item an ex mera malitia & contra Conscientiam se opponat; Ac licet aliqvem negare, oppugnare, blasphemare veritatem, facile sentiri possit, quo animo tamen id fiat, tam facile dici nequit, cum interea in hoc ipso Blasphemiæ hujus ratio specifica recumbat. Quare tutissimum erit

 Judi-

Judicium de Peccatore ejusmode suspendi, & Deo id omne pie relinqui. Exempla *Pharisaeorum*, *Juliani Apostata*, *Francisci Spira*, hoc modo considerata Vid. ap. *Hoornbeck. Dissert. Pralim. in Summ. Controvers. p. 16. & seqq.*

CAP. XV.
DE
AMORE NOSTRI.

I. Amoris Nostri Demonstratio; An adverseturAbnegationi sui?

II. Studium conservandi nosmetipsos: An mors optanda sit? Antocheiria illegalitas; An jure Civili simpliciter prohibita sit? An ex Jure Hominis in se ipsum defendi possit? An Magistratus aliquem ad Autocheiriam obligare possit? An licita sit, si videamus nos victuros in probrum ipsius Dei? Simsonis exemplum examinatum.

III. An condemnato ad mortem quocunque modo se defendere liceat? An Rei è carcere fugere possint? An damnati ad Triremes aufugere possint? An liceat Carcerem effringere? An Captivus innocens, sed capitis damnatus custodes occidere & ita aufugere possit? An Famina Capitis ob partum occisum damnata recte faciat, si oblatum Carnificis matrimonium ad vitam redimendam aspernetur & mortem eligat?

IV. Fortitudinis & Patientia illustratio: Martyrii consideratio; An Haretici possint esse Martyres? An Innocentes Bethlehemitici fuerint vere Martyres?

V. Longanimitas; Patientia Divina Explicatio.

VI. Temperantia explicatio. Ratio improbandi Luxuriem in cibis ac potu. An vitandi magni incommodi causa aliquis se inebriare possit? An sub specie Hospitalitatis vel ad vitandum grave malum possimus alterum inebriare? Quid de Poculis Salutis sentiendum?

VII. Castitatis Explicatio & Casus. An Famina possint genus medendi in partibus secretioribus à Viris admittere? Monolistarum excessus in hujus generis casibus; De Dicto Lutheri, si nolit

sit Uxor, veniat Ancilla. *Quid de Choreis sentiendum?*
VIII. An Comœdias & Spectacula frequentari fas sit?
IX. Modestia graduumq; ejus illustratio. An liceat Officia emere aut vendere? Simonia.
X. Ἀυταρκείας natura, item Æquabilitatis.

I.

ALter Ramus Boni Moralis est *Amor Nostri*, h. in genere studium nosmetipsos conservandi, & perficiendi; Natura enim sibi quemq; commendat ex universalisma ratione, quia esse est melius quam non esse, ac proinde quia esse potius, quam non esse appetimus, nec in destructionem, sed in Amorem nostri ferimur: Quod in præsens illustramus ex *Eph. V. 29. Nemo unquam Carnem suam odit, sed nutrit ac fovet eam.* Et Eccl. IV. I. *Stolidus consumit Carnem suam.* Sic Christus argumentatur *Matth. XVI. Quid proderit homini, si totum Mundum lucretur & jacturam faciat Animæ.* Unde colligimus Amorem nostri præferendum esse Amori totius mundi. *Abnegatio nostri* videtur qvidem ei adversa esse; Sed enim tum demum nos recte amamus, si in Deo & per Deum nos amemus, per nos ipsos enim nihil sumus. Legitur quoque *I. Cor. XIII. 5. Charitas non qværit, quæ sua sunt*, sed Character iste æquilibrium Amoris Proximi & Amoris nostri commendat, non Amorem nostri tolli jubet.

II.

Prima pars Amoris nostri in *Conservatione nostri* recumbit. Conservare positive est Facultas retinendi quod nostrum est, negative Facultas arcendi quod adversum est, vel idem perferendi ob causam universaliorem. Oppositaque ei mutilatio, & Destructio nostri, quos actus juste aversamur ex ratione superius data, quia esse malumus, quam non esse, indeque porro elicimus. *I. Mortem optandam non esse.* 1. Quia in se habet rationem mali, ideo enim esse malebamus, quam non esse, quia esse bonum, non esse autem malum est. 2. Quia Deus nos in statione hujus vitæ collocavit, sine cujus jussu velut eam non deserere, ita nec desiderium deserendi præ nobis ferre possumus. At dispar ratio est, si eam desiderio moderato tanquam Terminum hujus vitæ ac malitiæ & medium ad statum meliorem nos ducens cupiamus; Sic

Sic enim Paulus cupivit dissolvi & esse cum Christo *Phil. I. 4.* Desiderio scilicet Fruitionis Divinæ. II. *Tanto minus Nos mortem nobis ipsis inferre posse*, ob causas easdem, quibus addimus, Nobis in vitam nostram nihil Juris competere, sed eam debere Deo utpote autori & post Deum Reip. quippe in quam jura nostra omnia transtulimus. Confirm. Vita nostra est ipsum esse nostrum, quod à Nobis non est, sed à Deo ac proinde nec facultatem de eo disponendi habemus. At Jure Civili Αὐτοχειρία simpliciter prohibita esse non legitur, nusquam enim ita commemoratur, quin limitatio adjiciatur, nisi tædio vitæ fiat &c. *Sic L. VI. §. 7. ff. de Re Milit. Qui se vulneravit vel alias mortem sibi conscivit, Imp. Adrianus rescripsit, ut modus ejus rei statutus sit, ut si impatientia Doloris, aut tædio vitæ, aut morbo, aut pudore mori maluit*, non animadvertatur in eum, *sed ignominia mittatur, si nihil tale prætendat, capite puniatur.* Extat quidem *L. 13. ff. ad L. Aquil. Nemo Dominus Membrorum suorum.* Sed 1. Truncationem partis non sublationem totius Lex indigitat. Adeoque 2. non nisi indirecte Αὐτοχειρίας spectat. 3. Brevissime, Sensus Legis est, Nemo Dominus membrorum suorum, ut taxet ea. Conf. *L. 2. ff. eod. At ex Jure Hominis in seipsum* videtur defendi posse: Sed Resp. Jus istud, æque ac universa Libertas, non consistere in Indifferentia ad agendum vel non agendum, sed satis esse si in agendo vel aliter agendo versetur, ac proinde Juri in Nos vitamque nostram satis esse, si ita vel aliter vivere possumus, non ut vivere vel non vivere, aut Vitam nostram destruere queamus. Vid. plur. *Excell. Dn. Stryck. Diss. singulari de Jure Hominis in seipsum.* Qv. *An Magistratus aliquem ad Mortem sibi inferendam obligare possit?* Resp. In thesi Negativam facilem esse, mortem enim sibi inferre per se malum morale est, ad quod nullo jussu superioris obstringi possumus. At in hypothesi si quæratur, *quid de Obligatione Nautarum sentiendum quam aliquando ferre dicuntur, ut accenso Pulvere Pyrio se Navimq; suam potius perdant, quam Hostibus eam permittant?* Resp. I. Dubium quidem esse, an ulla instructione Nautarum & in specie Belgicorum, (nam ex horum factis quæstio nata fuit) mandatum tale contineatur? At II. Non juberi ita Autocheiriam, sed extremum tantum discrimen, nec tamen ab omni spe eluctandi destitutum, neq; enim adeo rari sunt, qui ex discrimine tali eluctati fuere, quales in Anglia

præser-

præsertim videre est, quia in structura Navium Anglicarum Pulvis Pyrius alium locum habet, quam apud Belgas. III. Juberi tutelam Salutis Patriæ, à qua etiam sine speciali jussu persona talis immunis non est; At præstat cum discrimine suo Patriæ prodesse, quam nihilominus in eo versari contra utilitatem in Patriam redundantem aut declinando illud pati, ut Patriæ damnum inferatur: Quemadmodum per Capturam navis hostis contra Patriam incrementa sumit, qui e contrario si Nauta vitam suam ita periclitatur certissimam suorum cladem experitur. *An Magistratus Capitis damnatum jubere possit, ut mortem sibi inferat?* Examinatum *Med. Pol. Diss. XV. §. III.* Q. *An Autocheia licita sit, si videamus nos victuros in probrum ipsius Dei?* Affirmare videtur *Grotius J. B. L. II. c. XIX. §. V. n. 4.* Non nobis enim, sed Deo in vitam nostram Jus esse, eoque præsumptam Dei Voluntatem solam esse, quæ mortis anticipandæ Consilium absolvat: Ita Simsonem in suo corpore vidisse veram Religionem fore derisui, Saulum gladio incubuisse, ne à Dei suisque hostibus illuderetur: Ita in Christiana Historia etiam exempla legi eorum, qui mortem sibi intulerunt, ne Tormentis adacti Christi Religionem ejurarent, & Virginum, quæ ne pudicitiam amitterent, in flumen se jecerint. Sed Virginum casus jam examinatus *c. XI. §. IV.* Cæteris opponimus personas ejusmodi turbare nihilominus Providentiæ Divinæ ordinem. Ideo nec Simsonis factum in Sacris approbatum legimus, interim veluti de Salute æterna ejus non dubitamus, quia Fides ejus prædicatur *Hebr. XI. 32.* Ita non videtur tempore licet perquam exiguo caruisse, quo post peractam direptionem ædis adhuc spirare & pœnitentiam agere potuerit. Instantia de majori Bono obtinendo, & majori malo declinando nulla est: Nam nemo idoneus Judex est ad aliquid de seipso statuendum, neque facienda sunt mala ut eveniant Bona. Inst. *Simsonem divinitus corroboratum fuisse.* Resp. Sed non in cædem sui, verum in vindictam ab hostibus Dei sumendam; cujus causa etiam robur divinitùs sibi dari precabatur.

III.

At vero mortem non tantum nobis non inferre, sed nec ab aliis ferre per Amorem nostri possumus. Quia enim natura sibi quemque commendat, nemo tenetur pati, quod cum tanto incommodo suo alter ipsi intentat. Vid. supr. *c. XI. §. XI.* Unde *Defensio nostri, h. Jus arcendi*

di quod nobis adversum est. At *condemnatus ad mortem ea uti non potest*; Jure enim, pro quo pugnare posset, scelere suo excidit. *Nec è carcere etiam fugere potest.* Injuriam enim nullam quam fuga declinaret, sed merum id quod justum est patiendum habet. Videnda tamen quæ hanc in rem *de Excusabilitate Delictorum* dicta sunt *c. XI.* *Tanto minus effractione Carceris fugam arripere potest*, ob causam eandem, Cui specialis hic accedit, quod actus ejusmodi cum injuria Reipublicæ conjunctus sit. Instat quidem *Cajetanus*, Effractionem hanc non aliter se habere, quam si quis damnatus ad Bestias, posset Bestias occidere. Sed Resp. In condemnatione ad Bestias optionem quasi dari vel vitam amittendi, vel Bestiam interficiendi, in carcere v. optioni tali locum non esse. Qv. *An Damnati Ad Triremes aufugere possint? Affi. Diana T. VII. Tr. IIX. Ref. XIV.* Esse enim Servitutem Calamitosam, adeoq; qvia superet humanam conditionem declinari posse: Idem sentiunt *Card. de Lugo & Hurtadus* apud eundem. Sed opponimus I. Talem non semper esse. II. Damnationem ad Triremes morti æquiparari; Condemnatum talem igitur nihil quod conditionem suam superet queri posse, nam si ipsam mortem quoq; subiret, nihil supra conditionem suam passurus esset. Qv. *An Captivus innocens, Capitis tamen damnatus, cæde Custodum fugam sibi procurare eoq; supplicium declinare possit?* Resp. Neg. Quia ne in causa Dei qvidem contra Tyrannum surgere licet. E. tanto minus in causa nostra id licebit. Inst. *Esse modum necessariæ defensionis.* Resp. Necessariam defensionem esse licitam, sed erga pares, custodes vero sunt instrumenta Magistratus. Qv. *An Fœmina ob partum occisum Capitis damnata recte faciat, si oblato à Carnifice matrimonio vitam redimere abnuat?* Resp. I. Delictum Fœminæ esse natura Capitale, ac proinde nec Optionis à Magistratu propositæ capax; Unde si etiam Fœmina optionem acceptaret, non illa adeo quam Magistratus peccaturus esset. 2. Dispar talis Fœminæ ratio est ab eo, qui fuga sibi consulit, is enim sua autoritate, illa non sine autoritate Magistratus agit. 3. In Fœmina iterum distingvendum, utrum Conscientiæ stimulo agitata, an indignitate personæ mortem optet. Nam posteriori respectu si faciat, delictum suum minoris æstimat eoq; de novo peccat. Alias Qq. huc pertinentes V. in Explicatione *Casuum Necessitatis C. IX. §. XI.*

IV.

Virtutes ad Conservationem nostri, quatenus illa consistit in arcendis rebus quæ nobis adversæ sunt, specialiter pertinentes sunt *Fortitudo & Patientia*. Fortitudo *metum nostrum*, Patientia *Dolorem* dirigit. Ambæ inseparabiles sunt, ideo Aristoteles eas uno Fortitudinis nomine comprehendit, quam in metu ac fiducia occupatam dixit: Metus, Res metuenda Fortitudinis in specie dictæ objectum est, Fiducia Patientiæ, in sustinendo enim occupatur. Virtus ergo quæ Metum & Fiduciam moderatur, totum erit ex duabus hisce partibus compositum. Fortis non est, qui rem adversam sustinere nescit, Et qui metum moderari nescit, nec patiens dici meretur. Eædem in causa Dei si versentur gignunt *Martyrium*; Et dubitant quidem Ethici nonnulli, *an Martyres Fortes dicendi sunt*, cum non versentur circa objectum fiduciale, quippe nullam spem aut fiduciam habentes periculo eluctandi, ideoque non Fortes adeo quam Heroice Patientes dici volunt. Sed si Fortitudo & Patientia Partes inseparabiles unius integri sunt, non minus Fortes qvam Patientes erunt, & Fortes qvidem dum metum, Patientes dum Dolorem moderantur. *Martyrium est extrema Passio pro causa Dei. Passio*, h. mali molesti receptio, *Extrema*, h. cui nihil desit ad Summam testificationem Veritatis: Unde seqvitur mortem ipsam reqviri, qvandiu enim vita superest, semper restat aliqvid, per qvod ulterius testari possumus. *Less. J. & J. Lib. III. c. I. Dub. III. n. XXI.* Similes tamen Martyribus erant, quos Tertullianus *Designatos Martyres* vocat, qui propter Confessionem Fidei tormentis subjecti erant; Supplicii hoc genus enim veluti mortem inchoatam æstimabant *Less. l. c. n. 23. Pro causa Dei* in discrimen *1. à Pœnis*, quæ sunt Passiones ob delictum, At in *causa* Dei qui versatur veluti non delinquit, ita nec punitur, sed patitur. *2. à Passionibus innocentum*, quæ quidem itidem pœnæ non sunt, sed tamen nec Martyria, quanquam laxiori sensu nonnunquam ita appellentur quemadmodum Angli Regem suum Carolum I. Martyrem ad cœlum missum prædicant, de quo pluribus *Med. Pol. Diss. XV. §. IX.* Atq; hanc ob caussam legitur etiam Pontifex M. initio hujus seculi Patrem Garnettum, qvi licet prolixus ejus in Religionem Catholicam affectus & curæ pro ea in Regno Angliæ probe constarent, Catholici etiam spissis Libris ipsius & vitam & acta prædicarent, non Sanctum adeoque Martyrem, sed Bea-

tum tantum pronunciare voluisse, quia non ob causam Religionis Catholicæ, sed ob causam Civilem & Crimen Læsæ Majestatis moriebatur, quippe conspirationis Pulveris Tormentatii conscius. 3. Addit iterum *Lessius*, Causam Dei non tantum in seipsa, sed in opere Virtutis spectandam esse, & Johannem Baptistam fuisse verum Martyrem, licet enim non pro causa Dei simpliciter passus fuerit, passum tamen fuisse in opere virtutis *c. l. n. 28. 29.* Sed an Causam Dei egerint, qui alieno cultui à quo abesse & debebant se sponte immiscuerunt eiq; vim intulerunt similesve alii dubio non caret. Dictum de eo *Med. Pol. cit. Diss. XV. § V.* Qv. *An Heretici possint esse Martyres?* Et in hypothesi *An Catholicos in India Orientali & Japania pro causa Dei occisos pro Martyribus haberi fas sit?* Resp. Aff. Patiuntur enim apud eos, qui differentiam Dogmatum nostrorum, quidq; boni malive iis insit, ignorant, quive satis ducunt Vivi Dei & Mediatoris cultum generaliter impugnari: Pro hujus gloria ergo quia pugnant & serio quidem, nec habita ratione hypothesium suarum, qvæ nec causam eorum meliorem facturæ essent, verosimile est Deum hos conatus ipsorum in acceptis numeraturum. Accedit in Conversatione illa cum Gentilibus Catholicos nullam vel certe jejunam specialium hypothesium suarum mentionem facere; Unde tanto propius ibi à nobis absunt. Sed *si Martyres sunt, etiam Beati sunt.* R. Nec de eo nos dubitare, qvia non patiuntur pro hypothesibus suis, sed pro gloria Dei & Christi, ac proinde fas est Charitativo judicio hac in re, quæ summum Charitatis gradum reqvirit, procedere, sperareq; Deum minoribus eorum Erratis veniam daturum, qui causam ejus omnibus mundanis rebus antehabuerant. Qv. *An Innocentes Bethlehemitici fuerint vere Martyres?* Resp. Aff. Passionem extremam enim pro causa Dei perhibere, & Testimonium quod nondum verbis aut sermone perhibere potuerunt, Passione ipsa tamen expresserunt: *Sufficit causa Testimonii, licet ea Eloquio destituatur,* ait *Autor Sermonum de Stella Magis visa.*

V.

Patientiæ Species est *Longanimitas*, seu uti Lessius non incongrue sentit, est ipsa Virtus Patientiæ inadæqvate concepta: Nam inter mala quæ Patientia æquanimiter tolerat est *molestia, quæ percipitur ex rei percipiendæ dilatione*, cujusmodi tolerantia vocatur Longanimitas. Sic *Deus Longanimis* dicitur, quatenus idem nos ad Patientiam invitat, mo-

tas expectat & tergiversationes nostras tolerat. Eundem & Patientem S. Scriptura vocat, non quidem quod Doloris capax sit, sed qvia moderaminis Doloris pars est compressio Vindictæ cum affectu quodam benigno conjuncta, qvam in Deo non agnoscere erit Deum non agnoscere Ens optimum.

VI.

Porro ad Conservationem nostri pertinet *Temperantia*, *Virtus moderans Voluptates nutritionem & propagationem nostri comitantes.* Ejus necessitas ex eo pendet, qvod Voluptates hujus generis nos à ratione longissime abducant, ac Bestiis, qvippe qvibuscum eas communes habemus, nos similes faciant, unde & maxima earum turpitudo ac dedecus. Ejus species sunt Frugalitas & Castitas. *Frugalitas* occupatur circa Facultatem Nutricem, estq; vel *Abstinentia*, qvæ est Frugalitas in sumendo Cibo, vel *Sobrietas*, quæ est Frugalitas in sumendo potu. *Castitas* moderatur Voluptates Facultatis generandi, qvæ vocatur *Pudicitia*, dum vitamus verba ac gestus ardorem Venereum provocantes vel signantes, *Continentia*, dum actum ipsum illicitæ Veneris vitamus. Opposita Abstinentiæ ac Sobrietati in Excessu *Pharisaica Jejunia*, in defectu huic *Ebrietas*, illi *Voracitas*. Castitati opponitur *Libido*, Pudicitiæ *Lascivia*, Temperantiæ in genere *Luxuries*. Universa Ratio moderaminis in eo sita, ut nihil talium Voluptatum per se appetatur, sed unice ad Vitæ hujus & Officiorum necessitatem. *Habet Vir temperans in hujusmodi rebus mortalibus & fluentibus vita Regulam utroq; Testamento firmatam, ut eorum nihil deligat, nihil per se appetendum putet, sed ad Vitæ hujus atq; officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet, utentis modestia, non amantis affectu.* Augustin. *Lib. I. de Morib. Eccl. c. XXI.* E qvo deinde seqvitur I. *Nos toties peccare, qvoties cibo aut potu ita utimur, ut ad functiones nostras inepti reddamur*; Non enim utimur iis tunc ad Vitæ necessitatem, sed Voluptatis causa. II. *Luxuriem esse, si ciborum ac potus copiosiori varietate delectemur*, hanc enim vitæ necessitas ac officia non exigunt. III. *Non minorem luxuriem esse, si esculenta aut potulenta in alios usus convertimus, quam eos cui destinata sunt*; Necessitates nostras enim concernunt, extra eas Juri nostro obnoxia non sunt. Nec aliud *Dominium* nostrum in eas quam *Utile*; *Directum* sibi Deus reservavit, isq; non minus vindicat

inju-

injuriam rebus suis illatam, qvam Dominus superior, si inferiorem videat in res sibi concreditas injuriosum esse. IV. *Brutalitatem esse, si ea Cibi aut Potus loco assumamus, qvæ partem eorum facere nequeunt*, fine debito enim carent, neque necessitatibus nostris succurrere possunt. Casus *an vitandi magni alicujus incommodi causa inebriari possimus? Ut v. g. nisi præbibenti respondeamus, ad pugnam provocemur, vel vi armata petamur*, Moralistas valde ambiguos habet, cujus specimen petendũ ex *Lessio Lib. III. c. III. Dub. IV.* Sed manente universali ratione moraminis Temperantiæ, qvam reddidimus, Affirmativam non opinamur difficilem esse; Nihil enim in actu ejusmodi inebriandi voluptatis causa atq; adeo per se appetitur, qvæ tamen ratio est omnium in hoc genere se exerentium vitiorum, ac proinde nec aliud hic qvam materiale peccati, nullum formale adest. Eadem ratio est, *si vitandi gravis mali causa alium inebriemus*; Nullum enim formale peccati intendimus. At dispar ratio est, *si sub specie Hospitalitatis aliqvem inebriemus*. Potu enim ad voluptatem abutimur. Qvær. *Qvid de Santeis seu Poculis salutu sentiendum?* Resp. Esse partem Excessorum mundi, aut si mitissimum loqvendi genus adhibeamus esse Facta otiosa. Vid. plur. *Voet. Vol. III. de Sort. abus. Sect. III.*

VII.

Castitas moderatur Voluptates potentiæ generandi; Ejus demonstratio eodem principio nititur, quo demonstratio Temperantiæ in universum, Nihil Voluptatum talium per se expetendum esse, sed unice ad vitæ hujus & officiorum necessitatem. Ad Fœminas autem peculiariter referri imbecillitas sexus istius reqvirit. *Maria Lusitana Alexandri Parmensis uxor dicere solebat:* Reliqvas Virtutes utcunq; dissimulari Fœminis posse, Castimonia gloriandum. *Itaq; contra omnes spectaculorum illecebras, quantum impetrare potuit à Parentibus patruoq; Rege, sepserat se. Nec minus in Poëtis volutandis (qvamvis hisce ingeniosis Voluminibus mirifice caperetur) ne forte in aliquid amatorie scriptum incideret, animi suspensa pergebat, cumq; Franciscum Petrarcham in manus aliquando sumsisset lectis paucis versiculis illico abstinuit. Et eandem ob causam adduci non potuit, ut cujusqvam Aulicorum brachio humerove niteretur &c. Strad. Dec. I. Lib. IV.* Adversantur ipsi I. *Concubitus extra Conjugium* omnes & qvicqvid iis adhæret, appetuntur

tur enim sui, non generandi causa, quæ gravis inordinatio contra Legem Naturæ est; Et quidem eo gravior, qvo evidentius naturam lædit. Unde *Adulterium gravius* Delictum est simplici Scortatione, Adultera enim non tantum se polluit & generalem finem turbat, sed etiam Jus sibi vindicat, quod non habet, jus corporis sui enim in Virum transtulit; Atq; Adulter itidem non tantum inordinationis ac pollutionis reus est, sed in jus tertii simul involat. Graviores adhuc sunt *Concubitus incestuosi Parentum & liberorum*, ob Naturæ repugnantiam, de qua dictum *Pol. Par. Diss. VII. §. XI.* Item *Concubitus Fratrum & Sororum*, ob recentem admodum parentum in liberis imaginem: Quanquam mitius de his sentiendum esse primorum hominum conjugia omnino exigant vid. *Med. Pol. Diss. VII. §. XI.* Gravissimi sunt *Concubitus cum Masculis & Bestiis*, totam naturam enim evertunt. *Pol. Parall. Diss. XV.* §. VI. Ideo & Deus Cananæos, quod iis omnibus polluti essent, se expulisse indicat Lege de incestuosis Nuptiis *Levit. XIIX.* In quorum præmunimentum aliæ quoq; Leges ibidem adjectæ. V. *Grot. J. B. L. II. C. V. §. XII. & XIV.* At simplici Fornicatione, si ambo concumbentes consentiunt, non videtur quisquam lædi. Resp. 1. Lædi Deum quod extra dubium. 2. Concumbentes se ipsos lædunt, polluuntur enim, exponuntque se periculi generi, unde difficillime possunt liberari propter Concupiscentiæ hujus intimam inhærentiam, assiduam importunitatem & effrenem impotentiam. 3. Lædi etiam universum genus humanum & totum Statum Socialem ob incommoda prolis nasciture & certissimam hinc seqventem inordinationem. Qv. *Quid de Lutheri Dicto sentiendum*, Si nolit uxor, veniet Ancilla? Resp. I. Referri, non simpliciter approbari, Hospitam suam Erfordensem ita dixisse ait. Vid. *Serm. Conviv.* II. Loqvi de Desertione Conjugis, adeoque venire Ancillam jubet, sed debito modo. Disseruit hac de re peculiariter *Christ. Keil. Diss. c. Bonifacium Godofr. Altkirchensem c. V. toto.* III. Adversantur Tactus impudici omnes, quippe *Pranuncia flagitii blanditiæ. Tac. An. XIV. 2.* Qv. *An Fæminæ possint genus medendi in partibus secretionibus à Viris admittere?* Resp. Posse dubium non est, nihil impudici enim admittunt, cum formale Impudicitiæ desit; Sed si non admittant, non tantum non teneri, sed in Exuperantiam Virtutis ipsis vertendum esse Casus Nobilissimarum Fœminarum nos dubitare non sinit. Nemo

enim

enim tenetur admittere curationem, à qva non minus abhorret, qvàm ab ipso morbo vel morte. *Dian. T. IIX. Tr. IIX. Ref. II.* Sic Maria Burgunda Maximiliani I Imp Augusta cum inter venandum eqvo excussa esset, maluit mori, quam ea parte corporis à Chirurgis tractari, qua læsa erat. Et Serenisf. Electoris Brandenburgici JOACHIMI II. Conjux Regia Hedwigis Polona, cum Grimnitii in conclavi superiori Domus Antiqvæ, uti vocabatur, cum Electore obambularet, per tabulata ruinosa delapsa, eum in medio casu per ramos cervinos subtus pendentes gravissime læsa esset, & Medicorum cura sanitati pristinæ restitui posse videretur, illos tamen adhibere præ pudore noluit, sed baculo ætatem fulciri maluit, quam manibus Chirurgorum ad sanitatem perfectiorem contrectari. *Cernit. Icon. Elect. Brandenb. in Hist. Joach. II. f. 61.* IV. *Sermone impudico etiam peccatur*, quia illa quæ natura sua cum pudore occultanda sunt, istiusmodi Verbis impudenter propalantur; Accedit Tentatio Audientium qvibus cogitationes turpes ita suggeruntur. Neque dubitamus ex hoc capite Moralium Scriptores Catholicos magnam partem accusari posse, qui nulla alia in re Casuum adeo fœcundi sunt, quam in læsæ Castitatis materia, quasi campus hic ipsorum esset, in qvo soli decurrerent, cum tamen soli per LL. proprias ipsorum hinc longissime arceantur. Ac sane tanta varietate Casus Lectori offerre sine tentatione ejus fieri vix potest, & Ingenia Humana ad solam mentionem rei vetitæ alias ignotæ facile moveri possunt: Suo loco quoque relinquimus, an ipsi Scriptores sine immunda cogitatione omni in tanto dubiorum suorum apparatu maneant. Si roges quid factu opus sit in casu motorum hujusmodi dubiorum. Resp. Vel Actus inter Conjuges futuros, & hos magna ex parte Libertatem Christianam pro se allegaturos, cujus Scopus scrupulosas curiositates omnes procul agere & in merito Servatoris tam in cognitis quam in incognitis peccatis æqve acquiescere. At si actus extrà Conjugium sint, delinqventes causam non habere angorem Conscientiæ magnopere accusandi, cum totum negocium eorum in Terminis illicitis versetur: Modus accedens si magis eos gravare videatur, scrupulum augendum non minuendum consulimus, ut peccatum tanto certius evitent, nullum peccatum enim est, quin sua natura jam coram DEO gravissimum sit & semper majus eo pondere, quod peccator ejus causa sentit. V. Ad Gestus impudicos *Chorea Socia* referendæ, non qvidem

quod

qvod Gestibus talibus illæ semper participent, sed qvod, ne intercedant, periculum sit. Nos ad Excelsa mundi eas referimus & securius vitari autumamus, 1. Qvia Illecebræ sunt ad libidinem. 2 Exprimunt Animi qvandam insolentiam. 3. Defœdant Dignitatem & Decentiam illam quæ à Christianis etiam in externis debet conservari.

IIX.

Innominatæ Virtutes sunt, *quæ moderantur Voluptates Visus & Auditus*, hucq; referendæ sunt non quidem ut Subordinatæ, attamen ut coordinatæ Temperantiæ: Earum pars opposita in Spectaculis seu Ludis Scenicis se offert, quos singularibus Scriptis jam oppugnarunt *Johan. Rainoldus*, *Andr. Rivetus* & plenissime omnium *Joh. Prynne* JCtus Anglicanus, novissime quidem etiam *Hieronymus Florentinius* in Comœdiocrisi, qvo scripto tamen se obscenas tantum, non illas Comœdias, quarum argumentum Morale & honestum sit, impugnare profitetur. Cuncta breviter comprehendit Amesius *Cas. Consc. Lib. V. cap. XXXIX.* qvi in hanc fere summam contra Comœdias ratiocinatur. 1. Consistere in vitiorum & scelerum viva repræsentatione, si autē licitum non sit ejusmodi scelera nominari, nisi cum aliqva detestatione *Ephes. V. 3.* multo minus concedi posse, ut eadem gestibus ad vivum repræsententur. 2. Neq; repræsentationibus istis speciem scelerum tantum indui, sed maximam dari operam, ut ad vivum ea & interne concipiantur & externe exprimantur. 3. Quædam eorum ita repræsentari ut simul etiam reipsa exerceantur, qualia sunt Stultiloqvia, dejerationes, vanæ execrationes & ss. 4. Spectatores quoq; periculo seductionis exponi; Tunc enim per Voluptatem vitia facilius surrepunt. Conf. Solonis expostulatio cum Thesbi *Med. Pol. Diss. I. §. IIX.* 5. In veteri Ecclesia solenne votum omnium Baptizatorum fuisse: *Abrenuncio Diabolo, Pompis, Spectaculis, & operibus ejus.* Qvod accuratissime illustratum à *Salviano V. L. VI. de Prov.* Breviter: *Ludi, Convivia, Pompæ mundanæ aliaq; similia*, quæ Indifferentia *vocantur, periculosa sunt, & illis oblectari periculosius censé; Affici ad illa contrarium est Devotioni. Seminare in terra Cordis nostri tam varias & ridiculas affectiones magnum est spirituale Damnum; Occupant enim sationis hujus fructus loco Bonarum inspirationum, & ne succus animæ ad bonas inclinationes sese diffundat, prohibent manifesto.* Besold. Ax. *P. I. c. II. Ax. XCIII.* Inst. I. Spectacula esse Recreationis ge-

nus. Resp. 1. Non esse Recreationem congruam. 2. Dari tertium, qvale erat Cromwelli Consilium, qvi orationibus ingeniosis, intercurrente subinde cantu Musico, recreari curavit Populum Anglicanum. Inst. II. *Posse materiam laudabilem exhiberi, ut Historiam Biblicam.* Sicque & *Florentinius* modo citatus, se qvidem spectacula obscena improbare, sed animum sibi non esse contra illas Comœdias insurgendi, quarum argumentum morale & honestum sit. *Comœdiocr. Praf. ad Lect.* Resp. Historiam Biblicam exhiberi prorsus intolerabile esse, Majestatē Verbi Dei enim imminuit, quam nunqvam sine timore spectari aut adiri oportet; Aliam materiam vero nunquam iis carituram, quæ in rationibus nostris desideravimus, aut si tollantur omnia scenam desituram & Actoribus & Spectatoribus destitutum iri. Qv. *Quid de Actibus Oratoriis in Scholarum & Gymnasiorum sentiendum?* Resp. Laudabiles esse, quia Juvenum Ingenia acuunt; Sed materie congrua oportere instrui. De Cromwelli exemplo modo dictum. Ex Gentilismo nullo modo peti posse, discimus ex *Augustino Confess. Libr. I, cap. XVII. Proponebatur negocium animæ meæ satis inquietum præmio laudis & decoris, vel plagarum metu, ut dicerem verba Junonis irascentis & dolentis, quòd non posset Italia Teucrorum avertere Regem, quæ nunquam Junonem dixisse audieram: Sed figmentorum Poeticorum vestigia errantes sequi cogebamur, & tale aliquid dicere solutis verbis, quale postea dixisset versibus. Et ille dicebat laudabilius, in quo pro dignitate adumbrata Personæ, iræ ac doloris similis affectus eminebat, verbis sententias congruenter vestientibus. Ut quid mihi illud, ô vera vita mea DEUS meus? quid mihi recitanti acclamabatur præ multis coætaneis & conlectoribus meis? Nonne ecce illa omnia fumus & ventus? Itane aliud non erat ubi exerceretur ingenium & lingua mea laude tua Domine? Laudes tuæ per scripturas tuas suspenderent palmitem cordis mei, & non raperetur per inania nugarum turpis præda volatilibus. Non enim uno modo sacrificatur transgressoribus Angelis.*

IX.

Conservationem nostri seqvitur cura nos perficiendi & ampliandi, h. ne quicquam prætermittamus, qvod ad majorem perfectionem nos ducat. Pertinetq; proinde huc I. *Modestia*, Virtus moderans Honoris usum: Cujus partes sunt 1. Acquisitio Honorum justa. 2. Acquiescentia

in

in iis. 3. Eorundem conservatio & defensio. Gradus eminentior ejus vocari solet *Magnanimitas*, Virtus in appetendis Magnis Honoribus occupata: Quemadmodum & Liberalitatis gradum eminentiorem vocant *Magnificentiam*, Virtutem circa magnas impensas occupatam. Vid. *Aristotel. XIV. Ethic. c. IV. & seqq.* & ex eo Scriptores Ethicos passim. Sed I. Virtutes hæ qvia ex gradu majori tantum æstimantur, non poterunt ab aliis Virtutibus sui generis natura distinctæ esse, non Magnificentia à Liberalitate, nec Magnanimitas à Modestia; Gradus enim non variant speciem. II. Magnanimitas non solo Honorum, sed generaliori ambitu Virtutum aliarum quoque videtur metienda esse, ac partem Constantiæ constituere, cum reipsa nihil aliud sit, quam adjumentorum & impedimentorum exiguorum contemptus. Nimirum Constantia consistit in continuitate Virtutis, seu ut Virtus eodem tenore fluat; Hanc igitur ut præstemus, impedimenta aliqvando contemni oportet: Sicq; Magnanimitas etiam in Fortitudine reperitur, cum in ea impedimenta progressum nostrum morantia sæpe contemni oporteat, ipsaq; Magnificentia species Magnanimitatis forsan erit, Magnanimitas nimirum circa Divitiarum Usum, cum in ea contemptus minutarum rerum pro fundamento sit. Qv. *An liceat officia emere vel vendere?* Resp. Neg. Ita enim futurum esset, ut 1. conferantur non dignioribus, nec dignis, sed indignis, qvi pecunia supplent, qvod meritis deest. 2. Hoc modo magis provocantur homines ad opum qvam ad Virtutis Studium, cum iis videant dignitates parari. 3. Illi qui officia ita conseqvuntur, non administrant ea prout Reipub. Bonum postulat, sed pro suo commodo. Alia ratio tamen est, si officiarius novus mere passive se habeat, ut si destinatis reditibus aliqvandiu careat, quomodo se habent *Annatæ* apud Catholicos & Reformatos in Anglia, quarum ratio est, qvia sunt bona Reip. ac proinde eorum dispensatio qvoq; ad Remp. pertinet. Similis ratio erit, si ex constitutione Reipublicæ initio officii sui justam partem pecuniæ solvere oporteat; Hoc enim erit veluti pignus amoris erga Remp. cui inservire novus minister cupit. Eædem vero causæ etiam manent, si ob qvemcunq; respectum externum hoc est, talem qvi muneris essentiam non attingit, honores vel munera conferamus & petamus; Et in Sacris in specie excessum in ejusmodi rebus vocant *Simoniam*, hoc est, *propositum emendi vel vendendi pretio aliqvo temporali rem spiritualem vel aliquid spirituali annexum:* Cujus

jus ratio, qvia hæc natura sua sunt talia, ut humana industria non possint comparari, sed solum Divino munere gratis concedantur. Magna itaq; irreverentia erit, si pretio sicut aliæ res humanæ æstimentur, ac ne in multos casus nos diffundamus, fundamento hoc supposito autumamus Simoniam toties committi, qvoties spiritualia rebus humanis æqviparantur, neque etiam Simoniam tantum committi, per *munus à manu*, quando pecunia datur, sed etiam per *munus ab obsequio*, quod in illum finem alii præstatur, etiam per *munus à lingva*, quando intercessione & precibus comparatur. *Ames. Lib. IV. c.* XXV. *n. 22.*

X.

Virtus moderans cupiditatem opum est Αὐτάρκεια; Aristoteles eam non tractavit, Necessitatem ejus tamen ex Præcepto X. Decalogi satis est perspicere, rationemq; habet, qvia opes ad hominem, qva homo est, nihil conferunt, cui satis est, si quoad vitæ necessaria non vivat incommode: Quam etiam Apostolus Paulus respicit I. Tim: VI. 6. 7. 8. Partes sunt 1. Opum quæ nobis contingunt acceptatio. 2. Acqviescentia seu quies in præsentibus, tanquam sufficientibus, in absentibus, adeoq; deficientibus, tanquam nobis deessent. Opposita in Excessu πλεονεξία, cupiditas & impetus plura acquirendi quam habemus: A qua differt *Sancta Avaritia*, propositum omne quod Deo gratum est semper magis magisq; augendi, quæ descripta est à *Pareo Comm. in Ep. I. ad Cor. c. IX. v. 19. p. 531 542.* At πλεονεξία vitium inter homines communissimum est, ut non abs re fuerit Imperatoris Justiniani Symbolum: *Multi nimium, nemo satis habet*: Cujus rationes sitæ sunt 1. in intempestivo desiderio perfectionis, dum accessione rei novæ nobis semper melius futurum speramus, de quo plura cap. VI. §. IV. ubi *de Infinitate seu Indefinitione Voluntatis.* 2. In studio æqvalitatis, ne alios emergere nobis interea subsistentibus patiamur. In defectu peccatur hic 1. fastidio rerum præsentium. 2. ὀλιγωρία, i. e. omnis sufficientiæ neglectu, cujus effecta sunt, ignavia in vocatione ac officio, & extrema egestas. *Æquabilitas* est virtus moderans gaudium nostrum. *Gaudium nostrum*, h. voluptatem ex rebus secundis seu fruitione boni præsentis ortam. Sic *victis insultandum non est*, inhumanum enim est, ex damnis alterius lætitiam capere, & in genere *Nemini infortunium suum exprobandum est*; Sapit

enim

enim excessum fiduciæ nostræ, cui moderandæ præest Æqvabilitas. Illustre specimen ejus à Philippo II. Regæ Hispaniæ positum attigimus supra *c. VII.* §. *X.* Opposita ei in excessu *Insolentia s. Luxuries Animi*; In defectu *Indolentia* & morosa Durities.

CAP. XVI.
DE
AMORE PROXIMI.

I. *Demonstratio Amoris Proximi; Amorem Libidinosum non esse verum Amorem.*

II. *Regula generalis cur unum plus, alterum minus amemus? Ratio Dilectionis Inimicorum: Cur ipsis maledicendum non sit? Qvo sensu Sancti ipsis olim maledixerint. Eum qui Hostis noster non est magis diligi posse quam Hostem, Consangvineum magis quam Extraneum, Parentes magis quam Amicum vel Liberos, & rursus alio casu Liberos magis quam Parentes, Conjuges magis quam Parentes vel Liberos, Amicum aliqvem insignem magis quam Consangvineum vulgarem, Societatem magis quam membrum aliquod ejus, Principem magis quam plebejum vel unum vel plures.*

III. *Utrum Benefactori, an Amico potius succurrendum sit, si aeque versentur in periculo? Casus alii hujus generis varii. An uxor debitum conjugale denegare possit, si præsumat partum inde secuturum sibi mortem vel gravem ægritudinẽ corporis allaturum? Si duo Amici alter ad Nuptias, alter ad funus nos invitent, utri gratificandum sit?*

IV. *Justicia naturæ, Hobbesii sententia, natam esse ex Voluntate Hominum, examen. Justitia Commutativa & Distributiva explicatio;*

V. *Contractuum Casus & Regulæ. Quid de Auctionibus sentiendum? An res, quæ precium legitimum aut vulgare non habet, tanti vendi possint, quanti volet Dominus? An si sciamus precium mercis mox imminutum iri, possimus eam vendere currenti precio? Plures hujus generis casus; An venditor teneatur*

neatur vitium mercis indicare. Quid sentiendum de permutatione Rerum Europaearum levicularum cum mercibus Preciosis Gentium Indicarum? An liceat rem carius vendere dilata solutione? An Chirographa possint minoris emi, quam debitum est quod continent? An eadem possint emi dimidio pretio, si difficilis vel ambigua sit solutio?

VI. Officiositatis natura & species, Gratitudo, Liberalitas &c. Discrimen Liberalitatis & Parsimoniae.

VII. Usurae explicatio & Illegalitas, Anatocismus.

VIII. Visitatio aegrotorum, Casusque ei affines. An Peste infecti domibus suis propriis ejici, & Bona eorum mobilia, in quibus pestis facile conservari solet comburi possint? An in casibus Desperatis medicinam facere liceat per Characteres magicos?

IX. Eleemosynarum explicatio: An si causa, ob quam Eleemosyna datur, non subsit; Donatio revocari valeat? Si indigens malitiae causa suspectus sit, quid faciendum?

X. Acceptatio Personarum consideratur.

XI. *Homicidii ἀνομία. Homicidium Casuale: Duella; An Aulicus si ab alio ad Duellum provocetur idemque inscio Principe ineat ac in Duello provocantem interficiat, in Foro Conscientiae excusatus sit?*

XII. *Furti itē Sacrilegii explicatio; Furem non tantum rebq ablatis sed etiam fructibus earum restituendis teneri: An Fur qui & rem ablatam & fructus ejus restituit in Conscientia securus sit? An teneatur rem ablatam, si apud ipsum pereat restituere, quae eodem modo apud Dominum sine culpa ipsius peritura fuisset.*

XIII. *Amoris Brutorum explicatio: Extensio ejusdem ad universas Creaturas. Excessus Amoris Brutorum apud Muhammedanos.*

I.

AMor Proximi est *propositum procurandi commoda Proximi.* Proximum dicimus omnem, *qui ejusdem juris vel certe finis ejusdem nobiscum particeps est, vel esse potest.* Demonstratio ejus pendet tum ex generali natura Boni moralis; Totus Status Humanum enim periclitaturus esset, nisi unumquemq; suis juribus ac fi-

ni

ni relinqvamus; Tum in specie ex Amore Dei, qvi sua natura producit Amorem erga Homines, cum Imagine ejus omnes participent, unde etiam consveta in Cathedris Ecclesiasticis Formula, *Dilecti in Domino.* Amor libidinosus utriusq; sexus itidem specie Amoris hujus tegitur; Sed tunc non amamus alterum vel alteram, sed Voluptatem ex Consortio ejus. *Aliter Vicinus, aliter Vicina amari solet. Nam illum amando illi, hanc amando nobis bona quærimus. Hobbes. de Hom. c. XII. § IIX.* Qui actus nequaquam Virtuosus adeoq; nec verus Amor est, Proximum enim non nostri, sed ipsius causa amari oportet. *Qvid erat quod me delectabant, nisi amare & amari, sed non* tenebatur modus ab animo usq; ad animum, *qvatenus est luminosus limes amicitiæ, sed exhalabant nebulæ de limosa concupiscentia Carnis & scatebra Pubertatis, & obnubilabant atq; obfuscabant cor meum,* ut non discerneretur Serenitas Dilectionis à Caligine Libidinis. *August. Confess. Lib. II. c. II.*

II.

De Æqvilibrio Amoris Nostri & Proximi dictum *cap. XIV. §. IV.* At inter Proximos ut in unum magis qvam in alterum propendeamus generali hac Regula discernendum est: *Eo plus diligendum esse Proximum, quo propius ad Communionem Jurium nostrorum accedit.* Est enim hic veluti nutus Dei, quo ab ipso excitamur ad operam in hoc illove genere præcipue collocandam: Nam licet, si fieri posset, in aliorum salutem & commoda æqve propendere teneamur, Voluntatis nostræ exercitium tamen in omnes æqve diffundi nequit, unde tales seligi oportet, qvos major & justior Dilectio commendat, eoque non omnes æque diligimus, quia *major & justior Dilectio alterum ab altero separat.* Itaq; I. Omnes Homines Amore Proximi comprehendendi sunt, omnes enim jure aliquo communi Jure & fine nobiscum fruuntur: Ipsiq; *inimici excludi non possunt*; 1. Homines enim sunt adeoque Jure aliquo communi adhuc nobiscum impliciti: Et 2. Si Deum supra omnia diligimus, inimicitia nulla apud nos adeo valebit, quin propter Deum inimicos etiam diligamus. Quam rationem ipse Servator attingit, *Matth. V. 45. Diligite Inimicos vestros & bene precamini ei, qui maledicit vobis &c. Ut sitis filii Patris vestri qui est in cœlis, qui oriri facit Solem suum super Bonos & super Malos.* Hoc est, qvia Deus ipsos patitur Humanis aliarumq; Creaturarum juribus frui, nos etiam iis exemplo Divi-

næ

næ Bonitatis illos profeqvi fas est. At *Thomam Linacrum* haut dubie vitia sui nostriq. temporis intuitum legimus lecta illa Christi sententia Librum in Terram projecisse verbis additis: *Aut hæc vera non sunt, aut Christiani non sumus.* Alsted. *Triumph. Bibl. Sect.* XXIX. §. *I.* Minime omnium vero iis maledicendum est; Est enim attentatum Divinæ Majestatis Vid. *c. XIV.* § *XI.* Et Sanctos qvidem, Davidem inprimis, legimus Vindictam Hostium à Deo rogasse; Sed 1. In persona Christi. 2. Sancti soli sciunt Honorem Dei. *Besold. Ax. Lib* II. *Ax.* LXXII. *p. 85.* II. *At eum, qui Hostis noster non est, magis diligimus quam Hostem*; Major enim causa diligendi eum est, qui non tantum vinculo Humanitatis nobis alligatus est, sed etiam jura nostra integra relinquit, aut saltim non impedit. Rursus autem III. *Consangvineos magis diligimus, qvam extraneos*, arctiori communione enim nobiscum implicantur. IV. *Parentes magis diligimus, qvam ullum amicum*, quia major est conjunctio Parentum qvam amicorum, qvoad communicationem bonorum eorum, quæ nobis maxime sunt interna. V. *Parentes magis diligimus, quam Liberos*, in iis bonis quæ redundare debent ab Effectu ad causam, cujus generis sunt Honor, Reverentia, Gratitudo &ss. Sed VI. *Liberos magis diligimus qvam parentes*, in iis quæ derivari debent à causa in effectum, cujus generis sunt sustentatio & ss. VII. *Conjuges magis diligimus, qvam vel Parentes vel liberos*, in iis qvæ pertinent ad vitæ Societatem & unionem. Conjugium enim qvia consistit in mutua participatione omnium Divinorum Humanorumq; jurium, maxima conjunctio est. IIX. *Amicum aliqvem insignem magis diligimus, quam Consangvineum vulgarem*, in iis qvæ pertinent ad officium vitæ commune, quia talis potest esse Amicitia, ut arctiorem efficiat conjunctionem, qvam Consangvinitas ipsa. *Amicus est conjunctior fratre.* Proverb. XVIII. v. 24. IX. *Communitatem aut societatem integram magis diligimus, quam qvodvis ejus membrum*, qvia major est conjunctio partis cum toto, quam partis cum alia parte. Sicque Principem magis diligimus quam plebejum aliquem aut multos ex plebe, Repræsentat enim universos: Quæ maximam partem desumsimus ex Ames. *Med. L.* II. *c. XVI* Indeque omnibus illis problematibus, in quibus Moralium Scriptores se exercent, circa Prudentiæ Electricis officia præstanda, lucem accensum iri confidimus.

3. Qva-

III.

Quærenti igitur, utrum Benefactori an Amico potius succurrendum sit, si æque versentur in periculo? Resp. Amico; Majori enim vinculo & arctiori ei conjuncti sumus, neque sine beneficiis etiam amicus nos reliquisse censendus est, alias Amicus vix dici potuisset. Eadem Responsio est, si agatur simul de *bonis & vita Amici & exteri alius Viri boni*, manet enim arctius vinculum inter nos & Amicum, quam inter nos & Virum bonum, qui Amicus non est. Rursus *si æque periclitetur Vir bonus & Vir malus, vel malus etiam magis periclitetur, vel eidem medius succurere possimus*, pro Bono deponendum est, propius enim nos attingit, quam alter, qvi malitia sua nexum vitæ rationalis aut socialis solverat. Qv. *Si videamus multos ignotos & unum qui notus est eundemq; bonum in periculo, utrum multi isti eripiendi potius, quam unus hic qui nobis notus est.* Resp. communionis à nobis traditæ principia nos ad notum ducere, inter hunc enim & nos major connexio est, atq; adeo DEI ille nutus, quo inclinandum sit, nobis indicans. Inst. 1. *Plures præferendos esse paucis adeoq; uni.* Resp. Concedi, sed in eodem genere, hic noti & ignoti diversorum generum sunt. Accedit, plures tunc præferendos esse, si pauci instar partium sint, qua in re iterum hic locus non est. Inst. 2. *Inter plures illos posse esse viros bonos, prudentiam quoq; dictare, ut potius bene, quam male de ignotis præsumamus.* Resp. Connexionem inter homines non quid possit fieri aut præsumatur, sed quid actum sit exigere; Alias in infinitum tendendi spatium facile dabitur. Qv. *Si in eodem periculo constitutos videamus infantulum aliquem & adultum, utri horum succurrendum sit?* Resp. Priori non dissimilis est, Adultum magis attingere statum hominum, quam infantulum, adeoq; illum præferendum, & de infantulo præsumi quidem potest illum æque bonum futurum, Remp. etiam de infante plus emolumenti expectare posse; sed iterum non quid fieri possit, verumquid præsenti statui congruat expendendum, ne per Possibibilitatis qvæstiones in infinitum ducamur. Inst. 3. *Prudentiam dictare infirmo potius succurrendum, quam ei qui aliena ope non tantopere eget.* Resp. Ambos hic pro infirmis haberi, versari enim in eodem, non in dispari periculo. Qv. *Si Patria & Parentes simul periclitentur, utri succurrendum?* Responsio in ante dictis jam reddita pro Patria, par-

tes enim cedunt toti. Q. *Si Pater ac Filius æque periclitentur?* Resp. Filium eligendum esse, conservatio enim est pars eorum, quæ à Causa redundant in effectum. In Aula Persica tamen Tissaphernis uxor olim non maritum, nec liberos, sed fratrem sibi reddi petiit, causata se filios alios nancisci posse, Patre autem vel fratre semel adempto se semper carituram. Qv. *Si Pater & Conjux simul periclitentur?* Resp. Conjugem eligendam esse ob arctissimam conjunctionem; Conjuges enim nihil jurium sibi reservarunt, sed qvicqvid habent, mutuo transtulerunt, qvod necessitatis genus inter Parentes & Liberos non est. Qv. *An uxor debitum conjugale denegare possit, si sciat partum inde secuturum sibi mortem aut gravissimam infirmitatem allaturum?* Resp. Aff. Major enim & justior dilectio præstationem debiti impedit, quæ est sui ipsius. Confirm. Quia ipsum conjugium sui causa & ut sibi melius esset, iniit. Qv. *Si duo amici alter ad nuptias, alter ad funus nos invitent, utri gratificandum sit?* Resp. Lugenti, illi enim merito gratificamur, quia auxilio nostro maxime eget.

IV.

Rami Amoris hujus duo sunt, alter Amor Proximi ex debito, alter ex congruo. Debitum si explet vocatur *Justicia*, Virtus suum *cuiq; tribuens inter illos, qui eodem nobiscum jure tenentur.* Reqvisitum, ut inter illos sit, qui eodem nobiscum jure tenentur eam distingvit 1. *A Misericordia*, quæ in eos exercetur, qui eodem nobiscum jure non tenentur. 2. *A Justicia Universali*, quæ universæ Virtuti adæquata est, de quo *supr. c. XIII. §. III.* De Origine ejus *Hobbesius* ita judicat: Eam proprietati rerum coævam esse & tum demum nasci potuisse, cum proprietas rerum introduceretur ; Suum enim ubi non est, h. ubi proprium non est, ibi injustum nihil est, & ubi Societas non est, ibi nec suum nec proprium est, sed omnia ad omnes æque pertinent. Sed I. Hobbesius ex particulari actu Justiciæ universam naturam ejus æstimat, Justicia quia Jus suum cuiq; tribuit, tamdiu fuit, qvamdiu jus hominum fuit, ideoq; futura fuisset etiamsi proprietas rerum nulla fuisset; Jure enim homines ideo non caruissent. Itaque veluti Jus unicuique Homini coævum fuit, ita hujus moderamen etiam ei connasci oportuit, quod deinde, ratiociniis necessitatum humanarum Divisionem adeoq; Proprietatem rerum exigentibus, in proprietate eadem rite servanda quoq; exercitum

ercitum fuit. II. Etiamsi ante Vitam Socialem locum habitura non fuisset, non eo minus tamen vere Moralis foret, neq; ex consensu hominum derivari opus haberet. Vid. qvæ in similibus Casibus de Furtis aliisve tradidimus *Pol. Parall. Disf. II. §. XIV. ad Inst. IV.* Distingvitur in *Commutativam & Distributivam*, seu Phrasi *Grotij in Expletricem & Attributricem*. Utriusq; naturam autumamus commodissime explicari, si Justitia Distributiva dicatur versari circa Actus Sociales, Commutativa circa Actus Singulares. *Amesius* solita sibi perspicuitate, sed re eodem recidente, Justitiam Distributivam vocat, qvæ Suum cuiq; reddit, Commutativam, qvæ suum cuiq; tradit. Addi posset in pleniorem explicationem Justitiam Commutativam naturaliter res æqviparare, Distributivam moraliter; Rursus Commutativam res simpliciter æqviparare, Distributivam plures simul comparare. Pluribus speciebus opus non esse probatum *Med. Pol. Disf. XV. §. XX.*

V.

Res Justitiæ Distributivæ in specie quod attinet, eæ in Casibus Politicis potissimum spectandæ. Justitia Commutativa autem huc propius & tanqvam in Sede Domestica sua pertinebit, concernitq; emendi, vendendi, locandi, conducendi aliave hujus generis negocia, quorum omnium mensura est *Precium*, h. Æqvalitatis rei alterius cum nostra determinatio. Faciuntq; aliud Precium Legitimum, qvod Autoritate publica constituitur; Aliud *Vulgare*, quod communi hominum æstimatione determinatur & utriusque usus in specie videtur præcipuè esse, Legitimi, ratione vendentis, ne excedat, Vulgaris ratione Ementis, ne infra illud offerat; Unde I. Generaliter res *non possunt vendi majoris minorisve emi qvam valent*, quia ab æqualitate sua dejicerentur; Et licet in Foro externo sæpenumero in ejusmodi casibus non detur actio, id tamen inter incommoda vitæ socialis potius referendum est, ut vitentur nempe innumeræ lites, quæ seqverentur, si actio daretur ex quolibet minori excessu. II. *Æqualitas tamen non solum ex re ipsa æstimanda, sed ex laboribus, lucro cessante &c.* Neq; enim frustra pro alio operam ponere requiri possumus: Quæ causa augmenti pro laboribus est, ita tamen distingvendis, ut illi excludantur, qui per imprudentiam vel infortunium mercatoris fiunt, ipsis enim hi imputandi sunt, non rebus in quibus versantur. III. *Minuta venditio seu per minutiores mensuras juste precium rerum*

auget: Qvia est major labor in vendendo & major cura ac industria in mercibus servandis & dividendis. IV. *Ob Emptorum copiam res pluris vendi potest*, quia ex his crescit æstimatio communis Mercium; Id enim pluris æstimatur, quod à pluribus quæritur, item quod difficilius vel minori copia invenitur; Minoris verò, cujus major est copia, vel quod minus quæritur. V. *Si quæratur aut rogetur Emptor, res minoris emi potest*: Iste modus enim indicat copiam Mercium & paucitatem Emptorum, qui communi modo velint emere, quæ duo faciunt ut res minoris æstimetur. Qv. *Quid de Auctionibus sentiendum?* Resp. 1. Licitò & excedi & defici posse à consueto alias precio, res enim ibi subsunt fortuito & incerto precio. 2. Justum precium illius fori est, qvod absq; fraude potest hoc modo vendendi obtineri. Qv. *An res quæ precium legitimũ aut vulgare non habent ut Gemmæ, Pictura Veteres, Canes possint vendi, quanti volet Dominus?* Resp. Neg. Intrinsecum enim precium suum secum habent, hoc est, aptitudinem ad æqualem cum re altera æstimationem, quæ etiam facile cognosci potest, si judicium intelligentis adhibeatur, qui spectatis circumstantiis ad rei valorem facientibus eam æstimet. Inst. I. *Res tanti valet, quanti vendi potest*, L. 2. §. Heres ff. ad SC Treb. Resp. Sed intra limites justæ æstimationis. Inst. II. *Nullam vim aut necessitatem emendi Emptori fuisse impositam*. Resp. Nec in alia Emptione vim Emptori inferri, hic vero interea nihil esse quod respondeat incremento precii. Inst. III. *Scire emptorem rem tanti non valere*, ipsi ergo *excessum precii imputandum esse*. R. Inde tantum sequi Emptorem, quia rem desiderat, malle jacturam illius incrementi facere, quam reipsa carere; Neutiquam vero sequi venditorem ideo majus precium proponere aut acceptare posse. Qv. *An si sciamus precium mercis mox imminutum iri, possimus eam vendere precio currenti?* Resp. Aff. Quia res vendi potest juxta communem æstimationem, quamdiu illa durat. Confirm. Quia Privata Scientia Venditoris communem sensum & æstimationem non mutat, alioqvin Emptor nec posset emere currenti precio, si sciret precium postea valde auctum iri. Vid. plur. *Less. Lib. II. c. XXI. Dub. V.* Similis Quæstio est, *An Pecuniam cujus precio scimus derogatum iri possimus ante Legem Principis distrahere?* Resp. Aff. Constat enim adhuc forma eadem. Qv. *An dum flantibus Austris Lana vel Sericum pondere augentur, flante Borea v. eadem minuuntur, Merca-*

tores inde commodum captare queant? Respondet *Comitolus Lib. III. Qv. XXI.* Aff. Qvia natura affert, non humanum arbitrium. Nos medium tenendum autumamus: Causam quidem nullam esse, cur Venditionem differamus, ad Emptionem tamen neminem solicitandum esse. Qv. *An Venditor teneatur Vitium Mercis indicare?* Resp. Aff: Tenetur enim cavere, ne quis inde nocumentum accipiat, alioqui videtur causam nocumento dedisse. Eadem ratio est, si emamus rem vitio carentem pro vitiosa & preciosam pro vili, qvia non servatur æqvalitas: Venditor enim non intendit rem donare, qva parte excedit, sed totam uti est vendere, & justo precio commutare: Neq; putamus aliam rationem fore, si Emptor suo judicio fidens rem aliquam è multis deligat, nihil interrogans præterquam de precio, Vitiosa res enim non debuisset à Venditore rebus aliis integris admisceri. Ait quidem *Lessius*, Venditorem nullã injuriam committere in emptorem, cum vendat rem suam justo precio, neq; per injuriam alliciat ad contrahendum, nec ullo mendacio vel fraude autor sit ut Emptor emat &c. Sed falsum est fraude Venditorem carere, quæ certe præsto est, dum integra & non integra Emptori pro iisdem offert. Ex eodem pendet Responsum ad Qv. *An si sciam occulte Debitorem meum non esse solvendo, possim iis qui id nesciunt precio ordinario debitum meum vendere?* Resp. Neg. Sicut enim jus fructuum agri sterilis in se est parvi momenti, nec potest vendi eo precio, qvo jus in agro fertili, ita jus in illum qvi non est solvendo. Unde hoc vitium videtur intrinsecum rei, ac proinde manifestandum esse. *Less. c. l. Dub. X.* Qv. *Quid sentiendum de permutatione Rerum Europæarum levicularum cum Mercibus preciosis Gentium Indicarum?* Resp. Licitam esse, qvia illo loco non pluris censentur venire, sicuti fascis Herbarum, qui venditur ad pabulum animalium, emi potest precio, quo talia vulgo vendi solent, etiamsi Emptor sciat preciosas quasdam Herbas eo contineri: Nam tota illa res ad eum usum, qvo vendi solet, non pluris æstimatur. *Less. cit. l. Dub. XI.* Qv. *An liceat rem carius vendere dilata solutione?* Resp. N. Quia dilatio solutionis est implicitum quoddam mutuum, dum enim creditor differt solutionem perinde facit, ac si acceptam à Debitore pecuniam eidem mutuet; Pro mutuo autem qvam non liceat aliquid accipere dicetur infra §. *de Usuris.* Eadem Responsio est ad Qv. *An liceat minoris emere ob anticipatam solutionem?* Qui enim solutionem anticipat,

itidem implicite mutuat. Qv. *An Chirographa minoris emi possint quam continent?* Resp. Securius quidem agere, qui negociis hisce minus impliciti sunt, ab hypothesibus antea propositis tamen Affirmativam alienam non esse, qvia talia jura dum proponuntur venalia instar mercis communi hominum judicio minoris æstimantur, quam pecunia præsens, hæc enim multarum rerum facultatem præbet, quam jura illa non tribuunt. Iterum *Less. c. l. Dub. IIX.* Qv. *An Chirographa possint emi dimidio precio, si difficilis vel ambigua sit solutio?* Resp. Aff. Communi judicio enim, qvâ æstimarentur, si voce præconis publice proponerentur, non aliter æstimanda fore; At ex publica æstimatione precium rerum pendet. Sed *si Emptor novit rationem, qva totam Summam accepturus sit?* Resp. Id fortunæ ejus transcribendū esse. *Less. c. l. Dub. IX.* Qv. *An emi possint annui Reditus?* Resp Aff. Si enim possumus conducere fundum alienum ad dies vitæ, ut ejus fructibus alamur, etiam reditus emere licet. *Soto L. VI. Q. V. Art. II. fin.* Qv. *Quid de Civitatum aliquarum more sentiendum, quo Filiâ recens natâ Reip. v. g. C. Aurei traduntur, nec repeti possunt, si puella ante XIIX. Annum moriatur, si vero nupserit, decuplum h. M. Aurei auferuntur?* Resp. Pro Aff. esse, quod sit actus Fortunæ, quo alter alteri vendit sua pericula; Et periculum offerentis longe majus est, cum filia sexcentos mortis casus habere possit, quam civitatis, qvæ non moritur. *Comitol. Resp. L. III. Q. XXV.*

VI.

Amor Proximi ex congruo, h. qui ex speciali jure nos non obligat, decet tamen, singulari aliquo nomine exprimi vix potest, nisi terminus beneficentiæ videatur plerisq; ejus partibus adæquari posse. Dixeris in eo consistere, ut *Proximum jure nostro uti patiamur*, æque ac Justitia est, si eundem frui sinamus jure suo. Species sunt *Officiositas & Liberalitas. Officiositas*, si aliorum commodis inservimus sine detrimento rerum nostrarum, cujus iterum tot species, quot modi sunt proximum juvandi: Ut si opibus nostris aliquem juvamus vocatur Mutuum, si peregrinis benefaciamus est *Hospitalitas*, Officiositas erga ægrotos in Sacris nomine *Visitationis ægrotorum* exprimitur. Si quid rerum nostrarum simul addat Proximo, seu sumptus sint, seu alia quæ sumptibus respondeant, Amor proximi vocatur *Liberalitas*, eademq; in gradu excellentiori

tiori *Magnificentia*, erga egenos est *Liberalitas Eleemosynaria*. Ejus discrimen a *Parsimonia* est qvod *Liberalitas verseтur in erogandis superfluis*, qvi enim necessaria hoc modo erogat, non liberalis sed prodigus est; *Parsimonia* contra *versatur in conservandis necessariis*, qvi enim conservandis superfluis intentus est, non parcus, sed avarus est.

VII.

Mutuum est *traditio rei numero, pondere vel mensura constantis cum obligatione, ut simili specie ac Bonitate restituatur.* De ejus discrimine à commodato similibusve videndi JCti. *Lucrum immediate ex mutuo proveniens est Usura:* Pro cujus legalitate vix quicquam allegari posse videtur, quam *Lex Gratitudinis*, unde & sequitur vix aliquid hac in re determinari posse, nisi circumstantiæ debitoris id suppeditent: Sicq; *Amesius* Æquitatem manifestam dicit, de qua nemo possit dubitare, siquis nullum certum reditum vel summam sibi præcise pendi stipuletur, sed ita pecuniam suam apud probum virum collocet, ut in illius fide acquiescat & contentus sit æquam partem fructus pecuniæ percipere pro ratione Benedictionis Dei erga ipsum pecuniæ exercitorem. Ratio cur jura eandem introduci passi sint ex statu comparato incommodorum humanorum potissimum pendet, majora enim incommoda sequerentur sine Usuris, nec debiti reddendi Creditores unqvam certi forent, nisi per Usuras constringeretur Debitor summa ipsa se tandem liberare. Securius tamen abstinere ea Officiositas adeoq; generaliter Amor Proximi svadebit, veluti enim nullâ obligatione tenebamur, ut mutuo aliquid daremus, ita per Usuram vix aliud quid acceptamus, quam alienum, non nostrum. Præsupposito 1. Mutuum esse ex illa pecuniâ, quam tunc in usum nostrum convertere non poteramus: Nam si debito solvendo ipsi astringimur, Usuras, vel id qvod interest, ab eo qui re nostra utitur aliquando non immeritò poscimus, detinet enim quod in usus nostros verti potuisset, eoq; damnum inde natum nobis jure præstat. 2. Esse privatum, Publicum enim ut Ecclesiæ aliæque Societates privilegiatæ id meritò poscunt, per se solas enim nihil acqvirere possunt, cum meræ personæ morales sint, sed ope alienâ ad id indigent, qvæ præstatur per hæc redituum augmenta. Minime omnium vero *Anatocismo*, h. fœnori ex Usura, s. Usuris Usurarum locus dari potest, & Usurariam Pravitatem id communi consensu vocant. Vid. *L. 28. Cod. de Usur.* Instat *Ames. Lib. V. Cas.*

V. Caf. Confc. c. XLIV. §. XIII. Scripturam Israelitis permisisse Usuras adversus peregrinos Deut. XXIII. 20. Quod fieri non potuisset, si res intrinsece mala esset. Resp. Id unicè per Divinam Dispensationem factum, qvæ Israelitas patiebatur durius in Peregrinos consulere more plerorumq; populorum Orientalium, qvibus Peregrini pro Hostibus habebantur. Inst. II. *In parabola de Talentis* Matth. XXV. 27. *Lucrum ex iis captum à Domino non fuisse improbatum.* Resp. Parabolam nihil continere de mutuo sed generaliter indicare commercia, quod inspicienti facillimè patebit: Nulla hinc ergo Conseqventia ad Usuras. Inst. III. *Perinde esse cum Usuris, ac si quis Prædium emat, indeq; C. Imperialium annuos reditus capiat, vel si alii pecuniam eroget ad idem prædium emendum, indeq; fructus percipiat.* Resp. Differre omnino; Illo actu enim fructus Laboris sui percipit, in hoc Lucrum ex pecunia aliàs otiosa sibi captat. Qv. *Qvid de Fidejussionibus sentiendum?* Resp. Esse partem Officiositatis, adeoq; Amoris Proximi; Sed 1. Incompletam. 2. Periculis non tantum Fidejubentis sed posterorum ejus plenissimum; qvod plurimis exemplis in nostris viciniæve tractibus nostro tempore constitit. Ideo Pellicanus Doctissimus Helvetiorum superioris seculi Theologus iis abstinendum non sine causa censuit, accipiendus tamen 1. De Rep. Platonis, h. perfectiori tali, cui cum paucissimis incommodis colluctandum sit. 2. Comparate, præstare nim. nullum, quam incompletum ejusmodi officium, quodq; innoxiis posteris damno esse possit, in se suscipere: Verba ejus hæc sunt: *Comm. in Prov. VI. 1. 2. Contra sensum carnis & judicium rationis hypocritica, ac mundi consuetudinem & imaginem pietatis dehortatur Sp. S. & probibet non solum hoc loco, sed & infra capitibus 20. 22. & 27. ne quis fide jubeat, & pignus se ipsum polliceatur vel oppignoret pro proximo. Est enim hoc non solum periculosum & experientia teste perniciosum multis, & pœnitentiæ obnoxium, sed etiam contra rationem, conscientiam, & etiam contra Deum. Primo enim confidit in hominem carnem & sangvinem instabilem, vanum & mendacem cum pro quo fide jubet ac oppignorat substantiam, corpus, vitam & prolem: Quod si is qui hoc committit, imprudentior decipitur, imputet sibiipsi. Deinde nimium tribuit sibiipsi, pollicendo certo de contingentibus & dubiis in futurum, quæ ex Deo pendent solo, qvi non vult solicitos nos esse de crastino, sed totos pendere ex Dei providentia, & de nostris viribus nil*

nil præsumere. Sic quum Gene. 43. 44. Judas se pignus interposuisset pro fratre Benjamin reducendo, vindictam sensit & angustias vehementes, & quantum in se fuit periculo mortis, quia Domini voluntatem non prætulerat, ut Jacobus Apostolus docet, & infra cap. 27. Ne glorieris in crastinum ignorans quid superventura pariat dies, & de quotidiano pane hodie nobis dando sic orare docuit, ut illi futura committeremus. Cui adversatur qui pro proximo se reddit pignus, nisi certo aliquid detur vel fiat ab aliquo homine, cum uterq; nihil possit sine Deo tot locis ea prohibente. Si vero proximo consulere volumus gravato, licebit id agere modis aliis, parata detur pecunia, si habeatur, & fieri possit; vel mutuum, nihil inde sperando, quantum carere possit, qui donat: Si creare pro se & suis non potest, nihil tale obligatur petenti. Invigileturq; à Magistratibus, ne quis sit otiosus, mendosus, dilapidator, lusor, ebriosus, vorator, usurarius: Et tunc pignora necessaria non erunt hujusmodi, frugaliter vivetur & debita non contrahentur. Gratis demus pro viro bono, & petenti, nostrumq; nutrimentum creatori committamus, nec rebus secularibus implicemur. Docet ergo hic Salomon doctrinam pro bono utili, licet etiam honestum sit cavere periculum sibi & suis. Si, inquit, per insipientiam vel imprudentiam, vel affectu Charitatis & propinquitatis fidejussisti pro proximo, jam eatenus te implicasti periculo, ut sis solvendo pro tuo proximo secundũ promissa. Creditori cui nihil debebas, volens te obligasti, qui non tardabit urgere te, tanquam infirmiorem in fide ac feliciorem divitiis.

IIX.

Officiositas erga ægrotos nomine *Visitationis* exprimitur, cujus similiumve modorum Amoris Proximi encomia V. apud *Commentatores in Matth. XXV.* Et Christus ex iis ad Electos argumentatur; Ex Operibus Charitatis enim dignoscitur Christianus, non ex operibus necessitatis. Eodem referendæ Curæ Medicinales in qvas cur homines magis propendeant, qvam alios actus charitatis ratio in causæ nimis sensibili communione videtur sita esse. Salarium vero Medicorum ex publico rationi non minus congruum est qvam aliorum officiorũ omnium, quæ ob præstitam operam Salarium exigunt: A privatis verò qvod datur tum ex Lege gratitudinis pendet, tum quod majora incommoda denegatio ejus attrahat. Qv. *An Medicinam facere liceat in desperatissimis morbis per Characte-*

V. Caſ. Conſc. c. XLIV. §. XIII. Scripturam Iſraelitis permiſiſſe Uſuras adverſus peregrinos Deut. XXIII. 20. Quod fieri non potuiſſet, ſi res intrinſece mala eſſet. Reſp. Id unicè per Divinam Diſpenſationem factum, qvæ Iſraelitas patiebatur durius in Peregrinos conſulere more plerorumq; populorum Orientalium, qvibus Peregrini pro Hoſtibus habebantur. Inſt. II. *In parabola de Talentis* Matth. XXV. 27. *Lucrum ex iis captum à Domino non fuiſſe improbatum.* Reſp. Parabolam nihil continere de mutuo ſed generaliter indicare commercia, quod inſpicienti facillimè patebit: Nulla hinc ergo Conſeqventia ad Uſuras. Inſt. III. *Perinde eſſe cum Uſuris, ac ſi quis Prædium emat, indeq; C. Imperialium annuos reditus capiat, vel ſi alii pecuniam eroget ad idem prædium emendum, indeq; fructus percipiat.* Reſp. Differre omnino; Illo actu enim fructus Laboris ſui percipit, in hoc Lucrum ex pecunia al às otioſa ſibi captat. Qv. *Qvid de Fidejuſſionibus ſentiendum?* Reſp. Eſſe partem Officioſitatis, adeoq; Amoris Proximi; Sed 1. Incompletam. 2. Periculis non tantum Fidejubentis ſed poſterorum ejus pleniſſimum, qvod plurimis exemplis in noſtris viciniæve tractibus noſtro tempore conſtitit. Ideo Pellicanus Doctiſſimus Helvetiorum ſuperioris ſeculi Theologus iis abſtinendum non ſine cauſa cenſuit, accipiendus tamen 1. De Rep. Platonis, h. perfectiori tali, cui cum paucisſimis incommodis colluctandum ſit. 2. Comparate, præſtare nim. nullum, quam incompletum ejusmodi officium, quodq; innoxiis poſteris damno eſſe poſſit, in ſe ſuſcipere: Verba ejus hæc ſunt: *Comm. in Prov. VI. 1. 2. Contra ſenſum carnis & judicium rationis hypocritica, ac mundi conſuetudinem & imaginem pietatis dehortatur Sp. S. & prohibet non ſolum hoc loco, ſed & infra capitibus 20. 22. & 27. ne quis fide jubeat, & pignus ſe ipſum polliceatur vel oppignoret pro proximo. Eſt enim hoc non ſolum periculoſum & experientia teſte perniciosum multis, & pœnitentiæ obnoxium, ſed etiam contra rationem, conſcientiam, & etiam contra Deum. Primo enim confidit in hominem carnem & ſangvinem inſtabilem, vanum & mendacem eum pro quo fide jubet ac oppignorat ſubſtantiam, corpus, vitam & prolem: Quod ſi is qui hoc committit, imprudentior decipitur, imputet ſibiipſi. Deniq; alis nimium tribuit ſibiipſi, pollicendo certo de contingentibus & dubiis in futurum, quæ ex Deo pendent ſolo, qvi non vult ſolicitos nos eſſe de craſtino, ſed totos pendere ex Dei providentia, & de noſtris viribus*

nil

nil præsumere. Sic quum Gene. 43. 44. Judas se pignus interposuisset pro fratre Benjamin reducendo, vindictam sensit & angustias vehementes, & quantum in se fuit periculo mortis, quia Domini voluntatem non prætulerat, ut Jacobus Apostostolus docet, & infra cap. 27. Ne glorieris in crastinum ignorans quid superventura pariat dies, & de quotidiano pane hodie nobis dando sic orare docuit, ut illi futura committeremus. Cui adversatur qui pro proximo se reddit pignus, nisi certo aliquid detur vel fiat ab aliquo homine, cum uterq; nihil possit sine Deo tot locis ea prohibente. Si vero proximo consulere volumus gravato, licebit id agere modis aliis, param detur pecunia, si habeatur, & fieri possit; vel mutuum, nihil inde sperando, quantum carere possit, qui donat: Si creare pro se & suis non potest, nihil tale obligatur petenti. Invigileturq; à Magistratibus, ne quis sit otiosus, mendosus, dilapidator, lusor, ebriosus, vorator, usurarius: Et tunc pignora necessaria non erunt hujusmodi, frugaliter vivetur & debita non contrahentur. Gratis demus pro viro bono, & petenti, nostrumq; nutrimentum creatori committamus, nec rebus sæcularibus implicemur. Docet ergo hic Salomon doctrinam pro bono utili, licet etiam honestum sit cavere periculum sibi & suis. Si, inquit, per insipientiam vel imprudentiam, vel affectu Charitatis & propinquitatis fidejussisti pro proximo, jam eatenus te implicasti periculo, ut sis solvendo pro tuo proximo secundū promissa. Creditori cui nihil debebas, volens te obligasti, qui non tardabit urgere te, tanquam infirmiorem in fide ac feliciorem divitiis.

IIX.

Officiositas erga ægrotos nomine *Visitationis* exprimitur, cujus similiumve modorum Amoris Proximi encomia V. apud *Commentatores in Matth. XXV*. Et Christus ex iis ad Electos argumentatur; Ex Operibus Charitatis enim dignoscitur Christianus, non ex operibus necessitatis. Eodem referendæ Curæ Medicinales in qvas cur homines magis propendeant, qvam alios actus charitatis ratio in causæ nimis sensibili communione videtur sita esse. Salarium vero Medicorum ex publico rationi non minus congruum est qvam aliorum officiorū omnium, quæ ob præstitam operam Salarium exigunt: A privatis vero qvod datur tum ex Lege gratitudinis pendet, tum quod majora incommoda denegatio ejus attrahat. Qv. *An Medicinam facere liceat in desperatissimis morbis per Characte-*

V. Caf. Confc. c. XLIV. §. XIII. Scripturam Iſraelitis permiſiſſe Uſuras adverſus peregrinos Deut. XXIII. 20. Quod fieri non potuiſſet, ſi res intrinſece mala eſſet. Reſp. Id unicè per Divinam Diſpenſationem factum, qvæ Iſraelitas patiebatur durius in Peregrinos conſulere more plerorumq; populorum Orientalium, qvibus Peregrini pro Hoſtibus habebantur. Inſt. II. *In parabola de Talentis* Matth. XXV. 27. *Lucrum ex iis captum à Domino non fuiſſe improbatum.* Reſp. Parabolam nihil continere de mutuo ſed generaliter indicare commercia, quod inſpicienti facillimè patebit: Nulla hinc ergo Conſeqventia ad Uſuras. Inſt. III. *Perinde eſſe cum Uſuris, ac ſi quis Prædium emat, indeq; C. Imperialium annuos reditus capiat, vel ſi alii pecuniam eroget ad idem prædium emendum, indeq; fructus percipiat.* Reſp. Differre omnino; Illo actu enim fructus Laboris ſui percipit, in hoc Lucrum ex pecunia aliàs otioſa ſibi captat. Qv. *Quid de Fidejuſſionibus ſentiendum?* Reſp. Eſſe partem Officioſitatis, adeoq; Amoris Proximi; Sed 1. Incompletam. 2. Periculis non tantum Fidejubentis ſed poſterorum ejus pleniſſimum, qvod plurimis exemplis in noſtris viciniæve tractibus noſtro tempore conſtitit. Ideo Pellicanus Doctiſſimus Helvetiorum ſuperioris ſeculi Theologus iis abſtinendum non ſine cauſa cenſuit, accipiendus tamen 1. De Rep. Platonis, h. perfectiori tali, cui cum pauciſſimis incommodis colluctandum ſit. 2. Comparatè, præſtare nim. nullum, quam incompletum ejusmodi officium, quodq; innoxiis poſteris damno eſſe poſſit, in ſe ſuſcipere: Verba ejus hæc ſunt: *Comm. in Prov. VI. 1. 2. Contra ſenſum carnis & judicium rationis hypocritica, ac mundi conſuetudinem & imaginem pietatis debortatur Sp. S. & probibet non ſolum hoc loco, ſed & infra capitibus 20. 22. & 27. ne quis fide jubeat, & pignus ſe ipſum polliceatur vel oppignoret pro proximo. Eſt enim hoc non ſolum periculoſum & experientia teſte perniciofum multis, & pœnitentiæ obnoxium, ſed etiam contra rationem, conſcientiam, & etiam contra Deum. Primo enim confidit in hominem carnem & ſangvinem inſtabilem, vanum & mendacem cum pro quo fide jubet ac oppignorat ſubſtantiam, corpus, vitam & prolem: Quod ſi is qui hoc committit, imprudentior decipitur, imputet ſibiipſi. Deniq; nimium tribuit ſibiipſi, pollicendo certo de contingentibus & dubiis in futurum, quæ ex Deo pendent ſolo, qvi non vult ſolicitos nos eſſe de craſtino, ſed totos pendere ex Dei providentia, & de noſtris viribus* nil

nil præsumere. Sic quum Gene. 43. 44. Judas se pignus interposuisset pro fratre Benjamin reducendo, vindictam sensit & angustias vehementes, & quantum in se fuit periculo mortis, quia Domini voluntatem non prætulerat, ut Jacobus Apostolus docet, & infra cap. 27. Ne glorieris in crastinum ignorans quid superventura pariat dies, & de quotidiano pane hodie nobis dando sic orare docuit, ut illi futura committeremus. Cui adversatur qui pro proximo se reddit pignus, nisi certo aliquid detur vel fiat ab aliquo homine, cum uterq; nihil possit sine Deo tot locis ea prohibente. Si vero proximo consulere volumus gravato, licebit id agere modis aliis, parata detur pecunia, si habeatur, & fieri possit; vel mutuum, nihil inde sperando, quantum carere possit, qui donat: Si creare pro se & suis non potest, nihil tale obligatur petenti. Invigileturq; à Magistratibus, ne quis sit otiosus, mendosus, dilapidator, lusor, ebriosus, vorator, usurarius: Et tunc pignora necessaria non erunt hujusmodi, frugaliter vivetur & debita non contrahentur. Gratis demus pro viro bono, & petenti; nostrumq; nutrimentum creatori committamus, nec rebus secularibus implicemur. Docet ergo hic Salomon doctrinam pro bono utili, licet etiam honestum sit cavere periculum sibi & suis. Si, inquit, per insipientiam vel imprudentiam, vel affectu Charitatis & propinquitatis fidejussisti pro proximo, jam eatenus te implicasti periculo, ut sis solvendo pro tuo proximo secundũ promissa. Creditori cui nihil debebas, volens te obligasti, qui non tardabit urgere te, tanquam infirmiorem in fide ac feliciorem divitiis.

IIX.

Officiositas erga ægrotos nomine *Visitationis* exprimitur, cujus similiumve modorum Amoris Proximi encomia V. apud *Commentatores in Matth. XXV.* Et Christus ex iis ad Electos argumentatur; Ex Operibus Charitatis enim dignoscitur Christianus, non ex operibus necessitatis. Eodem referendæ Curæ Medicinales in qvas cur homines magis propendeant, qvam alios actus charitatis ratio in causæ nimis sensibili communione videtur sita esse. Salarium vero Medicorum ex publico rationi non minus congruum est qvam aliorum officiorũ omnium, quæ ob præstitam operam Salarium exigunt: A privatis verò qvod datur tum ex Lege gratitudinis pendet, tum quod majora incommoda denegatio ejus attrahat. Qv. *An Medicinam facere liceat in desperatissimis morbis per Characte-*

 res

V. Caf. Confc. c. XLIV. §. XIII. Scripturam Iſraelitis permiſiſſe Uſuras adverſus peregrinos Deut. XXIII. 20. Quod fieri non potuiſſet, ſi res intrinſece mala eſſet. Reſp. Id unicè per Divinam Diſpenſationem factum, qvæ Iſraelitas patiebatur durius in Peregrinos conſulere more plerorumq; populorum Orientalium, qvibus Peregrini pro Hoſtibus habebantur. Inſt. II. *In parabola de Talentis* Matth. XXV. 27. *Lucrum ex iis captum à Domino non fuiſſe improbatum.* Reſp. Parabolam nihil continere de mutuo ſed generaliter indicare commercia, quod inſpicienti facillimè patebit: Nulla hinc ergo Conſeqventia ad Uſuras. Inſt. III. *Perinde eſſe cum Uſuris, ac ſi quis Prædium emat, indeq; C. Imperialium annuos reditus capiat, vel ſi alii pecuniam eroget ad idem prædium emendum, indeq; fructus percipiat.* Reſp. Differre omnino; Illo actu enim fructus Laboris ſui percipit, in hoc Lucrum ex pecunia aliàs otioſa ſibi captat. Qv. *Qvid de Fidejuſſionibus ſentiendum?* Reſp. Eſſe partem Officioſitatis, adeoq; Amoris Proximi; Sed 1. Incompletam. 2. Periculis non tantum Fidejubentis ſed poſterorum ejus pleniſſimum, qvod plurimis exemplis in noſtris viciniæve tractibus noſtro tempore conſtitit. Ideo Pellicanus Doctiſſimus Helvetiorum ſuperioris ſeculi Theologus iis abſtinendum non ſine cauſa cenſuit, accipiendus tamen 1. De Rep. Platonis, h. perfectiori tali, cui cum pauciſſimis incommodis colluctandum ſit. 2. Comparate, præſtare nim. nullum, quam incompletum ejusmodi officium, quodq; innoxiis poſteris damno eſſe poſſit, in ſe ſuſcipere: Verba ejus hæc ſunt: *Comm. in Prov. VI. 1. 2. Contra ſenſum carnis & judicium rationis hypocritica, ac mundi conſuetudinem & imaginem pietatis dehortatur Sp. S. & probibet non ſolum hoc loco, ſed & infra capitibus 20. 22. & 27. ne quis fide jubeat, & pignus ſe ipſum polliceatur vel oppignoret pro proximo. Eſt enim hoc non ſolum periculoſum & experientia teſte perniciosum multis, & pœnitentiæ obnoxium, ſed etiam contra rationem, conſcientiam, & etiam contra Deum. Primo enim confidit in hominem carnem & ſangvinem inſtabilem, vanum & mendacem eum pro quo fide jubet ac oppignorat ſubſtantiam, corpus, vitam & prolem: Quod ſi is qui hoc committit, imprudentior decipitur, imputet ſibiipſi. Deniq; nimis nimium tribuit ſibiipſi, pollicendo certo de contingentibus & dubiis in futurum, quæ ex Deo pendent ſolo, qvi non vult ſolicitos nos eſſe de craſtino, ſed totos pendere ex Dei providentia, & de noſtris viribus nil*

nil præsumere. Sic quum Gene. 43. 44. Judas se pignus interposuisset pro fratre Benjamin reducendo, vindictam sensit & angustias vehementes, & quantum in se fuit periculo mortis, quia Domini voluntatem non pretulerat, ut Jacobus Apostostolus docet, & infra cap. 27. Ne glorieris in crastinum ignorans quid superventura pariat dies, & de quotidiano pane hodie nobis dando sic orare docuit, ut illi futura committeremus. Cui adversatur qui pro proximo se reddit pignus, nisi certo aliquid detur vel fiat ab aliquo homine, cum uterq; nihil possit sine Deo tot locis ea prohibente. Si vero proximo consulere volumus gravato, licebit id agere modis aliis, parata detur pecunia, si habeatur, & fieri possit; vel mutuum, nihil inde sperando, quantum carere possit, qui donat: Si creare pro se & suis non potest, nihil tale obligatur petenti. Invigileturq; à Magistratibus, ne quis sit otiosus, mendosus, dilapidator, lusor, ebriosus, vorator, usurarius: Et tunc pignora necessaria non erunt hujusmodi, frugaliter vivetur & debita non contrahentur. Gratis demus pro viro bono, & petenti, nostrumq; nutrimentum creatori committamus, nec rebus secularibus implicemur. Docet ergo hic Salomon doctrinam pro bono utili, licet etiam honestum sit cavere periculum sibi & suis. Si, inquit, per insipientiam vel imprudentiam, vel affectu Charitatis & propinquitatis fidejussisti pro proximo, jam eatenus te implicasti periculo, ut sis solvendo pro tuo proximo secundū promissa. Creditori cui nihil debebas, volens te obligasti, qui non tardabit urgere te, tanquam infirmiorem in fide ac feliciorem divitiis.

IIX.

Officiositas erga ægrotos nomine *Visitationis* exprimitur, cujus similiumve modorum Amoris Proximi encomia V. apud *Commentatores in Matth. XXV.* Et Christus ex iis ad Electos argumentatur; Ex Operibus Charitatis enim dignoscitur Christianus, non ex operibus necessitatis. Eodem referendæ Curæ Medicinales in qvas cur homines magis propendeant, qvam alios actus charitatis ratio in causæ nimis sensibili communione videtur sita esse. Salarium vero Medicorum ex publico rationi non minus congruum est qvam aliorum officiorū omnium, quæ ob præstitam operam Salarium exigunt; A privatis verò qvod datur tum ex Lege gratitudinis pendet, tum quod majora incommoda denegatio ejus attrahat. Qv. *An Medicinam facere liceat in desperatissimis morbis per Characte-*

itidem implicite mutuat. Qv. *An Chirographa minoris emi possint quam continent?* Resp. Securius quidem agere, qui negociis hisce minus impliciti sunt, ab hypothesibus antea propositis tamen Affirmativam alienam non esse, qvia talia jura dum proponuntur venalia instar mercis communi hominum judicio minoris æstimantur, quam pecunia præsens, hæc enim multarum rerum facultatem præbet, quam jura illa non tribuunt. Iterum *Less. c. l. Dub. IIX.* Qv. *An Chirographa possint emi dimidio precio, si difficilis vel ambigua sit solutio?* Resp. Aff. Communi judicio enim, qvâ æstimarentur, si voce præconis publice proponerentur, non aliter æstimanda fore; At ex publica æstimatione precium rerum pendet. Sed *si Emptor novit rationem, qva totam Summam accepturus sit?* Resp. Id fortunæ ejus transcribendū esse. *Less. c. l. Dub. IX.* Qv. *An emi possint annui Reditus?* Resp Aff. Si enim possumus conducere fundum alienum ad dies vitæ, ut ejus fructibus alamur, etiam reditus emere licet. *Soto L. VI. Q. V. Art. II. fin.* Qv. *Quid de Civitatum aliquarum more sentiendum, quo Filiâ recens natâ Reip. v. g. C. Aurei traduntur, nec repeti possunt, si puella ante XIIX. Annum moriatur, si vero nupserit, decuplum h. M. Aurei auferuntur?* Resp. Pro Aff. esse, quod sit actus Fortunæ, quo alter alteri vendit sua pericula; Et periculum offerentis longe majus est, cum filia sexcentos mortis casus habere possit, quam civitatis, qvæ non moritur. *Comitol. Resp. L. III. Q. XXV.*

VI.

Amor Proximi ex congruo, h. qui ex speciali jure nos non obligat, decet tamen, singulari aliquo nomine exprimi vix potest, nisi terminus beneficentiæ videatur plerisq; ejus partibus adæquari posse. Dixeris in eo consistere, ut *Proximum jure nostro uti patiamur*, æque ac Justitia est, si eundem frui sinamus jure suo. Species sunt *Officiositas & Liberalitas*, *Officiositas*, si aliorum commodis inservimus sine detrimento rerum nostrarum, cujus iterum tot species, quot modi sunt proximum juvandi: Ut si opibus nostris aliquem juvamus vocatur Mutuum, si peregrinis benefaciamus est *Hospitalitas*, Officiositas erga ægrotos in Sacris nomine *Visitationis ægrotorum* exprimitur. Si quid rerum nostrarum simul addat Proximo, seu sumptus sint, seu alia quæ sumptibus respondeant, Amor proximi vocatur *Liberalitas*, eademq; in gradu excellentiori

tiori *Magnificentia*, erga egenos est *Liberalitas Eleemosynaria*. Ejus discrimen a *Parsimonia* est qvod *Liberalitas versetur in erogandis superfluis*, qvi enim necessaria hoc modo erogat, non liberalis sed prodigus est; *Parsimonia* contra *versatur in conservandis necessariis*, qvi enim conservandis superfluis intentus est, non parcus, sed avarus est.

VII.

Mutuum est *traditio rei numero, pondere vel mensura constantis cum obligatione, ut simili specie ac Bonitate restituatur*. De ejus discrimine à commodato similibusve videndi JCti. *Lucrum immediate ex mutuo proveniens est Usura*: Pro cujus legalitate vix quicquam allegari posse videtur, quam *Lex Gratitudinis*, unde & sequitur vix aliquid hac in re determinari posse, nisi circumstantiæ debitoris id suppeditent: Sicq; *Amesius* Æquitatem manifestam dicit, de qua nemo possit dubitare, siquis nullum certum reditum vel summam sibi præcise pendi stipuletur, sed ita pecuniam suam apud probum virum collocet, ut in illius fide acquiescat & contentus sit æquam partem fructus pecuniæ percipere pro ratione Benedictionis Dei erga ipsum pecuniæ exercitorem. Ratio cur jura eandem introduci passi sint ex statu comparato incommodorum humanorum potissimum pendet, majora enim incommoda sequerentur sine Usuris, nec debiti reddendi Creditores unqvam certi forent, nisi per Usuras constringeretur Debitor summa ipsa se tandem liberare. Securius tamen abstinere ea Officiositas adeoq; generaliter Amor Proximi svadebit, veluti enim nullâ obligatione tenebamur, ut mutuo aliquid daremus, ita per Usuram vix aliud quid acceptamus, quam alienum, non nostrum. Præsupposito 1. Mutuum esse ex illa pecuniâ, quam tunc in usum nostrum convertere non poteramus: Nam si debito solvendo ipsi astringimur, Usuras, vel id qvod interest, ab eo qui re nostra utitur aliquando non immeritò poscimus, detinet enim quod in usus nostros verti potuisset, eoq; damnum inde natum nobis jure præstat. 2. Esse privatum, Publicum enim ut Ecclesiæ aliæque Societates privilegiatæ id meritò poscunt, per se solas enim nihil acqvirere possunt, cum meræ personæ morales sint, sed ope alienâ ad id indigent, qvæ præstatur per hæc redituum augmenta. Minime omnium vero *Anatocismo*, h. fœnori ex Usura, f. Usuris Usurarum locus dari potest, & Usurariam Pravitatem id communi consensu vocant. Vid. *L. 28. Cod. de Usur.* Instat *Ames. Lib. V. Cas.*

nil præsumere. Sic quum Gene. 43. 44. Judas se pignus interposuisset pro fratre Benjamin reducendo, vindictam sensit & angustias vehementes, & quantum in se fuit periculo mortis, quia Domini voluntatem non prætulerat, ut Jacobus Apostostolus docet, & infra cap. 27. Ne glorieris in crastinum ignorans quid superventura pariat dies, & de quotidiano pane hodie nobis dando sic orare docuit, ut illi futura committeremus. Cui adversatur qui pro proximo se reddit pignus, nisi certo aliquid detur vel fiat ab aliquo homine, cum uterq; nihil possit sine Deo tot locis ea prohibente. Si vero proximo consulere volumus gravato, licebit id agere modis aliis, parata detur pecunia, si habeatur, & fieri possit; vel mutuum, nihil inde sperando, quantum carere possit, qui donat: Si creare pro se & suis non potest, nihil tale obligatur petenti. Invigileturq; à Magistratibus, ne quis sit otiosus, mendosus, dilapidator, lusor, ebriosus, vorator, usurarius: Et tunc pignora necessaria non erunt hujusmodi, frugaliter vivetur & debita non contrahentur. Gratis demus pro viro bono, & petenti; nostrumq; nutrimentum creatori committamus, nec rebus secularibus implicemur. Docet ergo hic Salomon doctrinam pro bono utili, licet etiam honestum sit cavere periculum sibi & suis. Si, inquit, per insipientiam vel imprudentiam, vel affectu Charitatis & propinquitatis fidejussisti pro proximo, jam eatenus te implicasti periculo, ut sis solvendo pro tuo proximo secundũ promissa. Creditori cui nihil debebas, volens te obligasti, qui non tardabit urgere te, tanquam infirmiorem in fide ac feliciorem divitiis.

IIX.

Officiositas erga ægrotos nomine *Visitationis* exprimitur, cujus similiumve modorum Amoris Proximi encomia V. apud *Commentatores in Matth. XXV.* Et Christus ex iis ad Electos argumentatur; Ex Operibus Charitatis enim dignoscitur Christianus, non ex operibus necessitatis: Eodem referendæ Curæ Medicinales in qvas cur homines magis propendeant, qvam alios actus charitatis ratio in causæ nimis sensibili communione videtur sita esse. Salarium vero Medicorum ex publico rationi non minus congruum est qvam aliorum officiorũ omnium, quæ ob præstitam operam Salarium exigunt: A privatis verò qvod datur tum ex Lege gratitudinis pendet, tum quod majora incommoda denegatio ejus attrahat. Qv. *An Medicinam facere liceat in desperatissimis morbis per Characte-*

res Magicos. Resp. Nec ægrotum patiendo admittere posse, quia fidem in Deum non ponit. 2. Nec Medicum agendo facere posse, quia itidem egreditur limites officii sui, nec ulla mediorum ejusmodi cum ægritudine connexio. Inst. *Ex Amore Proximi id fieri.* Resp. Sed æqvilibrium non servari cum Amore Dei. Qv. *An Peste infecti domibus suis ejici & Bona eorum mobilia in quibus pestis facile conservari solet comburi possint?* Resp. Aff. 1. Ob periculum imminens toti civitati ex contagione & personarum & Bonorum. 2 Exemplo Lepra infectorum in Sacris. Inst 1. *Neminem invitum posse trahi de domo sua.* Resp. Concedi cæteris paribus: Hos expelli propter publicam utilitatem, ne alios corrumpant. Inst. 2. *Neminem Dominio privata rei suæ privari posse.* Resp. Posse ex causa publica: Quod confirm. non tantum ex natura Dominii Eminentis, sed etiam quod urbium præfecti putridas carnes &c. comburere possint; Res hujusmodi enim ipsis Dominis suspectæ ac perniciosæ sunt. Qv. *An restitutionem ex publico Domini ejusmodi rerum privatarum petere possint?* Resp. Neg. Quia restitutio tunc demum locum habet, si res utiles sint privatis Dominis & in usum publicum transferantur; At hæ res ipsis Dominis perniciosæ sunt. Vid. *Pegver. Decis. IIX. p. 48. & seqq.*

IX.

Eleemosynæ sunt Dona egenti ex compassione data. Eorum natura ex compassione potissimum æstimanda, de qva supra *cap. VII. §. VI.* Unde ad omnes Homines pertinebit. non qvidem opere ipso, nam qui ipsi egent aut proprii nihil habent, aliorum indigentiæ haut facile subvenire possunt, affectu tamen, ut si possint, iis se non subtrahant; Modus subveniendi ex Indigentia alterius æstimanda; Extremè indigenti succurrendum etiam ex necessariis ad statum nostrum; Vita proximi enim pluris facienda, quam externus noster status; Graviter indigenti succurrendum ex iis, qvæ necessaria sunt ad decentiam status; Communi modo laboranti ex iis quæ superflua sunt ad decentiam status nostri. Qv. *An si causa indigentiæ ob qvam Eleemosyna datur non subsit, donatio revocari valeat?* Et in hypothesi: *An Donatio revocari valeat, si quis comperiatur Sanctitatem aut Religionem nostram aut infirmitatem & ss. simulasse?* Resp. Posse, accipiens enim bonâ fide non possidet: Circumstantiæ tamen communiter non patiuntur restitutionem magnopere urgeri; Neque

que enim Donatores censentur Donatariis id onus velle imponere, idque vel ob liberalitatem vel ob rerum parvitatem, vel qvia res est consumpta & difficilis esset Donatario Restitutio; In specie Religionis causa si Eleemosyna detur, Restitutio posci non potest, nam principalis causa dandi est paupertas, qvæ manet licet circumstantiæ cæteræ minus ritè se habeant. Qv. *Si indigens malitia causa suspectus sit quid faciendum?* Resp. Præferendos utiq; bonos malis; Eleemosynæ nostræ enim reqviruntur Instrumenta esse Deum glorificandi; Interim nec in pauperum peccata hoc in casu magnopere inquirendum; Charitas enim non facile cogitat mala. *I. Cor. XIII. 5.*

X.

Inter Opposita Amoris Proximi reponendum omne id quo Proximo incommodo sumus, adeoq; qvicqvid tota secunda Tabula Decalogi prohibitum legitur; Tales contemptus, odium, persecutio, cædes alterius; & in specie contemptus Parentum, odium Conjugum, Expositio Liberorum; Rursus Homicidium, Parricidium, Illiciti concubitus quicunq;, Furta, similiaque, qvæ generali nomine Injustitiæ venire possunt, quemadmodum damnum hinc natum vocatur *Injuria*. Et *Summum Jus* quidem etiam *Summa Injuria* dicitur; Sed Jus istud Summum non Jus est, sed Juris Simulatio: Sicq; *Summus Theologus* etiam *Summus Peccator est, Summa Medicina, Summa Infirmitas*; apud *Lutherum Serm. Conviv. Sect. LXVI. fin. fol. 407.* Theologus enim qui se Summum gerit, impostor est, non Theologus, cum Summam Theologiam nemo hominum habeat; Et qvia infirmitas nobis in hac vita naturalis est, Summam Medicinam frustra affectamus, cum nulla sit, qvæ infirmitates omnes tollere possit. Sed magna pars eorum, quæ ad hanc Classem pertinent, supra passim exposita. E residuis sistimus hic προσωποληψίαν, Acceptionem Personarum, tanqvam partem contemptus Proximi, qvæq; jure debito ipsum privat; Æstimat enim hominem non ex aptitudine ejus, sed ex Externis, h. iis quæ finem obtinendum per se non contingunt: Seu quod perinde est, consistit in respectu Qvalitatũ personæ impertinentiũ ad finem debitum obtinendum, præterito altero qvi congruis Qvalitatibus instructus erat: Generaliter, res, personas, actiones non æstimat ex natura eoq; jure ipsarum, sed ex propensione propria. Unde in Bonorum Gratuitorum erogatione locum non habet, nemini enim eorum respectu aliquod jus est. At Judex προσωπολήπτης

πολήπτης est, si personæ forma, opibus, potestate afficiatur & secundum eas ipsi jus tribuat. Deus contra longissime abest à προσωποληψίᾳ; Patitur enim unumquemq; jure suo frui; Et nihilominus Dona sua inæqvaliter distribuit; Gratuito enim distribuit Dona, non debita, nec respicit Qvalitates indebitas sed beneplacitum suum. *Ames. Cas. Consc. Lib. V. c. V.*

XI.

Homicidii illegalitas nota est: Jus nimirum alteri eripitur non tantum quod ipsius est, sed in quod ne ipse quidem plenam facultatem habet, verum supremi nostri omnium Domini est; Præterea simul hoc jure omnia alia eorundemq; Exercitia auferuntur. Gravitas ejus vel exinde æstimanda, qvod licentia cædium totum Statum humanum in periculum adducat, qvod pluribus tractatum *Pol. Pamll. Disf. XV. § VI.* Qv. *Qvid de Homicidio casuali sentiendum?* Resp. Cæteris paribus non esse Homicidium, nisi materialiter, cùm nullo animo alterum damno afficiendi fiat. Delinqventes tamen nunqvam videntur declinaturi esse rationem membri apostemate laborantis, quod licet præter naturam laboret eoq; innoxium sit, ob adhærentem saniem tamen abominationi est. Duella cædi proxima sunt, eorumq; ἀνομία prolixè exhibita *Polit. Pamll. Disf. XXII. §. II.* Cui addimus ea ne à Turcis quidem approbari. 1. Quia ambo dimicantes pane Imperatoris (dicemus pane Reipublicæ) vivunt. 2. Ambo cadunt vel alteruter damno Reipublicæ. Vid. *Busbeq. Ep. Turc. III. p. 158 159.* Magistratus ea etiam permittere non potest; Est enim signum neglectus administrandæ Justitiæ: Et ne duos quidem mortem meritos recte inter se committit; Etsi enim illis liceat arripere spem salutis, is tamen qui jussit minus recte officio functus videbitur, cum satius fuisset si unius supplicium sufficere videbatur, sorte eligi moriturum. *Grot. J.B. Lib. II. c. I. §. XV.* Qv. *An Aulicus si ab alio ad Duellum provocetur, idemq; conscio Principe ineat eoq; provocantum interficiat, in Foro Conscientiæ excusatus sit?* Resp. Culpam itidem penes Principem remansuram; Aulicum vero non magnopere inculpandum fore, præsupposito si provocantis invasionem perpetuo timendam habiturus esset; Ita enim conatus fuisse dicetur à molestia sibi perpetuo incumbente se liberare.

XII.

Furtum consistit in contrectatione rei alienæ invito Domino; Et si res Sacra sit est *Sacrilegium*, primum Peccatum Ecclesiæ Veteris in Terra Ca-

ea Cananæa, Vid. *Jos. VII.* Primum item in Ecclesia N. T. Vid. *Act. V. r.* Fur restituere tenetur *rem ablatam*, qvod suum enim non est, in illud nullam potestatem habet; Et singulis momentis qvibus restitutionem differt de novo peccat, contrectationem rei alienæ n. continuat atq; continuo furatur: *Et licet res apud eam perierit, eodemq; modo apud Dominũ peritum fuisset, nihilominus eum restituere tenetur.* Licet enim fortuitum sit, qvo periit res ablata, Delictum Voluntarium tamen est, qvo ablata fuit, culpa autem nemini debet patrocinari. *Tenetur quoq; restituere fructus rei*, nam qui Dominus est rei, idem naturaliter Dominus est fructuum rei. *Etiam majorem summam, ad quam res furto ablata tempore detentionis excrevit*; Præsumitur enim Dominus seu venditurus seu retenturus fuisset, eam habiturus fuisse in optimo Statu & summa æstimatione. Excipiendum, si ob causam externam majoris habeatur, ut si triticum vendatur, qvando multi Mercatores ad emendum adsunt, vel quando transfertur ad alium locum, ubi pluris valet: Augmentum precii enim non provenit ex ipsa re, sed ex causa externa. Vid. *Dian. T. IIX. Tr. VII. Resol. IX.* Et *licet & rem ablatam & fructus ejus etiam majori Summa restituerit, nondum tamen in Conscientia securus est*; Qui enim male fecit ex LL. Veræ Pœnitentiæ etiam obligatus est ad bene faciendum: Id vero nondum est bene facere, si malum qvod commisimus, solùm reparemus. Itaq; qvi aliena restituit, eundem & de suo oportet dare, ut gravitati mali facinoris aliqva gravitate Bonæ Actionis respondeatur, adeoq; exprimatur Pœnitentia, qvæ vera esse non potest, nisi magnitudinem mali magno aliqvo Bono transcendamus. *J. Despague in Decal. p. 122.*

XIII.

Amor Brutorum res Libris Ethicorum plerisq; ignota est, à Scritura tamen tanqvam perfectissima morum magistra commendatur. Prov. XII 10. *Justus etiam jumentorum suorum misericone tangitur, sed viscera impiorum crudelia sunt*: Et Deut. XXII. 6. *Deus jubet, ne Aviculam simul pullis auferamus.* Ejus Demonstratio ut omnium virtutum è primis Principiis Rationis petenda, quæ si consistit in facultate cognoscendi rem in natura sua, & Bonum Morale seu Virtus in proposito agendi secundum naturam rerum, jam si contra naturam adeoq; fines Brutorum agamus, rationalem actum non videbimur egisse. Ratio plane similis ab Imagine Divina peti potest; Deus enim si nunquam aliter qvam in debi-

tos fines Creaturas suas destinat, nos certe qvi Imaginem Dei gerimus, male agemus, si in applicatione ad fines suos Bruta non dirigamus. Qvod ipsum ad Arbores & Inanimata quoq; extendi à ratione non est alienum, iisque injuriam facimus, si secundum naturam & fines eorum cum ipsis non agamus. Unde & congemiscere & à Servitute corruptionis liberari desiderare leguntur. *Rom. IIX. 21. 22.* Et Deus *Deut. XX. 19.* Arbores fructiferas pro obsidionis usu exscindi prohibet, procul dubio quia in meliores fines servire possunt. Orientales hanc præterea de Brutis rationem reddunt, quod Brutis nihil à Deo tributum sit præter motus qvosdam & appetitus naturales, quos non possint non seqvi, eoq; humana ope sublevanda esse: Qvod generaliter intellectum iterum non plane incongruum est, & partem Legum Charitatis ac Misericordiæ videtur explere. At illi alias notabili hac in re excessu laborant, neq; enim injurias tantum Brutis inferri non patiuntur, sed Turcæ etiam domos Hospitales iis extruunt & inter Eleemosynas numerant, si necessitatibus canis famelici succurrant; Benjani Gentiles vero nihil eorum quod Vitam habet & ne minima qvidem Insecta interfici patiuntur: Quorum ratio ex Pythagorica Metempsychosi, quæ Orientem passim adhuc habet, videtur pendere. Vid. de Benjanis *Mandelslo Itin. Lib. I. c. XXXVII.* De Turcis *Busbeq. Ep. III. & Autor. Stat. Turc. Lib. II. c.* XXVI.

CAP. XVII.

DE
DECORO.

I. Decori Explicatio; Indecori Molestia.

II. Regula Generalis Decori; Examen Libri Johannis Casæ de Moribus.

III. Complementorum Consideratio: Cerimonia Utilitatis, Vanitatis & Officii.

I.

Dictamen Rectæ Rationis geminum est, *unum quod ex Natura Rationali fluit, & cujus contrarium eandem evertit*; Alterum *quod Naturæ Rationali congruit, & cujus contrarium eadem Indignum est.* De priori hactenus dictum; Posterius restat, idemque

que *Decori* nomine tribus Verbis attingendum erit. De cujus natura hoc initio monendum erit, illud nulla quidem speciali obligatione nos obstringere, vel delicti singularis reos fieri, si minus decenter nos geramus; Naturæ nostræ tamen convenientius esse, si decenter, quam si indecore agamus. Sicq; licet Rusticitati nullæ Leges positæ sint, videmus tamen naturam castigatione satis aspera eam corrigere, cum efficiat, ut hanc ob causam consortio & Benevolentia hominum plane spoliemur. Et sicut alia Delicta plus detrimenti afferunt, ita leviora hæc plures aut certe crebriores molestias inducunt: Qvemadmodum enim homines, qvi à Bestiis sibi metuunt, culices, muscas aliaq; minuta animalia formidine non dignantur, nihilominus propter continuas molestias, quibus ab hoc genere inqvietamur, multo freqventius ab his Bestiolis qvam à Belluis immanibus bilem sibi sentiunt moveri, ita accidit, ut pleriq; duplo majori odio proseqvantur homines intractabiles vel agrestes, quam alios etiam insigniter flagitiosos.

II.

Leges *Decori* generali hoc principio nituntur: *Nihil committendum esse, quod sensibus vel Intellectui aliorum contrarium sit*: Ex eoq; pendet qvicqvid laudis vel vituperii in universa hac materia occurrit; Applicatione tamen adeoq; exemplorum recensione supersedebimus, qvippe qvam plenissime præstitit Vir eo nomine maxime laudandus *Johannes Casa ArchiEpiscopus Beneventanus* Libro de Moribus quem *Galateum* inscripsit, & fine optimo in hoc genere, sed imitatu difficili, cum vix hominum aliqvis sit, qvin aliqva ex parte Decorum negligat. Ideo & cum Apollo in Parnasso publico Edicto jussisset illum à Genere Humano recipi, pleræque Nationes se opposuisse leguntur: Se. Majestät ließen alsobald ein *Edict publiciren* / es solten alle *Nationes* demselbigen nachkommen und ihn halten / befahl auch darneben dem *Authori*, eine *Galateam* zu verfertigen / weil die Weibspersonen heut zu Tage eben so hoch von nöthen hetten *Mores* zu lernen / als die Mannßpersonen. Dieses *Edict* verursachte grossen Wiederwillen unter *Apollinis* Unterthanen / dann es funten die in der *Marca Anconitana* weder mit Güte oder Drauworten darzu vermocht werden selbige anzunehmen / *resolvireten* sich viel lieber Weib und Kinder sampt Hauß und Hof zu unterlassen / als ihre alte Gebräuche und Gewonheiten zu quittiren / wolten ihre Herrschafft vielmehr auß recht-

schaffe-

schaffenem Hertzen ehren/ und gute Freunde mit auffrichtigem Gemüth lieben/ als eusserlich viel Ceremonien und *compliment* machen. Bey den hohen Potentaten hatte es noch mehr *difficultet*, die Frantzösische *Monarchi* wolte sich in keine Wege *accommodiren*, deß *Galatei* Regeln zu unterwerffen/ *nisi si & in quantum* solches mit ihrer guten *commodites* geschehen könnte/ wie sie dann frey herauß bekante/ daß sie viel lieber ihrer guten Gelegenheit gebrauchen / als der Höfflichkeit sich befleissen wolte / begehrte dieselbige nicht anderst/ als zum eusserlichen Schein zu *observiren*. Die Venetianer *offerirten* sich auch alles guten / wann nur der *Author* diese *declaration* hinzu thun wolte/ daß/ sich befleissigen anderer Leute Heimligkeiten zu erfahren/ nicht allein keine Unhöfflichkeit/ sondern heut zu Tage ein hochnöthiges politisches Stücklein sey. Die Italiänische Fürsten *acceptirten* den *Galateum* ins gesampt mit dieser *exception*, daß sie der Höfflikeit ohne Nachtheil / frey säuisch fressen und wie die junge Fercken wacker Schmatzen dörffen. Die Teutsche machten sehr viel Wesens/ wolten in keine Wege an die Italiänische Mäßigkeit im Trincken verbunden seyn *&c.* apud *Boccalini Cent. II. Relat. XXIIX.*

III.

Externa Decori signa sunt Cerimoniæ, quas idiomate Gallico satis noto *Complementa* vocant; Pertinebitq; eò præ aliis recens Scriptum Gallicum, *de la Civilite, qui se pratique en France.* Eas paulo liberalius exhiberi non indecorum est, Benevolentiam enim aliorum nobis conservat. *Versaberis circa eas* inquit Galateus, *eodem modo quo sartor circa pannos, quos ita forfice suo distindit & concinnat, ut vestes laxiores potius, quam corpori nimis adstrictas inde conficiat, neq; tamen ita ut caligæ in saccos aut pallia convertantur. Et si hæc in parte quidem liberalius te erga eos qui conditione Te inferiores sunt nonnunquam ussris*, homo Urbanus & elegans vocaberis. *Assiduitas Complementorum* vero vitanda est, negotiis seriis enim magnopere impedimento sunt: Hujus species est solitum de inferioritate certamen, dum ad tertium quemque gradum cum altero prælium quasi inire de præeundo cogimur. Eadem requiruntur à personis Convenientibus profecta esse. Ideo infimæ sortis homines operam dare non debent, ut erga superiores ea nimium

exhibeant; Hi enim obedientiam potius qvam honorem ab hoc genere hominum expectant. Galateus porro trium generum Cerimonias tradit, *Cerimonias Utilitatis, Vanitatis & Officii.* Cerimoniæ Utilitatis & Vanitatis attendi non merentur; Priores enim adulatorum sunt, posteriores ineptorum. *Officii Cerimoniæ* qvæ ex debito fiunt mensuram accipiunt non à nostra Voluntate, sed à communi consvetudine: unde si qvis aliis utatur, qvam qvæ apud nos receptæ sunt indecori qvid admittere creditur, qvod loci consvetudini se opponat, cum oportuisset eum communi potius consvetutidini obedire, qvam Disputationem ei vel litem movere.

CAP. XVIII.

DE
REBUS BONUM MORALE SEQVENTIBUS.

I. Virtutem esse summum Bonum.
II. Laus, Gloria, Fama; Fama teneritudo, An Vim & Fama pari passu ambulent?
III. Voluptas animi.
IV. Felicitas hujus vitæ, Beatitudo æterna.

I.

QVæ hic subjicimus Rerum Bonum Morale seqventium nomine introducemus: Finis nomen iis commode tribui non potest; Virtus enim sui ipsius causa amanda est, non negandum tamen ea Virtutem necessario seqvi perinde ac umbra corpus, Operationes Essentiam, quod jam demonstratum *cap. XII. §. VI.* Neque nos morabuntur, quæ Ethici de *Summo Bono* laboriose scrupulantur, qvippe qvod extra *Virtutem* nullum est; Obtentâ Virtute enim acqviescimus, eamq; ordinaria finis conseqventia seqvuntur, *Pax & Delectatio*, h. complacentia in re acqvisita. Præterea in ipsis terminis claret per Considerationes & Actiones Ethicas nos qværere conformitatem cum natura Rationali, id qvod nihil aliud est, qvam ipsam Virtutem qværere: Hac ergo obtenta acqviescimus. Ajunt quidem possessionem Virtutis esse propter usum, veluti fortis non est, nisi qui fortiter dum opus est pugnat. eoq; Virtutem non posse finem esse, cum ad aliud destinata sit. Sed Resp. falso præsuppo-

 ni

ni Virtutem destinari ad actionem Virtuosam, neq; enim isthæc se habent instar medii & finis, sed instar causæ & effectus: Virtus causa est, Actio Virtutis non finis, sed effectus, causa vero licet effectum producat, propter effectum tamen ideo esse haut dici poterit. Simile responsum est dum ajunt ipsas actiones ad Justitiam & Concordiam ordinari; Ordinantur enim ut effecta ad suas causas easq; à posteriori indicant.

II.

Acqvisita igitur Virtute homo acqviescit, qvodq; hinc seqvitur est Intellectus tanqvam primi & ultimi moventis in Actionibus Moralibus de re bene gesta judicium, qvod qvidem Judicium si proprium sit, vocatur Bona Conscientia, de qva actum *præc. cap. V.* Judicium aliorum consistit in rei gestæ approbatione, qvæ si sit de Virtute minus excellenti *Laus* dicitur, de eminenti *Gloria:* Constans & communis de utraq; opinio, Fama. Subinde tamen Bonæ famæ nomine venit tantum immunitas à sceleribus. Teneritudo ejus in natura qvam diximus ipsius elucet; Si enim est constans opinio, eodem modo sese habere reqviritur, & si qvid contrarii eam turbet, non amplius constans esse potest, eoq; Fama esse desinit. Eo autem tenerior est, quò minora subsidia sunt, quibus jacentem erigere possumus, sicq; in fœminis magis periclitatur, quia ab usu rerum remotæ sunt, eoq; nullis meritis suis damna ejus resarcire possunt: Unde non abs re famam Virorum non nemo Auro comparavit, qvod licet sordescat aliqvando, intrinsecum Valorem suum tamen non amittit, eoq; sordes superando est: At Famam Fœminarum esse instar Serici Albi, hæc tenerrimam, Sericum enim vel levissima macula aspersum eam perpetuo retinet. Qv. *An Vita & Fama pari passu ambulent?* Resp. Neg. Fama enim est pars actuum Socialium, Vita verò etiam est, ubi Fama jam desiit, unde infamia tanqvam minori pœna afficimus, quos capitali supplicio attinere non possumus. Pro pleniori intellectu distingvendum est inter Vitam Naturalem & Civilem, ac si Fama & Vita pari passu ambulare debent, sensus hic non est, Famam & Vitam naturalem, sed Famam & Vitam Civilem h. actum conversandi in priori societate æqviparari debere, nosq; vel Famæ velle restitui vel extra societatem talem esse. Unde & qvem gradum Famæ aliqvis habet, eodem civiliter vivit, pro civiliter mortuo qvoq; habetur, si quis extrema infamia laboret.

III.

Consequens utriusq; judicii est *Voluptas*, complacentia in re præsenti, & qvia intellectus opus est ab eodem refert prædicatum *Voluptatis Animi*. Voluptatum corporis hic nulla ratio habetur, licet circa eas judicium Intellectus æq; versetur ac circa Voluptates Animi, origine tamen differunt, cum hæ ab Objecti præsentis sensione oriantur, quod Intellectus opus non est, & plereq; earum in generatione & exoneratione corporis consistunt, unde tanto longius ab Intellectu recedunt.

IV.

Complexus seu non interrupta series horum omnium est *Felicitas*, qvam definimus *perpetuum in rebus bonis successum*. Aliam felicitatem hæc Vita non habet, inprimis considerata naturaliter, neque enim Animi dum vivimus ulla perpetua tranqvillitas vel finis absolutè ultimus haberi potest, neq; is cujus Cupiditates ad finem pervenerunt, vivere potest magis, qvam is cujus sensus & memoria perierunt, neque postqvam illa qvæ conceperamus adepti sumus, acqviescimus, sed ad adeptionem aliis novam nobis Viam tantum sternimus. At perfectissima Felicitas & in Sacris commendata Beatitudo illa tantum est, quæ terminatur in Ente perfectissimo, qvo veluti non est perfectius, ita nec major est Beatitudo eâ qvam inde trahimus. Unde & Ultimum Christianorum, in qvod omnia eorum resolvuntur, Principium est, *Vivere DEO, in DEO ac per DEUM*, æque ac primum qvoq; è qvo verus Christianismus eoq; vera Virtus nascitur id ipsum est, si DEO, in DEO, & per Deum vivamus. Est ille A & Ω rerum omnium, Vita ista A & Ω Actionum nostrarum: In ea hactenus tanqvam Principio Doctrinæ nostræ versati fuimus, hic in eadem tanqvam Termino desinimus.



INDEX CAPITUM.

CAP. I. PRÆCOGNITA Moralia.
CAP. II. De SENSIBUS.
CAP. III. De INTELLECTU & Virtutibus Intellectualibus.
CAP. IV. De DEBILITATIBUS Intellectus.
CAP. V. De CONSCIENTIA.
CAP. VI. De VOLUNTATE.
CAP. VII. De AFFECTIBUS.
CAP. IIX. De FATIS & Fortuna.
CAP. IX. De Subordinatis Principiis ACTIONUM MORALIUM.
CAP. X. De MODIS Actionum Humanarum.
CAP. XI. De STATU Hominum.
CAP. XII. De VIRTUTE.
CAP. XIII. De MODIS Virtutis.
CAP. XIV. De Amore DEI.
CAP. XV. De Amore NOSTRI.
CAP. XVI. De Amore PROXIMI.
CAP. XVII. De DECORO.
CAP. XIIX. De REBUS Bonum Morale SEQVENTIBUS.

INDEX

INDEX RERUM.

Prior Numerus CAPUT, Posterior THESIN indicat.

A.

ABbnegatio suiipsius *demonstrata*. XII. 7. XIV. 5. XV. 1. *An adversetur Amori Nostri?* XV. 1.

Abortivorum *Consideratio & Jura; An baptizari queant & fs.* XI. 2.

Absurditatis natura. IV. 5.

Actionum Mixtarum Consideratio. VI. 11.

Adulterii illegalitas. XV. 7. *Adulterii materialis casus.* IV. 7. *Adulter à marito deprehensus & ab eodem impetitus, non potest necessariam sui Defensionem allegare.* IX. 11.

Æqvivocationum *illegalitas.* XIII. 5. *Æqvivocatio Granvellani adversus Philippum Magnanimum.* XIII. 5. *Ludovici* XIII. *Regis Galliæ adversus Magnum Priorem Galliæ.* XIII. 5.

Affectus sunt modi Voluntatis. VII. 1. *Sunt innumeri.* VII. 7. *Affectus à rebus molestis nati plus movent, quam qui à rebus blandientibus nascuntur.* VII. 8. *An in Foro Conscientiæ allegare possimus, nos Affectibus abreptos esse?* VII. 9. *Quo sensu Stoici Sapientem Affectibus va uum reqvisiverint?* VII. 10.

Ambitiosos contentiosos esse VII. 12.

Amoris *natura.* VII. 2. *Causa.* VII. 3.

Amor libidinosus *non est verus Amor.* XVI. 1. *Cur Amantes in Versificatoriam inclinent?* VII. 11. *Raro sævit qui amat.* VII. 11.

Amoris Dei, Nostri & Proximi comparatio XIV. 4.

Cur unum plus, alterum minus amemus *Regula generali explicatũ.* XVI. 2.

Amoris Proximi *gradus.* XVI. 2.

Amoris Brutorum *demonstratio.* XVI. 13. *Excessus ejus apud Orientales.* XVI. 13.

De Dicto Luther.: Si nolit Uxor, veniat Ancilla XV. 7.

Androgynorum *Consideratio.* XI. 1.

Angelorum Custodia tantum indefinita. IX. 1. *Angeli Præsides Rerumpp.* IX. 2. *An Angelus Angelo resistere possit?* IX. 2.

Annatarum *apud Catholicos & Anglos Reformatos ratio.* XVI. 9.

An Magistratu jubente Arcanū *nobis concreditū patefacere liceat?* XIII. 7.
An vitandorum Tormentorum Causa Arcanum patefacere liceat? XIII. 7.
Atheismi *Consideratio.* XIV. 13.
Avaritiæ *discrimen à Prodigalitate:* XVI. 6. Sancta Avaritia. XIV.
Senes & Clericos male Avaritiæ accusari. VI. 4.
Quid faciendum Auditori, *si Docentes inter se dissentiant?* III. 13.
Autocheiriæ *illegalitas, ejusdemq; casus.* XV. 3.
Autoritatis *natura.* III. 11. *Ejus opinionem progressui Scientiarum multum derogasse.* III. 12. *An Novi Doctores Juramento in Autoritatem certi Doctoris jurare Statutis Universitatū recte obligari possint?* VI. 6.

B.

Barbariei & Barbarorum *Consideratio.* IV. 16.
Beatitudo *in solo Deo quærenda.* XIIX. 4.
Cardin. Bentivolii prædictio de Fatali periodo Belgii. *IX.* 4.
An Subditi jubente Magistratu possint in Bellum proficisci, *quod putant injustum esse?* VI. 11.
Boni Moralis *natura.* XII. 1. *Utrum res Bona sint, quia Deus eas voluerit, an Deus eas voluerit, quia Bona erant?* XII. 3.
Summum Bonum *extra Virtutem non datur.* XIIX. 1.
De Bonorum Operum *Libertate & Necessitate.* VI. 10.

C.

Calamitatum *publicarum causa.* VIII. 1.
Cantionum consideratio. XIV. 8.
An Cambiones *baptizari possint?* XI. 1.
Quid de triplici Campanæ *signo in Ecclesiis sentiendum?* XIV. 8.
Captivi *an fugere possint? An pretium Redemptionis solvere?* XIII. 6.
An Captivus *innocens, sed capitis damnatus custodes occidere, & ita aufugere possit?* XV. 3.
An Carcerem *effringere liceat?* XV. 3.
An Carnis *nostræ seductionem allegari fas sit?* IX. 5.
An Carnifex *jussu Magistratus possit interficere, quem certo scit innocentem esse.* VI. 11. *Fœmina Capitis damnata utrum rectius eligat mortem, an matrimonium* Carnificis? XV. 3.
Joh. Casæ *Galateus exhibitus.* XVII. 1.

Castra-

Castrationis *consideratio*. XI. 3.
Castitatis *explicatio & Casus*. XV. 7.
Lex Charitatis *explicata*. IX. 12.
An Chirographa *possint minoris emi, quam debitum est, quod continent?* XVI. 5. *An incerta dimidio Pretio possint emi?* XVI. 5.
An Christus *secundum Humanam naturam erraverit vel ignoraverit?* IV. 9. *Cur omnibus abjectis se sequi jusserit?* VI. 4. *An Affectibus fuerit obnoxius?* VII. 10. *Cur nunquam risisse legatur?* VII. 10.
Anni Climacterici VII 4.
Coactionis *natura*. VI. 11. *Coactum trium generum*. VI. 11.
Cogitationum *natura*. II. 12. *Cogitt. Regulares & Irregulares*. II. 12. *Speculativa & Practica*. II. 14. *Quomodo* pravis Cogitationibus *abstinendum?* II. 13. *Quomodo* Cogitando *peccetur?* II. 14. *An Angeli Cogitt. nostras videant*. II. 15. *An Satanas potestatem in Cogitationes nostras habeat?* IX. 13.
Comœdiarum *illegalitas*. XV. 8.
Conciones *hodiernæ earumque pompa*. XIV. 7.
Complementorum *consideratio*. XVII. 3.
Conscientiæ *natura, subjectum, species, Casus*. V. tot.
Consensus *natura*. VI. 12. *An Consensus plurium singulos obliget?* VI. 12.
Constantiæ *explicatio*. XIII. 6.
Quid de Controversiarum *studio sentiendum?* XIV. 7.
Credulitatis *natura & casus*. IV. 19.
Curiositatis *natura* IV. 18.

D.

AN Damnato ad Mortem *liceat quocunque modo se defendere?* XV. 3. *An Damnati ad Triremes aufugere possint*. XV 3.
An aliquis Salutis publicæ causa æternam Damnationem *sibi precari possit?* XIV. 4.
An David *recte Furorem simulaverit?* IV. 4.
Decori *natura*. XVII. 1. *Universalis Regula*. XVII. 2.
Defensio sui ipsius *illustrata*. XV. 3.
Deformes *naturam ulciscuntur*. VII. 11.
Cur Delicta *ex Voluntate æstimanda?* VI. 3.
Deum *summe, præ nobis & propter seipsum amandum esse*. XIV. 5 *Conclusiones*

clusiones inde formata. XIV. 6. *De Deo consideratè loquendum esse & ss.* XIV. 6.
An Diabolo *etiamsi probabiliter vera dicat credendum sit?* IV. 19. *An ei maledicendum sit?* IX. 3. *An pro Delictis nostris allegare possimus nos à Diabolo seductos esse.* IX. 3. *An veritatis cognoscenda causa consuli possit?*
Dissensiones *esse stimulos quosdam rebus humanis necessarios.* VII. 3.
An Diversitas opinionum Concordia repugnet? VI. 12.
Doloris *Natura.* VII. 6.
Dubitationis *natura & casus & seqq.* III. 17.
Duella *cur apud Turcas prohibita?* XVI. 18. *An Aulicus si* ad Duellum provocetur *idemque conscio Principe ineat ac in eo provocantem interficiat in Conscientia excusatus sit?* XV. 12.

E.

EBrietatis *casus.* XV. 6.
Eleemosynarum *natura & Casus.* XVI. 9.
Emptionis & Venditionis *Casus.* XVI. 5.
Energumenorum *effecta an Melancholia transscribenda?* IV. 13.
Erroris *natura, attributa, species.* IV. 5. *Obligatio Errantium ejusque casus.* IV. 6. 7. 8. *Actus natura sua bonos, sed per Errorem commissos, malos esse.* IV. 8. *An* Error in Theoreticis *sit Peccatum?* IV. 9. *An Homo ante lapsum dici potuerit* Errare. IV. 9.
Cur Homines non amplius eo numero, quo præterito seculo ad Religionem Evangelicam *convertantur?* XIV. 7.
Experientiæ *Natura.* II. 18. *Cur Stultorum Magistra?* II. 18.
Exuperantia *Obsequii.* IX. 11.

F.

FAma *Natura.* XIIX.
An in extrema Fame *liceat unum è sociis mactare?* IX. 17.
Fatorum *natura.* IIX. 2. *Nomina, Tempora, Loca, Familia.* VIII. 3. 4. 5.
Fatuorum *natura & Mores.* IV. 2. *Fatuitas Naturalis & Moralis.* IV. 3. *Fatuitas in Moribus seu* Häserey. IV. 11.
Felicitatis *Natura.* XIIX. 3.
Ferdinandorum *nomen Hispania auspicatum.* VIII. 3.
Si Fictas *de Caritate Annona nobis excidere patiamur literas, ut ab eo legan-*

legantur, quam Frumentum præsens cariori precio emere cupimus, an restitutionis teneamur. IV. 6.

De Fico *à Christo maledicta.* IV. 9.

Fidei *Intellectualis Natura.* III. 3. *Causa.* III. 10. *Termini.* III. 12. *Principibus maxime* Fidem *habendam.* III. 12. *Fidei non datur fides.* III. 14. *An* simplex Fides *sit optima Fides?* III. 7.

Fidei Moralis *natura.* XIII 6.

Fidejussionum *consideratio.* XVI. 7.

Cur Fœminæ *& Pueri facile credant?* IV. 19. *Cur crebro fleant?* VII. 6. *An Fœminæ possint genus medendi in partibus secretioribus à Viris admittere?* XV. 7.

Termini Fortassis *&c. explicatio.* III. 15.

Fortitudinem *& Patientiam esse partes unius Virtutis generalioris.* XV. 4.

Fortunæ *explicatio.* IIX. 8.

Fraudis *descriptio.* XIII. 4. Piæ Fraudes *mediorum seculorum.* XIII. 4. (& 5.

Furti *natura ejusque expiatio.* XV. 12.

Furoris *natura & casus.* IV. 4.

G.

GAudii *natura.* VII. 5.

An Gentilium *Phrases adhiberi liceat, quamvis non ex proprio sensu?* XIV. 6 *An Gentilium scripta quæ Gentilismum involvunt in Scholis docenda?* XIV. 6.

Gravitas *Actionum Humanarum.* X. 3. 4. 5. 6.

H.

HArpocrates *priscus non Taciturnus, sed morosus fuit.* XIII. 7.

Henricorum Regum in Gallia tristes casus. VIII. 3.

Honores *cur Ingenia superbiora faciant?* VII. 11.

Quid de Horis Canonicis *sentiendum?* XIV. 8.

J.

JAcobi Patriarchæ *prudentia impetrandi Benedictionem Divinã.* XIII. 4. *Ejusdem Strategema Oeconomicum.* XIII. 4.

Jacoborum *Scotiæ Regum tristes casus.* VIII. 3.

Jactabundos *meticulosos esse.* VII. 12.
Jejunii *Consideratio.* XIV. 12.
Ignorantiæ *natura & species.* IV. 13. *Quid in Divinis significet?* IV. 13. *Esse malum Morale.* IV. 14. *Casus de eadem.* IV. 14. *Ignorantia Docta natura & exempla.* IV. 17.
Quomodo in Conscientia certi esse possimus Ignorantia Invincibilis in Actibus nostris. IV. 15.
Fratres Ignorantiæ *qui fuerint?* IV. 13.
Personarum Illustrium *vitia Semiplenarum Virtutum titulo tegi.* IV. 2.
Cur Imagines Divinæ *non facienda?* XIV. 6.
Imaginationis *Descriptio.* II. 2. *Causa.* II. 3. *Vires.* II. 4. *Illusio.* II. 7. Imaginationes exaltatæ *Paracelsi.* II. 5. *An Conceptio Fœtus Animati* per solam Imaginationem mulieris *fieri possit?* II. 6. *An* Imaginatione depravata *peccetur?* II. 7. *An Medicinam Imaginariam facere liceat?* II. 7. Inadvertentia. IV. 12.
Natos ex Incubis *esse tantum massam Carnis à Diabolo informatam.* XI.
Quousq; Infinita *appeti fas sit?* VI. 4.
Ingeniorum *Natura.* VII. 11.
Inimicorum *Amor.* XVI. 2.
An liceat interpositum Innocentem *interficere propria salutis conservandæ causa?* IX. 11. *An minister coactionem causari possit, si jubeatur* virum Innocentem *interficere, nisi ipse malit interfici?* VI. 11. *An Carnifex possit jussu magistratus eum interficere, quem* certo scit Innocentem *esse?* VI. 11.
Insaniæ *Natura.* IV. 3.
Innocentes Bethlehemitici *an fuerint Martyres?* XV. 2.
Cur Bona Intentio *actibus ipsis Bonitatem non conciliet?* VI. 3.
An liceat Amicum interficere, *quem videmus lethaliter jam afflictum non amplius vivere, nec tamen mori etiam posse nisi post maximos cruciatus?* IX. 12.
Invidiæ *Natura & Axiomata.* VII. 6.
An Juramentum Errore extortum obliget? IV. 8. *An calore Ira factum?*
Justitiæ *Natura & divisio.* XV. 4.

L.

Martyrii Laurentii *Consideratio.* XIII. 10.
Leopoldi *nomen Austriacis auspicatum.* VIII. 2.

Levitas *Actionum Humanarum*. X. 7. *& seqq.*

Libertatis *natura*. VI. 5. *Libertas Naturalis, Philosophica, Politica, Christiana, Ecclesiastica*. VI. 5. 6. 7. 8. 9. *Libertate Politica natura omnes nascimur liberi, sed evadimus servi, At Libertate Christiana natura omnes nascimur servi, sed evadimus liberi.* VI. 8.

Non licitum esse libere sentire, qvæ velis. VI. 6.

Liberalitatis *natura & varietas*. XVI. 6. *Ejus discrimen à Parsimonia.* (XVI. 6.

Licentia. VI. 10.

Quid de Litaniis *sentiendum?* XIV. 8.

Literiones *Meticulosos esse*. VII. 11.

Ludorum *Examen*. IIX. 12. *An pauluper ludere liceat? An Recreationis ergo?* IIX. 1. *Ludi Chartarum, Alea, Lacrunculorum* IIX. 13.

M.

MAgiæ Beneficæ *natura & casus*. IX. 4. *An in Casibus desperatis per* Characteres Magicos *Medicinam facere liceat?* XVI. 8.

Operationum Magicarum *magna pars Imaginationis læsioni transcribenda*. II. 7.

Maledictionum *natura & casus*. XIV. 9. *Cur Sancti aliquando Hostibus maledixisse legantur?* XV. 2.

Malum morale *parcius tractandum*. XII. 8. & XIV. 2. *Ubi Fons Malitiæ resideat*. VI. 3. *S. Scriptura parcius docet, quomodo Malum Morale gubernetur*. XII. 8.

Martyrii *consideratio*. XV. 4. *An Hæretici possint esse Martyres?* XV. 4.

Melancholiæ *explicatio*. IV. 3.

Memoriæ *natura* II. 16 Memoriæ Artificialis *consideratio*. II. 16. *Memoria Animæ in statu separato*. II. 17.

Mendacii *natura & casus*. XIII. 5. *An in casu Necessitatis liceat mentiri?* IX. 11.

Miseriæ *explicatio*. XI. 5.

Modestiæ *natura & gradus*. XV. 9.

Molæ *aliquot effectus Imaginaria Veneris*. II. 6.

Monstra *an Jurium Humanorum capacia?* XI 1. *Monstra membris humanis & capite ferino an baptisanda?* XI. 1. *Quid de Monstris bicipitibus?* XI. 1.

Doctrinæ Moralis *Nomen*. I. 1. *Definitio ac discrimen ab Oeconomica & Politica*

Politica & Jurisprudentia. I. 2. *Politicam & Oeconomicam ei subordinari.* I. 1. *Objectum ejus.* I. 2. *An versetur circa mere c tingentia.* I 3. *Subjectum ejus.* I. 4. *Finis.* I. 5. *Summa ejus praest tia.* I. 5 & I. 7. *Ejus communes defectus.* I. 6. *Non differt à Theolo Morali.* I. 7. *Primum Principium Doctrinæ* Moralis II. 1.

De Moralistis *Catholicorum judicium.* I. 6. *Eorum excessus in recen da Casibus Castitatis.* XV. 7.

Moralia *quæ sint & fs.* XII 4.

Morionum *affectata stultitia.* IV. II.

Mortis *periculi & mortis Articuli differentia.* XI 6.

Mortem *optandam non esse.* XV. 2.

Præsagia Mortis. IIX. 7. *Exempla Hominum qui* diem Mortis *præscir runt.* IIX 7. *An liceat cum* Amico Moribundo *pacisci, ut post obitu revertatur & statu sui nos certiores reddat?* XI. 6.

Mortuos *spoliari non posse.* XI. 6. *Corpora mortuorum debiti causa d tineri non posse.* XI 6.

Christianorum Mors Philosophica. XIV. 5.

An Mundi *seductionem causari liceat?* IX 6.

Mysteria *cur non capiamus?* III. 6. *Quousque in iis versari liceat?* III. 5

N.

D*ictum Christi*: Unum Necessarium *explicatum.* VI. 4.

Necessitatis consideratio. IX. 10. Necessitas *non opponitur Liber tati.* VI. 5.

Multi Nimium, *nemo satis habet.* XV. 10.

O.

OBlivionis *Natura* II. 19. *Est Naturalis vel Voluntaria.* II. 19. *An sit Peccatum.* II. 19.

Verba, Facta Occiosa *quæ sint?* XIV. 14.

An liceat Officia *emere aut vendere?* XV. 9.

Onirocritice. *V. Somnia.*

Opinionis *natura.* III 15.

Orationis *natura & casus.* XIV. 8. Orationes Jaculatoriæ. *ibid.*

Oratio Dominica *utrum instar Formulæ an instar Moduli à Servato re proposita sit?* XIV. 8

Ritus Orantium *versus* Orientem. XIV. 8.

Parvitas

P.

PArvitas *Materiæ*. x. 6. 7. 8. *Si* Pater & Filius *simul periclitentur cui succurrendum*. xvi. 3. *Si* Pater & Filius *simul pereant quis præsumatur citius mortuus fuisse*? xi. 6.
Patientiæ *illustratio*. xv 4. *Patientiæ Divinæ explicatio*, xv. 5.
Peccata *omnia respectu Dei gravissima*. x 2.
Peccati in Spiritum S. *consideratio*. x.v. 15.
Acceptatio Personarum. xvi. 10.
An & quibus tempore Pestis *fugere liceat*? xi. 5. *An* Peste infecti *domibus propriis ejici possint*? xvi. 8.
Petulantia. VI. 10.
Philippus II. *Rex Hisp ab Affectibus immotus*. vii. 10.
Nihil esse tam absurdum, quin idem statuerit aliquando Philosophus, *quo sensu capiendum*? iv. 5.
Pœna Cadaverum? xi 6.
Pœnitentiæ *natura*. xii 10 *Cur in fine vitæ raro Deo grata sit*? vii. 8. *Quid de statis Temporibus ad Pœnitentiam agendam sentiendum*? xii 10.
Cur in Poëtis sæpe Eclipsis Intellectus deprehendatur? vii. 11.
Præcipitantia. iv. 12.
Præsumptionum *Regulæ*. iii. 16.
Precii *explicatio* xvi. 7.
Principem *nos invadentem non licet occidere, utut præsentissimum vitæ periculum nobis immineat*. ix 11. *Principem nullo casu contemnere licet*. x. 3. *Nec eidem indignari fas est*. ib.
Probabilitatis *consideratio*. III 15. *In rebus non dari*. III. 15.
Prodigia iix. 6. *Scriptorum de Prodigiis Examen*. iix. 6. *De significatu eorum*. iix 6.
Professio *Pietatis* I 5 *Professio Morum distincta à Professione Ethices*. I. 6.
Cur opinionum in Pueritia *haustarum tenaces simus*? VII. 11.
Pulchritudinis *operationes*. VII. 11.
Punctualitatis *consideratio*. IV. 18 *Ejus incommoda*. VII. 11.

R.

RAptus *Silonitidum examinatus* VI. 11.
Rationis *natura*. III. 2. *Ratio corrupta non est Ratio*. III. 1. *Eadem est*

fons depravatarum Actionum nostrarum. III. 2. *Cur Bruta careant Ratione?* III. 2 *Cur Imago Divina in ea consistat.* III. 2.
Rationis captivatio. III. 26.
An conservandi commodi aut vitandi Incommodi *publici causa* externam Religionem falsam *ejusque ritus subire fas sit, retenta animo puriori sententia?* VI. 8.
Quid de Reservatis mentalibus *sentiendum.* XIII. 5.
An Reus *à Magistratu possit interfici antequam Pœnitentiam egerit, eoque in Salutis æternæ periculo versetur?* IX. 12. *An Capitis* Damnatus *è Carcere fugere possit?* XV. 3.
Risus *natura.* VII. 5.

S.

SAbbati *celebratio & casus.* XIV.
Cur qui Sangvini *tractando assveti sunt pro crudelibus habeantur?* VII. 11.
Sapiens Stoicorum *quis sit?* XII. 7.
Scandali *explicatio.* XII. 9. *Scandalum acceptum nullum est, nisi datum præcedat.* XII. 9. *An possimus omittere Bonum aliquod, vel eodem Nos privare, ne proximus scandalizetur?* XII. 9.
Scholasticorum *speculationes & Distinctiones.* III. 8. *Cur minus terse loquantur?* VII. 11.
Scientiæ *natura.* III. 3. Sciendi *Naturale desiderium.* III 5. *Quousque id extendi fas sit?* III. 6. *Divina, Mysteria, subtilia sciendi ratio.* III. 6. *Cur inutilia, aliena, remota à nobis sciri supervacaneum sit?* III. 9.
S. Scripturam *non dari nisi unam* XIV. 3. *Ejus Divinitas probata.* XIV. 13.
Sedulitatis *explicatio.* XIII. 11.
Sensus *in Spiritibus non differunt ab Intellectu.* II. 2.
Cur interjecto longiori tempore rei perceptæ Sensu *minus afficiamur?* II. 3.
Sepulchrorum *violatio illicita.* XI. 6.
Simsonis *Autocheiria examinata.* XV. 2.
Simulatio *descripta.* XIII. 3.
Somniorum *Descriptio.* II. 8. *Discrimen à Sensibus.* II. 11. *Brutorum* Somnia. II. 10. *Quomodo Somniis res futuræ contingentes prædici possint.* II. 8. *Quid de* prædictione ex Somniis *sentiendum?* II. 9. *Cur Deus homines in Somniis alloqui amaverit?* II. 10.

Sortium

Sortium *consideratio.* IIX. 9. *Casus earundem.* IIX. 10. *Sortes Homerica.* IIX. 11.

Spectrorum *apparitio in casibus mortis.* IIX. 7. *Spectrum Berolinense,* IIX. 7. *An Spectrum Thesaurum indicans sequi liceat?* IV. 19.

Sponsionum natura & casus. IIX. 13.

An Sponsus Sponsam *vi comprimens puniri possit?* VI. 11.

Qua in re Stoici *potissimum à Christianis differant?* XII. 7. & XV. 1. *Eorum conclusiones Morales.* XII. 7.

Donum Strumas sanandi *Regum Gallia & Anglia Viribus Imaginationis transscriptum.* II. 4. *Cur Elizabetha Anglia Regina actum hunc continuaverit?* II. 4.

Stulticiæ *natura & Characteres.* IV. 10. *Stultum esse totum in toto, & totum in qualibet parte.* IV. 10. *Cur conversatio eorum molesta sit?* IV. 10. Stulti *cur abominationi sint?* I. 5. Stulticiam simulare *non nisi maximorum* Ingeniorum *esse.* IV. 4.

Quid de dicto, Quisquis dixerit Fratri suo Stulte. *&c.* IV. 10.

An Subditi *salva fide Principi suo debita se Hosti dedere possint?* XIII. 6. *Quam fidem Hosti servare debeant?* XIII. 6.

Superstitionis *consideratio.* XIV. 14.

Suspicionis *Natura, Causa, effecta &c.* IV. 10.

T.

TAciturnitatis *natura & casus.* XIII. 7. *Qui tacet, quando loquendum est, non Taciturnus sed Morosus est.* XIII. 7.

Temperamentum Corporis *sequitur Mores Animi.* VII. 11.

Temperantiæ *natura & casus.* XV. 6.

Temporis Immemorialis *effecta.* II. 19. *An Tempora meliora ante Diem extremam expectanda sint?* XI 5.

Tenaces *rebus magnis gerendis aptos non esse.* VII. 11.

Tentationum *natura.* IX. 8. *An appetenda sint.* IX. 8. *Consilium adversus Tentationes.* IX. 8. *Deum tentandum non esse, & varia Qq. de hac materia.* IX. 9.

Utrum Theologiæ *pars Theoretica an Practica præstet?* I. 5.

An Spectrum Thesaurum *indicans sequi liceat?* IV. 19.

Victis

V.

CUr Victis *insultandum non sit?* XV. 10.

Virginitatis Signorum, Prerogativæ & ſ. examen. XI. 4.

Error in Virginitate *an tollat matrimonium.* IV. 7. *Resp.* Virgines *non potest stupro tradere.* IX. 11. *Virgo non potest stupratorem violentum interficere.* IX. 11. *Nec seipsam servandæ virginitatis causa.* XI. 4.

Virtutem *non habere gradus.* XIII. 2. & X. 2.

Quo sensu Virtus *consistat in Mediocritate?* XII. 2 *In Virtute non datur excessus.* XII. 2. *An sibi ipsi sit præmium.* XII. 6. *An omnes Virtutes exituræ sint in altera Vita?* XII. 4. *Virtutes inter se non differre specie, sed unam tantum esse Virtutem objectis variam.* XIII. 10. Undenarius numerus Virtutum *examinatus.* XIV. 3. *Quatuor Virtutes* Cardinales *XIV.* 3.

Virtutes Intellectuales *descriptæ.* III. 4.

Virtutum & vitiorum Nationalium *Consideratio.* VII. 11.

Virtutes *Brutorum, Gentilium, Christianorum examinatæ.* XII. 5.

Visitatio Ægrotorum. *XV.* 8.

Vita *& Fama quomodo pari passu ambulent?* IX. 11. XIIX. 2.

Vitia *sunt sine quiete & ordine.* XII. 8. *Quomodo infinita sint?* XIV. 2. *Quo sensu alterum altero gravius sit?* X. 4. 5.

Voluntatis *natura.* VI. 1. *Modus volendi.* VI. 2. *Idem velle & idem nolle an sit vera Amicitia?* VI. 12.

Usuræ *illegalitas.* XVI. 7. *Cur Deus Israelitis Usuram in peregrinos permiserit?* XV. 7.

Usus & Fruitionis Distinctio. VI. 12.

Utile quid. VI. 12.

